IOANNIS

SINNICHII,

CORCAGIENSIS IBERNI,

Sacræ Theologiæ in Academia Lovanienſi Doctoris, Ordinarii Profeſſoris, & Majoris Collegii Theologici Præſidis,

SAUL EXREX.

SIVE

DE SAVLE, ISRAELITICÆ GENTIS PROTOMONARCHA,

DIVINITUS PRIMUM SUBLIMATO, AC DEINDE OB VIOLATAM RELIGIONEM PRINCIPATU VITAQUE EXUTO:

IN TYPUM

Regum ac Principum temeratæ Religionis Reorum, ideoque cælitùs animadverſorum, vel animadvertendorum.

LIBER SECVNDVS.

IN QUO

Eccleſiæ prærogativa proficiendi ex adverſis aſſeritur: nominis *Iſraël* interpretationes eidem congruere monſtrantur, & integrum Panegyricon per Salomonem de *Muliere forti* decantatum adaptatur.

Sæpè expugnaverunt me à iuventute mea, dicat nunc Iſraël: Sæpè expugnaverunt me à iuventute mea: etenim non potuerunt mihi. Pſal. 128. v. 1. & 2.

Mulierem fortem quis inveniet? Procul, & de ultimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri ſui &c. Prov. 31. v. 10. & ſeqq.

Cum triplici Indice, Capitum præfixo: Rerum, ac Scripturarum ſubnexo.

SOC·IESV·BIBL·SEC·COLL·ROM



LOVANII,

Typis ac ſumptibus HIERONYMI NEMPÆI Typographi jurati, ſub Inſigni D. THOMÆ Aquinatis, Doctoris Angelici.

Cum Gratia & Privilegio Regio. 1667.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLOGUS.

EN Opus cui prô dolor immoritur Doctor emeritus: en ut exit obviam Sponſo & Sponſæ Doctor ſapiens & unus de numero Prudentum. Si beatus ille ſervus, quem cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem; meritò gratulamur illi, quem veniens Sponſus, invenit Sponſæ ſuæ Panegyricon concinnantem & concinentem. Utinam licuiſſet tibi hoc argumentum proſequi, Doctor immortalis: Iterum utinam licuiſſet, prout propoſueras, per ſingulas Eccleſiæ ætates diſcurrendo, ejus ortum ac progreſſum ad hæc uſque tempora, ſimulque eminentes illius dotes delineare & illuſtrare; Summos ejuſdem Præſules pro ſtatu Legis Naturæ, Moyſaicæ & Euangelicæ, ſingulorumque Magnalia percenſere; denique omnes orbis Monarchias percurrendo patefacere, quàm fruſtrà fremuerint gentes, quàm meditati ſint inania, quicumque adverſus terribilem illam caſtrorum aciem ordinatam inſurrexerunt & prævalere tentarunt, quàm horrendas calamitates & flagella in ſe attraxerint, quicumque mulierem illam fortem perſequi præſumpſerunt, quàm nulli unquam impunè ceſſerit tam ſacram Chriſti Sponſam tetigiſſe, quàm omnibus proſperè illam obſervaſſe, coluiſſe, protexiſſe. Pro his varia coacervaveras undique Doctor pervigil, & multò pluribus impleveras velut cornucopiæ Catholicum eximii pectoris tui ſcrinium. Sic pridem adornaveras lampadem tuam lucubrationibus multis & labore indefeſſo. Reſtabat tantùm ut eructares quo redundabas, & publicum faceres theſaurum quem tanto pretio feceras tuum: ſed dum ſine mora & invidia illum ipſum communicas, dum prælum urges, nec hactenùs partem tertiam feciſti noſtram, Ecce Sponſus venit, & quaſi primâ noctis vigiliâ, te ex tunc paratum, ad nuptias introducit. Has quidem nec nos tibi invidemus, Doctor virginee, ſed deploramus vel minimam tui laciniam nobis perire, quicunque novimus quantâ ingenii ſolertiâ ſapientiam omnium antiquorum exquiſieris, quantâ memoriæ felicitate narrationem nominatorum Virorum conſervaveris, quantâ ſtudii familiaritate in occultis Proverbiorum converſatus fueris, quantâ lectionis aſſiduitate Patres, Concilia, Paginas ſacras, & teipſum triveris, quantâ denique vitæ puritate & virginitate, quocumque tendit agnus & ſimplex veritas, ſecutus fueris. Potuiſſet dolorem noſtrum lenire, ſi ex illis quæ in chartam conjeceras, præſens ſaltem Liber ſuppletus fuiſſet, & ad juſti voluminis molem perductus: Verùm & illud adimis ſolatium, dum teſtamento, paucis ante mortem ſeptimanis condito, expreſsè caves, ne Domini Executores, per ſe vel per alium nomine tuo ulla typis committant, ex iis quæ poſt mortem ſupereſſe continget, niſi conſtet eadem, priùs fuiſſe ultimâ manu tuâ ad prælum adornata. Scilicet uſqueadeò etiam tempore morbi providiſti, ne poſt mortem quoque, levi poſſes maculari nævo: uſque adeò horruiſti ſemper, ne quidquam nomine tuo prodiret, quod te & Salem Apoſtolicum non referret, quodque condiendis & extinguendis terræ putoribus non deſerviret. Hinc eſt quod Supremo Eccleſiæ vertici ALEXANDRO VII. quem diu ſoſpitet Altiſſimus, omnibuſque doctrinæ orthodoxæ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ cultoribus, tam grata fuerint, quæ primo hujus Ope-

Digitized by Google

ris libro, adverſus rebelles & Eccleſiæ hoſtes hæreticos longè latèque diduxiſti, quæ pro obſequio ab univerſis Poteſtatibus, Dei & Eccleſiæ cultui debito ſtudiosè congeſſiſti, quæ pro legis naturæ & Decalogi rigore, adverſus laxitates hodie nimium invaleſcentes & laſcivientes ſtabiliiſti & demonſtraſti. Hinc eſt quòd toti orbi Chriſtiano, uſque adeò placuerint, quæ pridem, ſub Auguſtiſſimi Cæſaris auſpiciis in tuo Goliathiſmo Profligato adverſus Lutheranorum & Confeſſioniſtarum inſoleſcentem Goliathum, pro perenni Eccleſiæ indefectibilitate, tam validè & gloriosè vibraſti, ut hactenùs comparere auſus non fuerit, qui ſilices fronti illius à te infixos revellere tentaret. Hinc quoque confidimus, ſanctæ Sedi & Eccleſiæ toti, acceptiſſimum futurum præſentis Operis hunc librum ultimum, eò magis quòd in illo totus incumbas, ut invictam ſacræ illius Mulieris fortitudinem, & de ultimis finibus pretioſam, omni Potentatui formidabilem exhibeas & venerabilem: Quinimò gaudebit ipſa videre, in hoc extremo emorientis venæ tuæ pulſu, quòd non alius zelus comederit te, quàm ille, cujus æſtu conſtanti incenſus, tot vigiliis, tot ſcriptis contra giganteas hæreticorum inſolentias, contra defrænatas morum laxitates decertaſti & triumphaſti. Si ex operibus cognoſcendus es, Bonum certamen certaſti, curſum conſummaſti, fidem ſervaſti, Doctor glorioſe: Non potes Deum non habere Patrem, qui ſic honori & laudibus Eccleſiæ intentus vivens & moriens illam voluiſti habere Matrem. Dignum quoque te Patris & Matris illius filium in extremo agone comprobaſti, dum in illo obediens uſque ad mortem, prout etiam in præfatis tabulis teſtamentariis memor fueras, omnia opera tua edita vel edenda, imò & manuſcripta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ judicio ac Cenſuris ſubmiſiſti probanda vel improbanda; dum inter morbi dolores te totum divinæ Providentiæ patientiſſimè ſubmittens,& velut alter Martinus, indifferenter labori ac morti te ſæpius offerens, nec mortem timuiſti, nec laborem recuſaſti; dum ejuſdem Antiſtitis exemplo, etiam tunc invictum, ab oratione & virtutum fervore ſpiritûm non relaxaſti; dum urgente ipſo mortis rigore, nil niſi patientiam & fiduciam Chriſtianam ſpirans, ipſius Chriſti expirantis vocem ſupremam imitatus, fortiter quoque pro extremis tuis verbis hæc protuliſti, *Ieſu Maria, Ieſu in manus tuas commendo ſpiritum meum*; dum denique Sacroſanctis & Extremis Eccleſiæ Sacramentis omnibus plenâ ſenſuum integritate ſuſceptis, imò per te ipſum exemplari devotione & ſollicitudine expetitis, velut obdormiens, nec labore nec morte victum placidiſſimè emiſiſti ſpiritum, ipſo die apparitionis Archangeli Michaelis ſuper animas ſuſcipiendas conſtituti.

Ut vivimus ſic morimur, Chriſtiane Lector: Qui vixit pervigil, pervigil moritur; ſi tamen moritur, qui dum nobis & Eccleſiæ militanti occidit, triumphanti oritur & Eccleſiæ ſemper vivit. Suſcipe benignus extremos hujus Triumphatoris Davidici labores,& nullum patere Goliathum victori inſultare abſenti: Protege benevolo affectu tam ſtrenuum Legis, Diſciplinæ, & totius Antiquitatis ſacræ Propugnatorem, tam glorioſum luxuriantium ingeniorum Domitorem, ut tibi quoque faveant Superi, &

Sæcula Sinnichios nunquam tacitura triumphos.

SYNOPSIS

SYNOPSIS CAPITUM
LIBRI SECUNDI.

CAPUT PRIMUM.

NExus hujus Voluminis cum ſuperiore. Inauditum eſt quòd Eccleſiæ perſecutores ultricem Dei manum evaſerint. Expenditur Pſalmographi oraculum, *Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum.* Conſtantii Cæſaris Ariani inſulſa tranſverſio ejuſdem oraculi, in patrocinium Arianiſmi. Caligulæ Cæſaris inſana triumphandi aviditas, de philautiæ titillamine ſuppullulans. Tam facile ac proclive eſt ut ſeipſum quis fallat, quàm arduum ac difficile ut ſe accuratè pernoſcat. Corripientem durâ cervice ſpernenti repentinus ſuperveniet interitus. Querela piorum de temporali proſperitate impiorum diſcutitur, & prædictis nequaquam obſtare monſtratur. *Fol.* 1.

CAPUT SECUNDUM.

Eccleſia infeſtatoribus ſuis maturè cadentibus non concidit; nec novis ſupervenientibus in prædam cedit, ut Græcanicæ urbes Macedonico incuboni. Semen eſt ſanguis Chriſtianorum, ut qui plures efficiuntur quoties à tyrannis demetuntur. Tyrannorum quorundam aſtuta adversùs Eccleſiam machinatio, tentantium eam pervertere illecebroſis fomentis, cùm nequiſſent terriculoſis tormentis. Saluſtii Præfecti conſilium, Juliano Cæſari in orthodoxos ſævienti ſuggeſtum. Eccleſia perſecutionibus evadit illuſtrior, & ſuppliciis ſplendidior. Ea perſecutionibus aucta, martyriis coronata; poſtquam ad Chriſtianos Principes venit, potentiâ quidem ac divitiis major, ſed virtutibus minor facta eſt. Incomparabiliter pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quàm Helena Græcorum: & pro iſtâ fortiùs noſtri Martyres adversùs hanc Sodomam, quàm pro illâ mille Heroes adversùs Troiam, dimicaverunt. Fortitudo fidelium fortitudini Gentilium comparata, & prælata. Sicut vaſa figuli probat fornax, ſic homines juſtos tentatio tribulationis. *Fol.* 5.

CAPUT TERTIUM.

Eccleſiæ prærogativa ex adverſis proficiendi illuſtratur exemplis, ex rebus etiam inſenſilibus, ſed ejus typum gerentibus, petitis: ut inprimis Arcæ Noëticæ, quæ diluvii inundationibus ita concuſſa eſt, ut ipsâ concuſſione in ſublime ſuſtolleretur, atque à ſublatentibus ſcopulis & ſyrtibus elongaretur: deinde Arcæ fœderis, quæ in prælio ab allophylis capta, & juxta idolum *Dagon* locata, adeò captivatores ſuos afflixit & cruciavit, ut eam ultrò, majori cum gloriâ, dimiſerint, præmiſsâ hac confeſſione laudis; *Dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum:* Exemplo item vitis, quæ tanto uberiùs fructificat, quanto ſeveriùs præciditur ac putatur. Veteris populi in Ægypto afflictio non minuit, ſed auxit numerum afflictorum; Deo vertente ſuis in bonum, quod inimicus machinatus eſt in malum. *Fol.* 8.

CAPUT QUARTUM.

Eccleſia in ſenectute ultimi jam ſæculi recolens priſcas ſuas vexas & victorias, non jactuosè, ſed gratulosè replicat iſtum Gradualis Cantici verſiculum, *Sepè expugnaverunt me à iuventute meâ, etenim non potuerunt mihi.* De nomine ac numero horum Canticorum, necnon de gradibus aſcenſionum Salomonici templi, quibus reſpondere cenſentur. Quindenarius eorum numerus velut Decima eſt totius Pſalterii. De hebdoadis, ogdoadis, & ex ambabus conflatæ pentadecadis myſteriis. Expenditur Eccleſiaſtis juſſum, *Da partem ſeptem, necnon & octo.* Cur hebdoas ad vetus, ogdoas ad novum, & pentadecas ad utrumque Teſtamentum referatur? Pauli apud Petrum quindenalis commoratio, quindenarii annorum numeri ætati Ezechiæ facta adjectio, veterum ſolemnitatum à decima quinta Menſis die inchoatio, quid denotent? Quindecim Cantica Gradualia, quindecim templi gradibus reſpondentia, totidem virtutum exercitia inculcant, quibus de hac lachrymarum valle in cæleſte ſanctuarium Eccleſia gradatim conſcendit: quarum virtutum notiones ac munia ſingulatim ex Genebrardo, Parezio, & Caſſiodoro perſtringuntur. *Fol.* 12.

†† CAPUT

Digitized by Google

SYNOPSIS CAPITUM.

CAPUT QUINTUM.

Etſi David, Canticorum Gradualium conditor, templum à Salomone ſibi ſuperſtite ſtructum non viderit in corpore, vidit tamen in ſpiritu; vidit quoque in ideâ divinitùs ſibi traditâ, quemadmodùm Moyſes extruendum viderat tabernaculum. Pſalmus centeſimus vigeſimus octavus in ordine totius Pſalterii, decimus eſt in ordine Gradualium, eoque patientia in præſens, & confidentia in futurum ingeritur: ut Eccleſia experimento præteritorum erecta diſcat tolerare fortiter mala præſentia, & obfirmare ſe fidenter adverſus futura. *Expugnandi* verbum non ſemper importat victoriæ adipiſcentiam, ſed ſubinde ſolam pugnæ vehementiam: nec perfecta cenſetur *expugnatio*, quamdiu ſupereſt iteranda conflictio. Eccleſia oppugnari jugiter poteſt, expugnari funditus nunquam poteſt: quippe cui divinitùs conceſſum eſt, ut improborum perſecutionibus creſcat, & ſuâ contritione grandeſcat. Dubitandi adverbia, ſtylo Scripturis proprio, non denotant eventûs incertitudinem, ſed periculi duntaxàt magnitudinem. *Fol.* 15.

CAPUT SEXTUM.

Eccleſia in decimo Graduum Cantico à Pſalte dicta eſt ISRAEL, cujus Hebraicæ dictionis trina interpretatio ſiſtitur, & pro qualibet ſuus patronorum cuneus adducitur. Prima, quâ interpretatur *Directus cum Deo*, aut *Rectus Dei*: pro quâ, ultra Hieronymum, adducuntur Oſeas & Iſaias. Secunda, quâ interpretatur *Vir videns Deum*: quam etſi Hieronymus *omnium penè ſermone detritam* fateatur, ipſeque eidem ſubinde patrocinetur; alibi tamen *violentam* appellat, aliàs quoque *non in elementis, ſed in ſono vocis* fundatam affirmat. Adducuntur pro eâ, præter ipſum Hieronymum, complures patroni, Hebræi, Græci, Latini. Tertia demum, quâ interpretatur *Fortis contra Deum*, ſive *Prævalens Deo*: quam non pauci etiam explicitè probant, nemo vel implicitè reprobat: ut quam conſtet ipſius primi authoris atque inditoris patrocinio niti, cui auſcultare neceſſum, cui refragari ſceleſtum fuerit. *Fol.* 19.

CAPUT SEPTIMUM.

Diſquiritur quiſnam fuerit primus nominis ISRAEL author & inditor, num Deus ipſe increatus, vel Angelicus quiſpiam ſpiritus ab eo creatus, & in miniſterium miſſus? Unigenitum Dei Filium fuiſſe, plerique Veteres conſentienter perhibuerunt, & quædam etiam Synodi definierunt: quorum fundamenta, ex Scripturis ſignanter deprompta, reproducuntur, eiſque nonnulla ex publicis Eccleſiæ precibus ſumpta ſubinſeruntur. Ex hac ſententiâ communiter olim inter eruditos receptâ, ſed à quibuſdam perperàm intellectâ, occaſionem prodeundi arripuit Ariana perfidia; quâ tam immaniter concuſſa, ſed nequaquam decuſſa eſt Eccleſia. Finxit illa Filium Patri diſſubſtantialem, ut viſibilem inviſibili, à Patriarchis viſum inviſo, mutabilem & figurabilem incommutabili & infigurabili. Sed validiſſimè Fulgentius indidem eam confutavit, unde ſe illa ſtabiliri autumavit. *Fol.* 22.

CAPUT OCTAVUM.

Hæreticorum inquietatio Catholicis fit proficiendi occaſio. Obſcuram de Trinitate quæſtionem omnibus clarere fecerunt Arianorum contentiones, & ſubtiliſſimæ diſputationes. Tanto fortiùs convincuntur hæretici, quanto plures exitus patent ad eorum laqueos evitandos. Primus exitus evitandi Arianorum laqueum, ex apparitionibus Filii Dei pro tempore legis naturæ & Moyſaicæ peractis contextum, aperitur: nimirùm apparitiones illas non fuiſſe peractas exhibendo oculis ſpectandam divinam naturam, ſed adſcititiam creaturam: Filius quippe Dei, perinde ac Pater & Spiritus, inviſibilis eſt per propriam Deitatis naturam; ſed cùm vult videri poteſt per aſſumptam ſicut ei placuerit creaturam. Quomodò eæ Scripturæ cum hac veterum aſſertione concilientur, quibus dictæ apparitiones Angelo adſcribuntur? Dei Filius apud Iſaiam dictus eſt *Magni conſilii Angelus*, & apud Malachiam *Angelus teſtamenti*. Uſquamne in Scripturis nomine *Angeli* ſimpliciter expreſſo Dei Filius veniat intelligendus? *Angelus* non naturæ, ſed officii nomen eſt; ſive legationis. Dei Filius apud Abdiam ſimpliciter appellatur *Legatus*, adeòque æquipollenter *Angelus*. *Fol.* 26.

CAPUT NONUM.

Secundus aperitur exitus devitandi Arianorum laqueos; juxta quem is qui Patriarchis olim Prophetiſque apparuit, Deus quidem fuerit, non tamen determinatè ulla quæpiam Trinitatis perſona, ſed Deitas communis tribus perſonis: quæ etſi in ſeipſâ humanis oculis inviſibilis ſemper extiterit, in aſſumptitio tamen corpore, quoties, & ubi, & quibus placuit, ſpectabilem ſe præbuerit. Tertius item aditus aperitur, & duce præſertim Auguſtino cæteris præfertur: juxta quem prædictæ apparitiones attribuuntur

Digitized by Google

attribuuntur Angelico ſpiritui, perſonaliter quidem in aſſumptitio corpore ſpectandum audiendumque ſe præbenti, ſed Dei Majeſtatem repræſentativè exhibenti. Hoc evincere videtur prærogativa Evangelicæ legis præ Moyſaicâ, ab Apoſtolo Hebræis inculcata. Epiſtolæ ad Hebræos authoritas ab Arianis exploſa, & ab orthodoxis non conſentienter olim ſuſcepta. Inde factum, ut priſcorum Tractatorum vix pauci tertium hunc aditum tentarint: quem nihilominùs, præter Auguſtinum, amplexus eſt cum Theodoreto Cyrillus. Modus ſuggeritur conciliandi memoratorum trium exituum apertores & aſſertores. *Fol.* 29.

CAPUT DECIMUM.

Deciſio quæſtionis cap. 7. propoſitæ, & huc uſque protractæ. Author & inditor nominis ISRAEL, in perſonâ fuit Angelicus ſpiritus, repræſentativè autem Deus, ac ſignanter Dei Filius. Petri Apoſtolorum Principis prærogativa præ iis, quibus olim indita vel mutata fuerant nomina, Dei quidem authoritate, ſed Angelorum miniſterio. Chriſtus Dei Filius Petro novum indidit nomen per ſeipſum, cùm tamen Gabriëlis Angeli interventu nomen acceperit ipſe. Expenditur illa Chriſti ſententia, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Apoſtolis prædicantibus plures crediderunt in Chriſtum, quàm prædicante perſonaliter ipſo Chriſto. Quiſnam Angelicorum ſpirituum impenderit Deo miniſteriale obſequium in præfatis apparitionibus? Non improbanda videtur eorum conjectura, qui cenſent fuiſſe Archangelum Michaëlem: quem nunc cuſtodem ſuum ac patronum agnoſcit Eccleſia, ut olim Hebræorum Synagoga. Unus idemque Angelus miniſtravit legem in Sina, qui apparuerat Moyſi in rubo, & Jacobo in Phanuël, & Iſaaco in Berſabee, & Abrahæ in Mambre, ac alibi. *Fol.* 34.

CAPUT UNDECIMUM.

Proceditur ad expeditionem quæſtionis initio capitis 6. propoſitæ, quâ petebatur cur Eccleſia in decimo Graduum Cantico dicta ſit ISRAEL: & oſtenditur inprimis nomen iſtud aptè ei attribui juxta primam ejus interpretationem ibidem memoratam, quâ denotat *Directum cum Deo,* ſive *Rectum Dei.* Primi homines, è quibus Eccleſia ſecundùm carnem manavit, recti primitùs à Deo conditi ſunt. Rectitudo illa in quo principaliter conſtiterit, & quatenùs Eccleſia ad eam recuperandam ac fovendam niti debeat? De *Iſraële Dei,* & *Iſraële ſecundùm carnem*: item de Iſraële benedictionem participante, & Iſraële claudicationem hæreditante. Eccleſia congruenter appellatur *Recta* ac *Directa*, tametſi nonnulla ejus membra ſint in ſeipſis diſtorta. Juxta Scripturæ ſtylum crebrò attribuitur communitati, quod reipsâ ineſt uni ejus duntaxàt parti. *Melior eſt unus timens Deum, quàm mille filij impij.* Recti diligunt Deum, adeoque diliguntur ab eo: ſi autem diliguntur, etiam diriguntur. Ac per hoc qui Recti ſunt Dei, directi ſunt à Deo, & cum Deo. *Fol.* 37.

CAPUT DUODECIMUM.

Pergitur ad ſecundam interpretationem nominis ISRAEL, quâ denotatur *Vir videns Deum*: eaque Eccleſiæ adaptatur, non obſtante quòd maſculinè exprimatur; quia etſi Eccleſia propter parturam reputetur femina, eſt tamen virili pectore prædita. Multifariæ viſionum differentiæ perſtringuntur. Viſus principatu pollet in ſenſibus, & ideò reliquorum ſenſationes appellantur viſiones. Homo alius exterior, alius interior: & hic, perinde ac ille, ſuos habet oculos, ſuum viſum, ſuamque viſionem. Eccleſia pro parte quieſcit in patriâ, pro parte peregrinatur adhuc in viâ: illic Deum videt facie ad faciem, hìc per ſpeculum in ænigmate; illic per lumen gloriæ, hìc per lumen fidei. Cùm igitur ob pectoris virilitatem congruat ei nomen viri, & partim in patriâ partim hîc in viâ Deum videat; planum eſt congruere ei nomen ISRAEL, quatenùs interpretatur *Vir videns Deum.* Prophetæ olim apud Hebræos per quandam velut antonomaſiam dicebantur *videntes*, quanquam non niſi obſcuræ fidei vel prophetiæ oculis, velut per ſpeculum in ænigmate, res prophetatas cernerent aut præcernerent. *Fol.* 42.

CAPUT XIII.

Tertia nominis ISRAEL interpretatio, *Fortem contra Deum*, ſive *Prævalentem Deo*, denotans, diſcutitur; atque in Eccleſiam ritè quadrare oſtenditur. Voluntas beneplaciti in Deo ſemper invicta, quia omnipotentiæ nunquam non conjuncta. Voluntas ſigni eatenùs vincitur, quatenùs Deus volenter eam vinci patitur. Quædam Eccleſiæ membra adversùs Deum fuêre fortia, ut Moyſes, Phinees, Ioſue, Ezechias; & fideles omnes ritè pœnitentes, ac pœnitendo furorem Dei in favorem vertentes. Iudæi crucifixores Chriſti contra Deum iratum prævalere potuiſſent, ſi condignam pœnitentiam agere voluiſſent. Salomonis templum placando precibus Deo deſtinatum, Eccleſiæ adversùs Deum fortis geſſit typum. Expenditur Chriſti dictum *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Miro & ineffabili modo

 non

Digitized by Google

non ſit præter Dei voluntatem, etiam quod contra ejus ſit voluntatem. Magis ſubinde placet Deo voluntas hominis ſibi materialiter diſcors, quàm concors. Oratio Stephani pro Saulo Deum reddidit propitium de irato. *Fol.* 46.

CAPUT XIV.

Occaſione noviſſimæ interpretationis nominis ISRAEL, in Eccleſiam tranſcriptæ, diſſeritur de *Muliere forti*, quam Paræmiaſtes prædicat inventu difficilem, non utique impoſſibilem. Fortem ſolus eam præſtitit, qui perditam quæſivit, qua ſitam invenit, inventam humeris impoſitam reportavit, & in monte cunctis conſpicuam ſtatuit. Hæc illuſtre fortitudinis ſuæ ſpecimen in hoc præbuit, quòd ab initio Mundi hactenus invicta perſtiterit, toties concuſſa, nunquam decuſſa. Ejus ſtabilitas illuſtratur exemplo Inſulæ S. Helenæ, mole exiguæ, Oceani Indici vaſtitate circumſeptæ; quæ immanibus fluctibus jugiter incurſata perſtat incolumis, impactas undas diſſolvens in ſpumas. Tota viraginis hujus fortitudo ab eo profluxit, qui eam *portis inferi* non ſuccubituram promiſit, & columnam firmamentumque veritatis conſtituit. De eâ primitùs denuntiatum fuit colubro tortuoſo, *Ipſa conteret caput tuum*: ex quo didicimus, eam portis inferi non modò non ſuccubituram, ſed & prævalituram. *Fol.* 50.

CAPUT XV.

Quæ in Paræmiis *Mulier fortis*, eadem in Canticis dicitur *Sponſa*; illic à viro & prolibus, iſtic à ſponſo laudibus cumulata. Sub *Lamuëlis* nomine Salomon ei metricum panegyricon nuncupavit, ex ſingulis Hebraici alphabeti litteris verſiculatim inchoatum: quarum interpretatio disjunctim & conjunctim traditur ex Hieronymo. Salomonis imitatione Sedulius alphabetico hymno panxit encomia Chriſti: ut latini characteres perinde famularentur marito, ac Hebraici ejus uxori. Cùm Chriſtus de ſe ait, *Ego ſum Alpha & Omega*, ſub extremis Alphabeti characteribus intermedios voluit comprehenſos. Recitantur acroſthici Sibyllæ Erythreæ verſus de Chriſto ad extremum judicaturo, quorum initiales litteræ hanc conflant acroſtichidem, *Ieſus Chriſtus Dei Filius Servator crux*. Veterum diverſæ & adverſæ de Sibyllarum afflatu opiniones commemorantur, & indeciſæ dimittuntur. *Fol.* 54.

CAPUT XVI.

Sub *Lamuëlis* nomine Rex Salomon, Sibyllis indubitatior cæli diſcipulus, primum ſui encomiaſtici carminis verſiculum inchoat à primâ Hebraici alphabeti litterâ *Aleph*, quæ latinè interpretatur *Doctrina*; ſecundum, à ſecundâ, *Beth*, quæ *Domus*. Eccleſia ab ipſo *Mulier* dicta, ob ſpiritalem filiorum genituram: *fortis*, ob æquanimem utriuſque ſortis uſuram; ut quæ nec ſuperefferatur proſperâ, nec frangatur adverſâ. Unde Mulieri tam virile pectus, ſupra morem ſexûs? Eam maximoperè pretioſam fecit, qui à ſummo cælo egreſſus pro eâ ſeipſum pretium dedit. Hæreſiarchæ cujuſpiam inſulſa blateratio, *Non invideo Chriſto Deo facto, quoniam ſi volo poſſum & ipſe fieri.* Qualiter intelligenda cordialis confidentia mariti, ſupererogata huic ſuæ Uxori? Hæc ab initio humani generis vocata, ac deſponſata, nullis poſteà generationibus defuit. *Spoliis non indiget*; non quòd, aliundè dives, abſtineat ſpoliis; ſed quòd ubertim partis abundet ſpoliis: undique rapiens, trahens, acquirens; virum ſuum imitans, ſub cujus typo filius Prophetæ juſſus eſt nominari, *Accelera ſpolia detrahere*, *Feſtina prædari.* Non omnis ſpoliatio eſt culpanda, ſed quædam laudanda; cùm ſcriptum ſit, *Iuſti tulerunt ſpolia impiorum.* Quibuſnam ſpoliis Eccleſia abundet, & quibus hoſtibus eadem abripiat? *Fol.* 58.

CAPUT XVII.

Elucidantur duo ſequentes ejuſdem Poëmatis verſiculi, tertius ſcilicet & quartus: quorum priorem inchoat littera *Gimel*, quæ interpretatur *Plenitudo*; poſteriorem *Daleth*, nota *tabularum.* Eccleſia agnoſcens divinorum erga ſe beneficiorum multitudinem, rependit Deo obſequiorum ſuorum plenitudinem; *Reddens ei bonum, & non malum*; non utique obiter aut per tranſennam, ſed *omnibus diebus vitæ ſuæ*: ut jam non ſibi, ſed illi vivat, qui pro ipsâ vitam poſuit. *Tabularum* legis *plenitudo* eſt dilectio, primò quidem Dei, ac deinde proximi propter Deum; in quem referenda univerſa opera noſtra, non ſolùm intima, in *lino* denotata; ſed & extima, per *lanam* ſignificata: ut ſecundùm utrumque hominem ei obſequamur, quem utriuſque opificem profitemur. Vanum eſt lucere, niſi lucens ardeat; & parum eſt ardere, niſi ardens luceat. Providenda itaque ſunt bona coram Deo pariter & hominibus. Quid *operari conſilio manuum ſuarum*: & quid *intellectus manuum* apud Pſalmographum? Ad perfectionem non ſufficit contemplatio, ſed ei jungenda eſt actio. *Fol.* 63.

Proce-

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Proceditur ad quintum ejuſdem panegyrici verſiculum, cujus initium ſumitur in originali textu à litterâ *He*, quæ interpretatur *Hæc*, vel *Iſta:* eoque Eccleſia comparatur *Navi inſtitoris, portanti de longè panem ſuum.* Mundus iſte inſtar pelagi eſt, in quo Eccleſia quaſi navis agitatur, procellis afflata, fluctibus pulſata, ſcopulis colliſa, piratis infeſtata; quorum aliqui nominatim ex Ambroſio memorantur: ſed quia puppim cæleſtis Pater gubernat, proram Paracletus regit, malo Chriſtus præſidet, remos Apoſtoli & Prophetæ moderantur, nunquam eliditur, nunquam mergitur, nunquam capitur. Multiplex ejus analogia cum Arcâ Noëticâ perſtringitur. Quis ejus *Inſtitor*, & quis hujus Exercitor? Quas item merces evehit, & quas revehit? De inſtitoribus ſapientiæ, quibus exordia ſua debent celebres quædam Academiæ. Expenditur Euangelici peregrinaturientis dictum ad ſervos domi relinquendos, *Negotiammi dum venio.* Eccleſiæ præfectura à Chriſto hinc abituriente demandata eſt Petro, Apoſtolorum corypharo; cujus in ſuâ ſede jugiter vivit poteſtas, & excellit authoritas, nec in hærede etiam indigno deficit dignitas. *Fol. 66.*

CAPUT XIX.

Exhibentur & ediſſeruntur duo ſequentes ejuſdem poëmatis verſiculi, ab Hebraicis litteris *Vau* & *Zain* reſpectivè inchoati. Eccleſiæ de nocte ſurrectio quid denotet, & quid *noctis* vocabulo intelligendum veniat? Contemplativæ & activæ vitæ functiones, alternationes, ſociationes. Eccleſiæ ſponſus per diem miracula in urbibus exhibendo, & per noctem in monte orationi vacando, utriuſque vitæ munia diſcrevit, & exemplo commendavit. Contemplativæ typus in Rachele & Maria, activæ in Lia & Martha. Orante Moyſe in monte, vincebat Joſue in valle. Mulier fortis de nocte ſurgit, quatenùs Eccleſia de tribulationibus proficit. De *agro* ab hac viragine conſiderato, & empto: necnon de *vinea* per eandem plantatâ. Sicut vinea in ſeipsâ manet eadem, mutatis licèt cultoribus: ſic Eccleſia ab initio perſeverat una, ſurrogatis licèt in Judæorum locum Gentilibus. Obiter & remiſſivè de variis unius Eccleſiæ ætatibus ac ſtatibus diſſeritur. *Fol. 70.*

CAPUT XX.

Octavus ejuſdem Poëmatis ſiſtitur & explanatur verſiculus, ab octavâ Hebraici Alphabeti litterâ cœptus, quæ *Heth* dicitur, & *Vita* interpretatur. Diligenti vitam præſcribitur, ut declinet à malo, & faciat bonum: ad quorum prius ſpectat *lumborum accinctio*, ad poſterius *brachij roboratio.* Succingi, præcingi, accingi, quatenùs differant, & quorumnam muniorum perſonis reſpectivè congruant? Eccleſia diverſis pudicitiæ gradibus diverſa adaptat cinctoria. Tametſi caſtitas ſit Dei donum, homo tamen caſtificationi ſuæ cooperatur per arbitrium. A Deo agitur homo, ut agat bonum: adeoque ut homo quidpiam ſalubriter faciat, Deus facit prior. Chriſtus diſcipulo ad perfectionem vocato non ait, præcede me; ſed, *ſequere me:* alium præcedere geſtientem compeſcit, ut retrò redeat, appellatque *Satanam*, quòd anteire vellet. Chriſti mater Maria figuram in hoc geſſit Eccleſiæ, quòd filium pariens virgo permanſerit; ſicut hæc aſſiduè membra ejuſdem filii pariens virginitatem conſervat. Renaſcenti populo unda Baptiſmatis inſtar eſt uteri virginalis, eodem ſpiritu replente fontem, qui replevit & virginem. *Fol. 74.*

CAPUT XXI.

Ejuſdem Poëmatis nonum verſiculum inchoat Hebraici alphabeti nona littera, *Theth* dicta, & *Bonum* latinè interpretata. Guſtu pariter & viſu deprehendit Eccleſia bonitatem negotiationis ſuæ. Guſtus ſuavitate, viſus ſpectabilitate reficitur. Conſcientia bona negotiationem facit dulceſcere, mala amareſcere. Sapientia à ſapore dicta, quem operi virtutis impertit, futuro alioquin aſpero & inſulſo. Hujus ſaporis dulcore inſtincta Mulier fortis, labori diurno jungit lucubrationem nocturnam. Lucerna veteris tabernaculi aſſiduè accenſa figurabat Eccleſiæ fidem jugiter inextinctam. Arcadici lapidis, *asbeſton* dicti, mira proprietas; ut ſemel accenſus extingui nequeat. Ægypto reliquâ tenebris offusâ, ubicunque Dei populus habitabat, lux ſplendebat. Decimum ejuſdem poëmatis verſiculum inchoat littera *Iod*, quæ interpretatur *Principium:* indicans omnes noſtras curas & operas Deo tanquam primo principio eſſe dicandas. In omni obſequio quod Deo impendimus, ſal rationis ac diſcretionis adhibendum eſt. De *fuſo, colo, ſtamine*, & *vertibulo*, ſive *verticulo*. Lanæ linive maſſa in colo dimiſſa, velut fides eſt in corde torpida, abſque operibus mortua. Non recipitur merces operis gerendi, ſed geſti. *Fol. 78.*

Digitized by Google

SYNOPSIS CAPITUM.

CAPUT XXII.

Undecimum ejuſdem Poëmatis verſiculum inchoat littera Hebraica *Caph*, cujus interpretatio eſt *Manus*, non utique contracta, ſed *aperta*: juxta alios, *curvatio*. Commendatur in Muliere forti ſtudium ſubveniendi indigentibus non ſolùm largiter, ſed & hilariter. Recenſentur opera miſericordiæ tam corporalia, quàm ſpiritalia; & oſtenditur quemadmodùm ſingula per Eccleſiam exerceantur, & exercenda ingerantur. Qui vult ordinatè miſericordiam impendere, à ſe miſero debet incipere. Apud priſcos Chriſtianos tanta fuit animorum unio, & opum communio; ut nihil maneret diſcretum, præter uxores. Subſecuta deindè eſt praxis partiendi Eccleſiaſticos proventus in quatuor portiones, quarum una pauperibus cederet: quæ praxis etſi jam pridem vigere deſierit, non tamen Eccleſia pauperibus aliundè æquivalenter providere intermiſit. Diſſeritur ſignatè de ſpiritalibus miſericordiæ operibus, quorum occaſione aſtruitur divinæ Scripturæ in curandis quibuſque animi morbis efficacitas, & ubertas. Animorum medelam ad duo generalia capita reducit Auguſtinus, inſtructionem ſcilicet, & coercitionem: ad quarum poſteriorem ſpectare monſtrantur Eccleſiaſticæ Cenſuræ, etiam excommunicatio; quæ graviſſima alioqui pœna eſt, olim ſolita dici *Damnatio*. *Fol.* 83.

CAPUT XXIII.

Duodecimum ejuſdem Poëmatis verſiculum inchoat duodecima Hebraici Alphabeti littera, *Lamed* dicta; cujus variæ interpretationes recenſentur, & Eccleſiæ congruere monſtrantur. Editionis vulgatæ ab editione 70. Interpretum diſcrepantia. *Domus* pro *Familiâ* crebrò uſurpata non ſolùm apud ſacros, ſed apud profanos quoque Scriptores. Quo ſenſu dicatur Deus *ædificaſſe Adæ coſtam in mulierem?* Tota Mulieris fortis laus in Virum ejus redundat, ut qui unde laudaretur donârit. Hic domo ſuâ pro tempore abſens, curâ ſalutis ac ſoſpitatis domeſticorum ſuorum tangitur, ſed nequaquam angitur. An apud inferos cum ardore nimio ſint algores nivium? Quænam ſint *veſtimenta duplicia*, quibus domeſtici Mulieris fortis muniuntur adversùs *frigora nivis?* Unde fletus, unde item dentium ſtridor in damnatis? In Eccleſia militante miſcentur electis reprobi. Quo ſenſu ait Beda, *Quicunque pereunt, ad domum non pertinebant, nec veſte ejus ſpiritali erant induti?* Quid veſtis nuptialis, ſine quâ nullus convivio regio cenſetur dignus, ſed exterioribus tenebris obnoxius? *Fol.* 89.

CAPUT XXIV.

Decimumtertium panegyrici ſui carminis verſiculum inchoat Lamuel ab Hebraicâ litterâ, *Mem*, quæ juxta Hieronymum interpretatur, *Ex ipſis*, ut ſubaudias *Scripturis*: juxta Ambroſium verò & Bedam, *Ex intimis*. Oſtenditur utrovis modo interpretatam congruere Mulieri forti, ſub typo Eccleſiæ. Sibine an viro ſuo Mulier fortis fecerit *veſtem ſtragulatam*, pro quâ Pagninus vertit *torques*, Vatablus *tapetia*, ſeptuaginta Interpretes *duplices veſtes*, Ambroſius *binas veſtes*, Auguſtinus *duplicia pallia*? De ſago Aod, & ſagis cilicinis tabernaculum fœderis operientibus. Bombycis vermiculi varia metamorphoſis, cum bombycini ſtaminis paraturâ, & hujus à byſſo & ſerico diſcrepantiâ. De purpurâ conchyli, & ejus cruore quo purpureæ olim tingebantur veſtes. Duarum in Chriſto naturarum diſcretio, & hypoſtatica unitio. Multiplices ſuper Verbi incarnatione hæreſes per intervalla exortæ, ſed ab Eccleſiâ viriliter diſploſæ. Si diſcutiantur omnes hæreſes, deprehendentur negare Chriſtum in carne veniſſe. Expenditur quod ſcriptum eſt, *Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt.* Eccleſia florum varietate vernans, in pace habet lilia, in bello roſas. *Fol.* 93.

CAPUT XXV.

Decimoquarto ejuſdem Poëmatis verſiculo initium dat Hebraica littera *Nun*, multiplici interpretatione fœcunda: ut quam nonnulli verterint *Sempiternum*, alii *piſcem*, alii *unicum*, quidam *paſcua eorum*, alii *prolem*, *fœtum*, *progeniem*, vel *filiationem*: quæ omnes in virum hujus Mulieris fortis quadrare monſtrantur, qui prædicatur *Nobilis in portis*. In Repubicâ ritè inſtitutâ diſparibus incolarum ordinibus diſpares præſcribuntur ritus veſtium, famulatuum, inceſſuum, conſeſſuum, utenſilium &c. *Nobilitas* dicta quaſi noſcibilitas, & *Nobilis* quaſi noſcibilis. Judicum conſeſſus olim in urbium portis celebrari conſuetus: & cur? Non niſi ætate provectiores in Senatum adlegi ſoliti; qui ob ſenium *Senatores*, ob publicam curam *Patres* dicebantur: *Non niſi poſt annos patuit tunc curia ſeros, Nomen & ætatis mite Senatus erat.* Cum quanto ſplendore ac majeſtate ſeſſurus eſt Eccleſiæ Sponſus in extremo judicio cum Senatoribus terræ: & quinam hi? Expenditur iſta Pſalmographi acclamatio ad hunc ipſum Mulieris fortis virum, *Confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento.* *Fol.* 98.

Decimum-

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

Decimumquintum ejuſdem poëmatis verſiculum initiat Hebraica littera *Saniech*, quam Hieronymus interpretatur *Adiutorium*, Ambroſius *Firmamentum*, atque etiam, *Ardi*; alii vel *Baſim*, vel *Fulturam*, aut *ſuſtentationem*, aut *erectionem*: quæ univerſim Mulieri forti adaptantur. Ex *auditu* eſt origo fidei, quâ *adiutorium* impetramus, cujus impetratu *erigimur*, *firmamur*, *fulcimur*, *ſuſtentamur*. Quid in allegoriâ denotet *Sindon*, quam Mulier fortis textorio opere conficit, & per fora venalem exponit? Pro pretio hujus mercis non quærit venditrix datum, ſed requirit fructum: non exigit vacuationem marſupii, ſed repenſionem obſequii; non tam ſibi, quàm viro ſuo præſtandam: imitans Joſephum, qui pretium pro frumento ab Ægyptiis non recipiebat, ſed ipſos emptores regio ſervitio obſtringebat. *Chananæus* non ſolùm *Negotiator*, ſed & *Commutatus* interpretatur. Huic proficuâ negotiatione in meliùs commutato traditur à Muliere forti cingulum, quo per vigorem monſtratæ caſtimoniæ fluxa priſtinæ gentilitatis flagitia aſtringat, & eorum ſe jam cœtui miſceat qui ſtudent implere quod juſſum eſt, *Sint lumbi veſtri præcincti*. F. 103.

CAPUT XXVII.

Altera ejuſdem verſiculi interpretatio exhibetur, quâ per *ſyndonem* intelligitur linteum ſepulchrale, & per *cingulum* inſtita funeralis. Has quippe merces Mulier fortis conficit & venum exponit, dum vivaci prædicatione meditationem mortis mortalibus ingerit: ut in omni titillantis pugnæ certamine, ſepulchrum ſtudeant ad memoriam revocare. De morte primâ, & morte ſecundâ, necnon de utriuſque meditatione. Nulla major aut peior mors incurritur, quàm ubi mors ipſa non moritur. Corpora damnatorum in gehennâ ſunt inſtar ſindonis ex lino asbeſtino contextæ, quæ flammis uritur, ſed non exuritur. Horum inſtitas Scriptura ſubinde vocat *Inferni rudentes*, ſubinde *vincula æterna*. In flamma gehennali viget vis uſtoria, ſive illuminatoriâ, *Domino intercidente flammam ignis*. Extremi Judicii idea ex Baſilio deſcripta, uti & Inferni facies ex Bernardo. Omnium ſaluberrima peregrinatio eſt quotidiana Inferni viſitatio, non ut alliciat, ſed ut deterreat. Verba iſta Pſalmographi, *Deſcendant in Infernum viventes*, non imprecatoriè, ſed ſuaſoriè expoſita. *Fol.* 106.

CAPUT XXVIII.

Decimumſextum Poëmatis ejuſdem verſiculum inchoat Hebraica littera *Ain*, quæ unâ interpretatione denotat *oculum*, alterâ *fontem*; utrâque in Eccleſiam aptè quadrante: ut quæ cæcutientibus Gentilibus exhibuerit ſe *oculum*, perinde ac claudicantibus Judæis *pedem*; atque à Sponſo ſuo in Canticis dicta fuerit *Fons ſignatus*: cujus fontis ſignaculum quiſquis ſolvere tentat, exitioſè errat, ſeque ipſum enecat, ad exemplum Ægyptii exercitûs, in mari rubro extincti. Cur Eccleſia dicta ſit *induta fortitudine*, & cur item *decore?* Pro *fortitudine* induitur purpurâ; pro *decore*, byſſo. Quâ ratione Chriſtiani tribulationibus hic vexati adimpleant, quæ deſunt paſſionum Chriſti? Eccleſia non ſolùm Sponſa, ſed & Corpus eſt Chriſti. Etſi Paſſionum Chriſti nihil ſuperſit ſupplendum in capite, multa tamen ſuperſunt ſupplenda in corpore. Eccleſia *in die noviſſimo* gratulanter *ridebit*, quia in diebus antenoviſſimis longanimiter lugebit. Chriſtus indumentis ſuis veſtit Eccleſiam Sponſam ſuam, ut Jonathas Davidem amicum ſuum. Similitudo amictûs illecebra eſt amicitiæ. Hominis interioris unicus eſt in utroque ſexu amictus, tametſi exterioris varius. Quotquot per baptiſmum Chriſto initiantur, ipſo amiciuntur. *Fol.* 110.

CAPUT XXIX.

Decimumſeptimum ejuſdem Poëmatis verſiculum inchoat decimaſeptima Hebraici Alphabeti littera, *Phe* dicta, quæ juxta Hieronymum interpretatur *Os*, juxta Ambroſium *Os aperus*, item *Erravi*. Mulier fortis ſecernendo pretioſum à vili, fit quaſi os Domini. Hinc qui eam audit, ipſum Dominum audit; & qui eandem ſpernit, eundem ſpernit. Sicut inexcuſabiles fuerunt qui Chriſto perſonaliter prædicanti diſcrediderunt, ita & qui eidem per Eccleſiam tanquam os ſuum loquenti credere renuunt. Ut Eccleſia os ſuum ſalubriter aperiat, ad eum cujus ipſa os eſt clamat, *Domine labia mea aperies*. Deſertores Eccleſiæ calumniantur eam errare, cùm ipſi errent: ſicut Ægyptia Putipharis uxor impudicitiam ſuam caſto Joſepho affinxit. Idcircò Eccleſia *erraſſe* ſe profitetur, quia de nativis errorum tenebris ad adoptitiam Veritatis lucem ſe fuiſſe tranſlatam reminiſcitur. Memoria priſtinæ vilitatis, parens eſt ac fotrix humilitatis. Agathoclis Siculi & Leſci Polonici Regum memorabile huc ſpectans exemplum. Mulier fortis, velut altera Dido, *Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſcit*. *Fol.* 115.

Explana-

Digitized by Google

SYNOPSIS CAPITUM.

CAPUT XXX.

Explanationi litteræ initialis ſubditur elucidatio verſiculi inde inchoati, cujus variæ exhibentur in latinum factæ tranſlationes. Divini muneris eſt *os ſuum aperire ſapientiæ.* Legem credendi lex ſtatuit ſupplicandi. Expenditur quod ſcriptum eſt, *Linguam nullus hominum domare poteſt.* Eccleſia inter paleas & zizania peregrinans, multa quidem tolerat; ſed quæ ſanæ fidei aut probæ vitæ diſſonant non approbat, nec facit, nec tacet. Ejus mores ſummariè ex Auguſtino commemorantur. Sola dicere ſuo Sponſo poteſt, *Nova & vetera ſervavi tibi:* & quænam iſta? De *ore* hominis exterioris, & *ore* interioris: nec non de utriuſque *apertione* ſive ad intromittendum, ſive ad emittendum. Auditores Beati Job expectantes eloquium ejus ſicut pluviam, *aperiebant os ſuum quaſi ad imbrem ſerotinum.* Romanus exercitus hiante ore pluviam à Chriſtianis impetratam excepit. Sapientiæ cum pluviâ analogia. *Sapientiæ* vocabulo lex antiqua congruè intelligitur, quæ inſtruebat quidem intellectum, ſed non molliebat affectum. Per *Legem Clementiæ* ſignatur Euangelica, quæ abolendo culpam relevat pœnam. *Fol.* 119.

CAPUT XXXI.

Decimumoctavum ejuſdem poëmatis verſiculum inchoat Hebraica littera *Zade*, aliis *Zadic*; quam Hieronymus interpretatur *Iuſtitiam*, Ambroſius *Conſolationem*, Arboreus inſuper *Triſtitiam*, *Regionem*, *Venerationem*, Iſaacus *Venationem*, Caninius *Hamum*: quæ omnes interpretationes ſingulatim adaptantur Eccleſiæ; cui Dominus ait, *Sponſabo te mihi in ſempiternum:* utique *in iuſtitia & iudicio*, atque adeo *in fide*, quæ juſtitiæ baſis eſt. Sicut abundant paſſiones Eccleſiam contriſtantes, ſic & conſolationes eandem lætificantes. Expenditur quod ſcriptum eſt, *Calix in manu Domini*, *vini meri*, *plenus miſto.* Quatenus Eccleſia ſit una *Regio*, licèt per omnes diſperſa regiones? De regione umbræ mortis, & regione umbræ vitæ. Eccleſia *regio vivorum*, & *terra ſanctorum*, in qua qui iniqua geſſerit, gloriam Domini non videbit. Nec ambigi poteſt quin eidem congruat venerationis tam activæ quam paſſivæ elogium, ut quæ gerat religionis antiſtitium. Cùm eidem quoque competat venationis & piſcationis exercitium, ratio aſſignatur cur hamo non præmittat, ſed ſubſequenter adjungat venabulum. *Fol.* 123.

CAPUT XXXII.

Verſiculus ejuſdem Poëmatis decimus octavus variè à variis Interpretibus in Latinum tranſlatus ſiſtitur: & *Mulieris fortis* circa familiæ ſuæ converſationem cura ac ſollicitudo expenditur. Hujus Mulieris domus non alia eſt quàm domus Dei, cujus amplitudinem Propheta Baruch prædicat. Eccleſiæ oculi ſunt Epiſcopi, quorum nomen, à *ſpeculatione* ductum, admonet eos muneris injuncti: & quod illud? Variæ ſpeculæ per myſticam hanc Hieruſalem diſpoſitæ, in quarum primâ excubat *Domnus Apoſtolicus*, in ſecundâ *Patriarchæ*, in tertiâ *Archiepiſcopi*, in quartâ *Epiſcopi*, in quintâ *Archidiaconi*, in ſextâ *Archipresbyteri*, in ſeptimâ *Presbyteri*. Sicut cuſtodibus Civitatum hoſtili incurſioni obnoxiarum, ita & Eccleſiæ ſpeculatoribus incumbit in alto reſidere, vigilare, circumſpicere, circuire, tubis clangere, fiſtulas inflare, citharizare, & cantare: quæ omnia ſingulatim allegorizantur. Cur mulier fortis *conſiderare* dicitur non vias, ſed *ſemitas domûs ſuæ?* Non omnis via eſt ſemita, ſed quæ arcta eſt atque anguſta. Via impiorum ſpatioſa; piorum verò adeò ſtricta, ut Chryſoſtomus eam funi intenſo comparet, & viatores funambulis, quibus alteroversùm delabi peremptorium ſit. *fol.* 128.

CAPUT XXXIII.

Non amat Mulier fortis diſſolutionem, ſed providet diſciplinæ rigorem. Hinc quorundam laxonum exorbitantias priſco rigori adverſas per Apoſtolicum Præſulem in ſupremâ ſpeculâ excubantem noviſſimè proſcripſit, quarum ſeries exhibetur, & Cenſuræ tenor ſubnectitur. In die Judicii talem ab Hierarchis Eccleſiam Princeps Paſtorum exacturus eſt, qualem à Patribus acceperant. Via vitæ à Chryſoſtomo dicta *funis*, à Pſalmographo diminutivè *funiculus*, à Chriſto emphaticè *arcta*, atque ob anguſtiam *foramen acûs.* Cernentes laxones quàm difficile ſit gibboſos camelos per foramen acûs in civitatem habitaculi tranſmittere, tentarunt ipſum foramen acûs impactis probabilitatum uncinis diſtendere: imitantes quadantenùs Troianos, qui portas urbis effractis muris ampliarunt, ut equum Argolicum ſine mutilatione vel extenuatione intromitterent. Via cæli aſſimilata ponti anguſto, è quo in dextram aut ſiniſtram deſiliens ſubterfluentis amnis vorticibus immergitur. Nemo abſque gratiâ Dei decurrere quit viam cæli. *Fol.* 132.

Decimus-

Digitized by Google

LIBRI SECUNDI.

CAPUT XXXIV.

Decimusnonus Salomonici Poëmatis verſiculus inchoatur ab Hebraicâ litterâ *Coph*, quæ interpretatur *vocatio*; item *concluſio*, ſive *circumdatio*, vel *fortificatio*; necnon *Aſpice*, aut *circumcurre*; ac denique *Simius*: quæ interpretationes Mulieri forti univerſim congruere monſtrantur. Eccleſia ex *vocatione* appellata eſt, Synagoga ex *congregatione*: & hæ quatenùs diſcrepent? *Concionis* trifaria uſurpatio ex Phavorino. Tria Salomonis nomina, quorum unum *Coheleth*, quod Græcè *Eccleſiaſtes*, Latinè *Concionator* interpretatur. Eccleſia eſt cœtus vocatorum in ſocietatem Filij Dei. Quænam aſpectio, & quæ item circumcurſio commendetur Mulieri forti per *Aſpice*, & *circumcurre*? Eccleſia in Canticis *Hortus concluſus* dicta: & quænam iſta *concluſio*? Ab hac concluſione parùm aut nihil differt *circumdatio*, ex qua ſubnaſcitur *fortificatio*. Eccleſia adſtat Sponſo *in veſtitu deaurato circumdata varietate*. Deformitas *ſimiarum* non obſtat earum analogiæ cum Eccleſia: ut quibus præcipua ſit affectio erga proles ſuas, quemadmodum & Eccleſiæ erga ſuas. Antipathia ſimiæ, cum leone; uti & Eccleſiæ, cum diabolo; qui *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*. Præoccupatur quædam objectiuncula. *Fol.* 135.

CAPUT XXXV.

Decimusnonus ejuſdem Alphabetici carminis verſiculus variè tranſlatus ſiſtitur, & Scripturæ mos annuntiandi futura ſub præteriti temporis figurâ expenditur. Deus cuncta pariter tempora ac temporalia ſempiterno ſtabiliq́ue intuitu comprehendit, atque omnibus omnia iam retribuit, *qui quæ ſunt futura iam fecit*. In noviſſimo judicij die Mulier fortis à ſuis filijs redivivis rediviva beatificabitur, & à ſuo viro majeſtuoſè judicante præconizabitur. Eo potiſſimùm tempore extollenda ſunt merita ſanctitatis, quo nec laudanti nocere poteſt adulatio, nec laudatum tentare elatio. In hujus Mundi pelago navigantibus metuendum eſt, ne navis quâ vehuntur aut procellis tempeſtatum abripiatur, aut fluctibus incurſantibus abſorbeatur, aut in prædam à piratis inſidiantibus abducatur. Mulieris fortis vox eſt, *Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim &c.* Æmuli Eccleſiæ inſtar muſcarum circumvolant per totius corporis membra, ut ſicubi inveniant vulnerata, exprobrent: ſana pungunt, ægra lambunt, & eorum ulceribus vermes affundunt; vibices improperant, cùm ipſi putoribus ſqualeant; feſtucas objiciunt, cùm ipſi trabium mole oppreſſi caligent. *Fol.* 139.

CAPUT XXXVI.

Vigeſimum ejuſdem Poëmatis verſiculum inchoat in Hebræo littera *Res*, quæ interpretatur *capitis*, ut ſubaudias *corpus*, quod reſpectu Chriſti Sancta eſt Eccleſia. Myſtici capitis cum Phyſico analógia. Orat Chriſtus pro ſuo corpore, orat in eodem, & oratur ab eodem. Prophetavit Oſeas filios Iuda & filios Iſraël pariter congregandos, & ſingulari capiti ſubadunandos. *Optimates capita populorum*. Sicut Chriſtus *unum caput* eſt ſui corporis, ita *unus Paſtor* ſui gregis, unuſq́ue *lapis angularis* duorum parietum in unam ſtructuram coaleſcentium. Chriſtus à Paulo dictus *Paſtor magnus*, à Petro *Princeps paſtorum*, & *Epiſcopus animarum*; ab Eccleſia item *Paſtor æternus*. Apoſtoli ijs, quos per Euangelium genuerunt, non ſuum, ſed Chriſti nomen indiderunt; ut appellarentur non *Petriani* aut *Pauliani*, ſed *Chriſtiani*: cujus rei typus ex Deuteronomio profertur. *Papiſtarum* nomen ab æmulis excogitatum in contumeliam, orthodoxis reverà cedit in gloriam. *Balaamum* ad maledicendum Dei populo conduxit iniquitas, ſed benedicere compulit veritas. Quâ ratione Chriſtus ſit Eccleſiæ *fundamentum*, & ſimul *lapis angularis ſummus*? Beatus Petrus eſt quidem Eccleſiæ fundamentum, non tamen præter Chriſtum, ſed ſubnixum Chriſto, tanquam fundamentorum fundamento. *Fol.* 143.

CAPUT XXXVII.

Verſiculus ejuſdem Poëmatis vigeſimus, à littera *Res* inchoatus, & variè ab Interpretibus latinizatus exhibetur; ejuſq́ue cum præcedenti hemiſtichio conſtructio aſtruitur. Continet is encomium Mulieris fortis, à viro ſuo in extremo Iudicio coram toto Mundo propalandum. *Filiarum* nomine, quas hæc *ſupergreditur univerſas*, deſignantur hæreticorum ſchiſmaticorumq́ue ſectæ, necnon & diſcolorum Catholicorum turbæ, imo etiam Gentilium ſcholæ, & Iudæorum exortium ſynagogæ: quarum omnium *divitiæ*, charitatis inanes, carent pondere ſanctuarij. Cum Deo manere non poſſunt quotquot in Eccleſia ejus unanimes eſſe detrectant: nec vegetat aut vivificat Spiritus Chriſti, niſi membra reperta in corpore Chriſti. Non eſt particeps charitatis, qui hoſtis eſt unitatis. Eccleſia inter ſectas eſt velut matrona inter concubinas, & lilium inter ſpinas. Quâ ratione hæreticorum & ſchiſmaticorum ſectæ ſint matris Eccleſiæ *filiæ*? An

Digitized by Google

etiam Gentilium ſcholæ, & Iudæorum ſynagogæ, ſint *filiæ*: & cujus Patris, cujuſque Matris? Sicut Eccleſia credentium eſt ſponſa Chriſti, ſic Eccleſia malignantium eſt ſponſa vel concubina diaboli, quæ in Apocalypſi cognominatur *Synagoga ſatanæ*. *Fol.* 149.

CAPUT XXXVIII.

Vigeſimum primum ejuſdem Poëmatis verſiculum inchoat in Hebræo littera *Sin*, quam Hieronymus interpretatur *Dentes*, Ambroſius *Super vultus*, Arboreus *Tentationem egredientem*, Zamorenſis *Mutationem* vel *Secundationem*, Iſaacus *Diſce*: quæ interpretationes ſingulatim Mulieri forti, ſive Eccleſiæ, congruere monſtrantur. Eccleſiæ *Dentes* qui? Petro cælitùs dictum eſt, *Macta & manduca*. Dentium diviſio in præciſores, columellos, & molares. Dentibus Eccleſiæ contrariantur *dentes peccatorum*, quos Dominus conterit. Comparatio dentium Mulieris fortis, cum dentibus Evæ vetitum fructum mordentis, ac læthale vulnus poſteris infligentis. Eccleſiæ apotheca pharmacis abundat, quibus vulnera ſuis filijs inflicta ſanet. Ad hoc ſinuntur hæreſes naſci & adoleſcere, ut Eccleſiæ fides patiendo tentationem lucretur probationem. Magna Eccleſiæ tentatio, celebrium magiſtrorum prolapſio. Deus neminem tentat tentatione ſeductionis, ſed benè probationis. Homo ſeipſum neſcit, niſi in tentatione ſe diſcat. Omnibus errantibus utitur Eccleſia in ſuum profectum. Abraham Patriarcha ſe *pulverem* agnovit & *cinerem*: & quid his importetur? Quatenùs differat *Sin* littera, à *Sin* dictione? Quid portenderit *Rubus* à Moyſe viſus *ardens*, *ſed incombuſtus*? *Fol.* 154.

CAPUT XXXIX.

Vigeſimus primus ejuſdem Poëmatis verſiculus, à litterâ *Sin* cœptus, multifariè in latinum tranſlatus, & Ambroſii, Auguſtini, Bedæ, Rabani, Arborei commentariis illuſtratus ſiſtitur. De variis Scripturæ divinæ ſenſibus, in voce HIERVSALEM exemplarizatis, obiter diſſeritur. Mulierem fortem univerſis filiabus divitias congregantibus ſuperponit timor numinis, qui veræ ſapientiæ nucleus eſt, & à Latinis *pietas*, à Græcis ſignificantiùs *theoſebeia* dicitur, in hoc potiſſimè conſiſtens, ut anima Deo ſuo ingrata non ſit, ſed bona quæcumque habet, ei accepta referat, à quo accepit. Amanda eſt Dei bonitas, ſed metuenda ſeveritas. Qui non amat, timeat ne pereat; qui amat, timeat ne diſpliceat. Habet Dei timor ſuos aculeos quibus compungimur, habet & clavos quibus configimur. De triplici ligno Crucis Chriſti, deque clavis affigentibus Cruci manus ac pedes Chriſti. Hæreticorum ſectæ aſſimilantur perdici *congreganti divitias non in iudicio*. Virgines fatuas *neſcire* dicitur Iudex; non ignorando, ſed improbando. Humanus favor *gratia* dictus, ſed *fallax*. Pulchritudo corporea Nazianzeno *temporis & morbi ludibrium*, Boëtio *vernalium florum mutabilitate fugacior*, Senecæ *exigui donum breve temporis*. Florem decoris ſinguli carpunt dies. Non reſpicit Mulier fortis ad vanitates & inſanias falſas, ſed eis ſpretis timori Domini ſeſe impendit ac ſuperimpendit. *Fol.* 159.

CAPUT XL.

Corporea pulchritudo bonum quidem Dei munus eſt, ſed ideò commune etiam malis, ne magni pendatur à bonis. Bonorum diviſio in magna, media, & minima, cum ſingulorum membrorum ecphraſi. Crebriùs venuſtas quàm deformitas trahit in vitia, quorum nonnulla memorantur. Pavo typus pulchrorum ex formâ ſuperbientium, & laſcivientium. Non tam optanda quàm timenda eſt formæ dignitas, ut poſſidentibus gravis, appetentibus exitioſa, conjunctis periculoſa, tentationibus expoſita, ſcandalis circumdata. Magno cum periculo cuſtoditur, quod multis placet. Pulchritudinis deſcriptio, cum requiſitis ad eam. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt*. Cupidinem cur *pharetratum* dixerit Gentilitas? Ignis non niſi tangentes uſtulat, pulchritudo eminùs etiam proſpecta inflammat. De aproxi & naphthâ, ignem è longinquo prolicientibus. Abraham & Iſaac ob uxorum ſpeciem periclitati, Vrias interemptus. De B. Brigidâ & S. Alexandro Carbonario, deformitatem ſibi optantibus, & accientibus. Deprædari deſiderat qui theſaurum publicitus oſtentat. Quantam pudicitiæ ſtragem Græcis ſuâ pulchritudine intulerint *Lais* & *Phryne*, Romanis *Flora*? Cratis Philoſophi ſarcaſmus in titulum meretrici à Thebanis inſcriptum. Romanorum *Floralia* unde originem & appellationem hauſerint? Sicut Thebana inſcriptio velut trophæum extitit laſciviæ Græcorum, ita *Floralia* laſciviæ Romanorum. *Fol.* 163.

CAPUT XLI.

Digreſſio à pulchritudine nativâ, ad aſcititiam: cujus prima ſuggeſtio ſatanico adſcribitur magiſterio. Ejus ſtudium non modò feminas infatuat, ſed & mares adeò effeminat, ut non tam viri ſint dicendi, quàm *batali*, vel *feminelli*. Grandem Deo pſalmatori ſuo injuriam irrogant, qui vultum ab eo primitùs

forma-

Digitized by Google

formatum, quaſi peritiores artifices reformare, emendare, ſuperpolire præſumunt; ipſo auſu protervè expoſtulantes cum eo qui ſe finxerat, *Quid nos feciſti ſic?* His applicat Origenes increpationem Euangelicam *Exterminant facies ſuas.* Pro eo autem quòd Dei plaſticam exterminant, exterminio obnoxii fiunt: non enim agnoſcet Iudex ſummus in die noviſſimo vultum, quem non ipſe fecit, ſed diabolus ejus hoſtis infecit. Impudicus habitus corporis, nuncius eſt adulterini cordis. Amici Sponſi diligentes decorem domûs Dei non debent talibus adulteris connivere, ſed palam oblatrare; ne Prophetico ſubjaceant opprobrio, *Canes muti latrare non valentes.* Non ſemper in malo accipiendi ſunt *canes*, ſed boni ſunt qui vigilanter latrant pro domo, pro domino, pro grege, pro Paſtore. Animarum curiones & Euangelii præcones Demoſthenicâ anginâ corripiuntur, cùm vel adipiſcendi cupidine, vel amittendi formidine elinguantur. Recenſentur particulariùs ex Auguſtino plures oblatrandi obices, quibus canes myſtici inexcuſabiliter redduntur elingues: quos inter eminet *timor verbi aſperi*, quo crebriter impelluntur in laqueum diaboli. *Fol.* 170.

CAPUT XLII.

Bina ex Scripturis profertur objectio, pro vindicando pulchritudinis ſtudio: prima ex Eccleſiaſtico, priſcos Patriarchas ob *pulchritudinis ſtudium* laudante; altera ex Apoſtolo, *habitum ornatum* matronis Chriſtianis commendante. Pulchritudo alia corporis exterior, eaque vana; alia animæ interior, eaque ſola vera. Hâc potiùs quàm illâ aſſimilamur Conditori noſtro, totius pulchritudinis archetypo: & ob hujus, non ob illius ſtudium laudati ſunt veteres heroes. Secunda objectio partim ex Apoſtoli vulgato contextu, partim ex aliis originalis idiomatis traductionibus eliditur. *Habitûs ornati* periphraſis ex Baſilio. Neminem ornat, niſi quod ipſum decet. Quæ nativam pulchritudinem reddunt magis timendam quàm optandam, nihilo minùs aſcititiam reddunt magis vitandam quàm ambiendam; quæ & propriis inſuper fœdatur nævis, & diſpendioſi geniminis incommodatur noxis: quarum noxarum nonnullæ ex Chryſoſtomo referuntur, ac ſingulatim perpenduntur. Aviditati ſignanter muliebri ſufficere nequeunt quantivis theſauri. Immane pulchritudinis ſtudium typicè adumbratur in *ſanguiſuga* Salomonica, binis fœcundatâ filiabus, dicentibus: *Affer, affer.* Oppiæ Paulinæ luxus gemmarius ex Caio Plinio æquans aureorum millionem. *Fol.* 176.

CAPUT XLIII.

Nova adversùs mox traditam doctrinam inſtantia, ex trimembri reſponſo Auguſtini ad conſulta Poſſidii. Verus Chriſtianorum in utroque ſexu ornatus non modò nullus fucus mendax, verùm nec auri quidem aut veſtis pompa, ſed mores boni ſunt. Fucorum præſtigiæ feminis cujuſvis ſtatus, ſimiliter & inaurium ſuperſtitiones viris, indiſſimulanter ab hierarchis interdicendæ ſunt. Familiare eſt nuptis ſuperfluitatem cultûs & ornatûs ſui excuſare prætextu maritis placendi, cùm tamen crebrò immiſceatur libido ſe etiam extraneis oſtentandi. Scripturarum utriuſque Teſtamenti cum priſcis Patribus in pompoſi ornatus exterminium conſpiratio. Eidem ornatui nequaquam Auguſtinus patrocinatur, licet nolit ut ab Antiſtite nuptis aut nupturientibus *præpropere* inhibeatur. Auguſtini locus Chryſoſtomiani loci juxtapoſitione elucidatur, atque ex utriuſque conſonantiâ ſuperfluitas Mundi muliebris perſtringitur. Quod *ſecundùm veniam* indulgetur, culpabile ſubindicatur. Alia objectio, ex Hieronymi in Pelagianos improperio ſumpta diluitur; & Pelagianorum aliquot dogmatum catenatio oſtenditur. Dum ſtulti vitant vitia, in contraria currunt. Extremitates cavendæ, mediocritas amplectenda: & hujus amuſſis undè ſumenda? Ritus hominum pro temporum ac locorum diverſitate variatur, juſtitiæ œcumenica uniformitas quoquoversùm dilatatur. *Fol.* 181.

CAPUT XLIV.

Finalem ejuſdem Alphabetici Poëmatis verſiculum inchoat noviſſima Hebraici Alphabeti littera, *Thau* dicta, cujus ſeptenæ interpretationes percenſentur, ut *Terminus*, *erravit*, *conſummavit*, *Signum*, *Crux*, *Stupor*, *Scriptura.* Mulieri forti univerſas haſce interpretationes congruere inductitiè monſtratur. Illuminatio ſubſequens terminat & conſummat errorem priſcum, ut locum habeat propheticum celeuſma, *Vetus error abiit.* Præteriti temporis verba excluſionem præſentis crebrò ſubimportant. *Signum* in Scripturis antonomaſticè pro cruce Chriſti ſumptum, quam & ipſe Chriſtus appellat. *Signum filii hominis.* Littera *Thau* juxta veterem Hebræorum characteriſmum, Samaritanis etiamnùm uſitatum, exhibet figuram crucis, quam Chriſtiani ſuis appingunt frontibus. Abſque crucis ſignaculo nulla ritè perficiuntur inter Chriſtianos myſteria. Crucis præconia ex Andrea Cretenſi. Mulierem fortem *ſtupore* percellit crucis Chriſti ſplendor, & ſupereminentia. Ipſius vox eſt ore Apoſtoli expreſſa, *Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Sacra utriuſque teſtamenti Scriptura ad Eccleſiam iure pertinet, tanquam Epiſtola à ſuo Sponſo ad

Digitized by Google

ipſam de ſuperno habitaculo miſſa. Infideles omnes, ſignanterque hæretici, nihil habent juris in Chriſtianorum litteras, ut quæ ſoli Sponſæ agni ſint miſſæ, concreditæ, ac fideicommiſſæ. *Fol.* 187.

CAPVT XLV.

Noviſſimus ejuſdem alphabetici Poëmatis verſiculus à littera *Thau* cœptus, ſub varietate verſionum ſiſtitur, & enucleatur. Mulieris fortis ab una parte, & Meretricis Apocalypticæ ab altera, merita conferuntur ac mercedes, ſed per antitheſin. Quaternæ ex Auguſtino retributiones commemorantur, & exemplarizantur: prima bonorum pro bonis, ſecunda malorum pro malis, tertia bonorum pro malis, quarta malorum pro bonis: quarum ſola poſtrema Deo extranea eſt; duæ primæ ad juſtitiam, tertia ad miſericordiam pertinet. Niſi Deus retribueret bona pro malis, deeſſent quibus retribueret bona pro bonis, ſed ſupercrebeſcerent quibus retribueret mala pro malis. Tanta eſt erga homines Dei benignitas, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius munera. Vita æterna ita eſt merces meriti, ut nihilominùs ſit gratia pro gratia: & qua ratione? Conciliantur verſiones quarum altera Mulieri forti laudes adſcribit, quas altera in virum ejus transfundit. Primitivæ Eccleſiæ praxis glorificandi Deum ex converſione infidelium, & converſatione virtuoſâ fidelium. Placuit Deo *ut non glorietur omnis caro coram ipſo*: non quidem mali, quia non habent unde; nec item boni, quia nonniſi ex ipſo habent unde. Expenditur quod ſcriptum eſt, *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* Ipſa divinorum munerum ſuſceptio non modica eſt divini muneris portio. Apoſtoli dictum, *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei* diſcutitur, & cur reciprocari nequeat ediſſeritur. Deo aſſignandus eſt ſalutaris operis primatus, voluntati caducæ non niſi ſecundatus. Multa facit Deus in homine bona, quæ non facit homo; nulla verò facit homo quæ non facit Deus, ut faciat homo. Tantò quiſque eſt beatior, Deoque conjunctior, quantò plus in eo fuerit gratiæ divinæ, quàm actionis humanæ. *Fol.* 194.

CAPVT XLVI.

Variorum Tractatorum ſuper eodem verſiculo commentaria exhibentur, ut Bedæ, Rabani, Salonii, & Arborei, vulgatam editionem ſequentium; necnon Ambroſii & Auguſtini, editioni 70. Interpretum inſiſtentium. Quædam Ambroſiani commentarii verba ab Auguſtino in ſuo ſtudioſè omittuntur, ne ab electionis gratuitæ hoſtibus in patrocinium ſui erroris traducantur. Ambroſii elogium ex Pelagio, cui ſubjungitur alterum ex Auguſtino. Hilarii Luciferiani commentarius in Paulinas Epiſtolas Ambroſio perperàm ſuppoſitus. Ejudem Ambroſii genuinis codicibus clauſulæ quædam ſpuriæ ſubintruſæ. Vſque poſt Ambroſii deceſſum Auguſtinus ab errore quem poſtea amplexi ſunt Maſſilienſes non plenè correctus. Prædeſtinationis gratuitæ cum vera Chriſti gratia concatenatio, & Ambroſii per Auguſtinum à Semipelagianiſmi opprobrio vindicatio. Expenditur illa Chriſti in fine judicaturi ſententia, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione Mundi: Eſurivi enim* &c. Merita bonorum operum ſunt cauſa vel ratio regnum cæleſte *poſſidendi*, an etiam *parandi*? Hæreſes emergentes reddunt catholicos Tractatores in prædicando ac ſcribendo cautiores & circumſpectiores. Cæleſtis regni *paratio* alia eſt prædeſtinatoria, eaque æterna, ac Deo interna; alia executoria, eaque temporaria, ac Deo externa. Iuxta hanc diſtinctionem conciliatur illud Chriſti, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, cum iſto ejuſdem ad diſcipulos, *Vado parare vobis locum.* Libri de vocatione Gentium Ambroſio abjudicantur, & ab errore quodam typographico expurgantur. *Fol.* 200.

CAPVT XLVII.

Mulieri forti ſub hominis myſtici parabolâ aſſignantur varii ætatum gradus, ſignanter ex Proſpero *juventus, ætas maior, ſenectus.* Galeno ætas hominis paracmaſtica quandonam incipiat, & deſinat? Trina Eccleſiæ tempora ex Auguſtino memorantur, *ante legem*, *ſub lege*, *ſub gratia*; quorum quolibet viſitavit Deus plebem ſuam. Pelagii ac diſcipulorum ejus abuſio, ſine hujus partitionis reſpuenda præjudicio. Non ſatis plena eſt diſtributio fidelium, in eos qui præceſſerant, & eos qui ſubſequuntur converſantem hîc Chriſtum. Quod ſcriptum eſt, *Non eſſe aliud nomen ſub cælo in quo oporteat nos fieri ſalvos*, ex illo tempore valet ad ſalvandum genus humanum, ex quo in Adam eſt vitiatum. Myſteriis pro temporum ratione variatis, fides in Chriſtum quâ vivimus nullâ fuit ætate diverſa. Statim ut humanum genus diabolica malignitas veneno ſuæ mortificavit invidiæ, Deus ſuæ pietatis remedia renovandis mortalibus prædeſtinata, inter ipſa Mundi primordia præſignavit: denuncians Serpenti futurum ſemen Mulieris, quod noxii capitis elationem ſuâ virtute contereret. In cauſa primi & ſecundi Adam, quorum ille nos præcipitavit in mortem, iſte liberavit ad vitam, propriè fides Chriſtiana conſiſtit. Chriſtus Dei & hominum mediator eſt non ſub ea ratione qua æqualis eſt Patri, ſed ſub ea quâ conſubſtantialis nobis, ſuperior tamen nobis. *Fol.*207.

CAPVT

Digitized by Google

LIBRI SECUNDI

CAPUT XLVIII.

Eccleſia ex vi nominis importat vocationem, & hæc præſupponit vocandorum averſionem; quam ſimiliter ſupponit Auguſtiniana definitio prædeſtinationis, quæ fons eſt & origo vocationis, dicente Apoſtolo: *Quos Deus prædeſtinavit, hos & vocavit.* Liberari propriè eſt liberum fieri, perinde ac ſalvari, ſalvum fieri; & ſanari, ſanum fieri. Nonniſi per gratiam Liberatoris quiſquam ſolvitur vinculo ſervitutis, à qua eſt hominum nullus immunis. Si homo non periiſſet, Filius hominis non veniſſet: *Ars tua Tiphy jacet, ſi non ſit in æquore fluctus: Si valeant homines, ars tua Phœbe jacet.* Cauſa reparationis noſtræ non eſt niſi miſericordia Dei, cujus abyſſum abyſſus noſtræ miſeriæ invocavit; quâ nunquam, ſecluſo demerito, premeremur. Cum in Angelis & in primis parentibus innocuis nulla præceſſerit averſio, in iis locum non habuit Eccleſiaſtica vocatio: adeòque non ad eos exporrigenda eſt Eccleſiæ nomenclatio. Eccleſia ſicut adolevit, maturuit, & ſenuit ex fide & in fide *Mediatoris*: ita & cœpit. Theologorum Lovanienſium ternio in hanc ſententiam conſpirans ſiſtitur, Lenſeus, Latomus, Wiggerius. Ad hoc deſtinatus eſt mediator, ut jacentes erigeret, averſos converteret, alienatos reconciliaret. Perpetuam Eccleſiæ indefectibilitatem non ſatis providè propugnant, qui ejuſdem Eccleſiæ incunabula ad ſtatum uſque innocentiæ originalis anticipant. Sicut aſtruenda eſt Eccleſiæ in fide firmitas, ita & in ſanctitate ſtabilitas: cui enim ait Dominus, *Sponſabo te mihi in fide*, eidem quoque ait, *Sponſabo te mihi in juſtitia*: & quia ibidem additur, *Et in miſericordia*, haud dubium quin hanc ſponſationem anteceſſerit miſeria: quâ utpote ſecluſâ otiatur miſericordia. *Fol.* 211.

CAPUT XLIX.

Neoterici cujuſdam poſitio ſiſtitur & eliditur, contendentis Eccleſiam ab innocentiæ primordialis ſtatu cœpiſſe, nec per ſubſecutum protoplaſtorum lapſum deſiiſſe, eò quòd lapſus ille non fuerit à fide, ſed duntaxat à ſanctitate ac reliquis dotibus eidem ſubnixis. Maſſilienſes cenſuiſſe Adamum à fide non excidiſſe, oſtenditur ex Hilario & Proſpero, majoribus omni exceptione teſtibus. Piam credendi voluntatem, ſine qua fides vera non ſubſiſtit, ſi primus homo non perdidiſſet, omnis homo eam deinceps naturaliter poſſideret. Arauſicanus canon huc ſpectans exhibetur. Fidei reliquariæ everſio ex Auguſtino. Protoplaſtum antiquo ſerpenti credidiſſe, & priſtinam Dei fidem amiſiſſe, oſtenditur perſpicuis Proſperi, Fulgentii, ipſiuſque Auguſtini teſtimoniis. Quo ſenſu dicat Proſper Adamum perdidiſſe fidem *primitùs*? Delicti Adamici in ſua velut membra partitio. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo.* Proferuntur aliorum Tractatorum ſuffragia, qui, partim ante, partim poſt Auguſtinum & Proſperum & Fulgentium, perhibuerunt, Adamum prævaricando amiſiſſe fidem, incurriſſe perfidiam. Concluditur demùm, Eccleſiæ infantiam non eſſe ad ſtatum uſque innocentiæ anticipandam, ſed poſt protoplaſtorum lapſum inchoandam: & præfati neoterici inconſtantia in quibuſdam huc ſpectantibus detegitur. *Fol.* 215.

CAPUT L.

Mulier fortis ſub ratione hominis myſtici eaſdem ætatum varietates ſubit, quas homo phyſicus. Populus Romanus à Servio Tullio in tres ordines pro ætatum diſparitate diſpertitus, *pueros*, *juvenes*, *ſenes*. Pythagoras quadripartitam ſtatuit hominis vitam, ſecundùm quatuor anni quarteria, ut veri reſpondeat *pueritia*, æſtati *adoleſcentia*, autumno *juventa*, hiemi *ſenecta*. Varronis ſententia de quinque humanæ ætatis gradibus, diverſimodè à diverſis relata, & cuique gradui ſua trimembris ſubdiviſio aſſignata. Ab Iſidoro ſubinde tres aſſignantur ætatum differentiæ microcoſmo; ſubinde ſex, ut & macrocoſmo. Ambroſio poſt Philonem placuit ſeptimembris ætatum partitio ab Hippocrate procuſa, uti & decimembris à Solone tradita. Singulæ hæ ætatum differentiæ transferuntur cum proportione ad Eccleſiam tanquam hominem myſticum; cui à quibuſdam aſſignantur tres, ab aliis quatuor, à nonnullis quinque: à plerisque ſex, ab aliquibus item ſeptem, imò & decem ſectiones ætatum: quidni & duodecim, ſecundùm totidem *Horas diei*; perinde ac quatuor, ſecundùm totidem *vigilias noctis*? Analogia ætatum Eccleſiæ cum primis diebus creationis Mundi. Singulæ ætates Eccleſiæ ſuos habent terminos inchoationis, ſolâ ultimâ carente termino inſuper finitionis. Sicut non æquantur inter ſe gradus ætatis humanæ, ita nec Eccleſiaſticæ. *Fol.* 223.

FINIS SYNOPSEOS.

Digitized by Google

MEMORIÆ PERPETI

Eximii Viri D. ac M. N.

JOANNIS SINNICHII,

DUM

SAULIS EXREGIS

LIBER SECUNDUS,

Opus illuſtre, licet morte interruptum, ederetur.

SINNICHII manes, & non tibi flebilis umbra,
Sed tamen heu! nimiùm flebilis umbra tuis!
Vive, beate cinis, dum te tua fama ſuperſtes,
Scriptaque poſt cineres jam vetuêre mori.
En hodie rediviva typis de morte triumphat
Gloria, quæ libris prodiit ampla tuis.
Sic quoque magna quidem; ſed quantô gloria major,
Summa manus totum ſi cumulaſſet opus!
Heu! licuit ſperare. Dabat ſpem meſſis in herbâ:
Invida ſpes omnes mors citò falce ſecat.
Ante diem lugenda dies! quâ ſidus ademptum
Lovanio, fidei penna, ſcholiſque decus.
Relligio perdit clypeum: dolet. Hæreſis hoſtem:
Gaudet. Athenæum ſpem columenque: gemit.
Ipſe coronandus jam penè coronide SAUL,
Perdidit hanc: tanto quanta ruina libro!
Nec liber hæc unus ſentit diſpendia: Viva
SINNICHIVS totus bibliotheca fuit.
Sed quid adhuc de morte citâ queror? inclyta virtus,
Jam dudum cœlo debita, ſerò data eſt.
Nîl opus inferiis luctûs, ſed honoris. Id unum
Reſtat, ut inferias livor adeſus eat.

Ponebat Gymnaſium SS. TRINITATIS,
Lovanij.

Digitized by Google

SUMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum & Indiarum Regis Catholici, Sereniſſimi Belgarum Principis Diplomate, conceſſum eſt HIERONYMO NEMPAEO Typographo jurato in Academia Lovanienſi reſidenti, ut libere imprimat ac divendat, toto novennio proximo, Secundum Librum SAVLIS EXREGIS Authore IOANNE SINNICHIO Iberno Corcagienſi, Sacræ Theologiæ in eadem Academia Doctore & Profeſſore Ordinario: interdictumque ne quiſquam alius eundem Librum intra Brabantiam imprimere, aut alibi impreſſum divendere, citra expreſſum eiuſdem Typographi conſenſum præſumat; ſub pœna confiſcationis exemplarium, & triginta inſuper florenorum in ſingula: prout latiùs patet ex Originali ipſo Diplomate dato Bruxellæ

SIGNATO

LOYENS.

CENSV-

Digitized by Google

CENSVRA.

HIc Liber Secundus qui inſcribitur SAVL EXREX, *quinquaginta Capita complectens, nihil continet fidei Catholicæ, aut Chriſtianis moribus repugnans. Quem etſi Author morte præventus abſolvere nequiverit, propter doctrinam tamen ſublimen in eo traditam, prælo & publicæ luce dignum cenſeo. Datum Lovanii die* 7. *May* 1667.

JACOBUS PONTANUS S. Theol. Doctor & Profeſſor ac Librorum Cenſor.

SAUL

Digitized by Google

SAUL EXREX.
SIVE
DE ISRAELITICÆ GENTIS
PROTOMONARCHA,
DIVINITUS PRIMUM SUBLIMATO,

AC DEINDE

OB VIOLATAM RELIGIONEM

PRINCIPATU VITAQUE EXUTO,

NEC NON

DE ALIIS REGIBUS AC PRINCIPIBUS

TEMERATÆ RELIGIONIS REIS,

IDEOQUE CAELITUS ANIMADVERSIS.

LIBER SECUNDUS

Exhibens invictam Sanctæ Eccleſiæ, per SAMUELIS DIPLOIDEM à SAULE SCISSAM figuratæ, conſtantiam ac prævalentiam: ut quæ ab impiis, inſtigante ſatanâ, ſingulis quibuſque à ſuo ortu ſæculis tentata & impugnata, adeò nunquam perverti vel expugnari potuerit, quòd etiam per paſſiones ac neces ſuorum ſemper ei triumphi laureæque accreverint.

CAPUT PRIMUM.

Nexus hujus Voluminis cum ſuperiore. Inauditum eſt quòd Eccleſiæ perſecutores ultricem Dei manum evaſerint. Expenditur Pſalmographi oraculum, Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum. *Conſtantii Cæſaris Ariani inſulſa tranſverſio ejuſdem oraculi; in patrocinium Arianiſmi. Caligulæ Cæſaris inſana triumphandi aviditas, de philautiæ titillamine ſuppullulans. Tam facile ac proclive eſt ut ſeipſum quis fallat, quàm arduum ac difficile ut ſe accuratè pernoſcat. Corripientem durâ cervice ſpernenti repentinus ſuperveniet interitus. Querela piorum de temporali proſperitate impiorum diſcutitur, & prædictus nequaquam obſtare monſtratur.*

I. SUperiore hujus Operis volumine SAULEM exhibuimus, propitiâ primùm Numinis dignatione REGEM, ac deinde ſeverâ ejuſdem animadverſione EXREGEM: qui myſticum Samuëlis Hierarchæ amictum, typo Eccleſiæ ſacroſanctum, diſcerpendo, eiuſdem Eccleſiæ perſecutores, conſimili dethronizationis ultioni obnoxios, figuravit: de qualibus ante annos jam circiter quingentos aiebat Petrus Bleſenſis: A. Inauditum eſt, quòd Eccleſiæ [A. Pet. Bleſenſis Epiſt. 124.]
„ perſecutores ultricem illius manum evaſe-
„ rint, qui potentes potenter punit, qui ſem- [Vide Cyprian. lib ad Demetrianum.]
„ per ſuperborum ac ſublimium colla propriâ virtute calcavit". Iamdudùm etenim Pſaltes Regius Spiritu Sancto afflatus cecinerat, *Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum.* Ubi Hilarius: B. In *virga*, inquit, po- [Pſal. 124. 3.] [B. Hilar. in Pſal 124.]

Digitized by Google

,, teſtatem intelligi convenit: inſigne enim eſt
,, poteſtatis. Virgam accepit Moyſes, quâ poſſet
,, omnia; fuit & virga Aaron: ſed fuit & vir-
,, gâ Pharaonis, fuit & virga Nabuchodonoſor.
,, Ergo in circuitu nos Dominus cuſtodit, ne
,, ſuper ſortem noſtram virga peccatorum de-
,, relinquatur. Veniunt quidem tribulationes,
,, ſed non permanebunt: veniunt perſecutiones,
,, ſed non perſiſtent. Multi redigere liberta-
,, tem fidei noſtræ in captivitatem volunt, ſed
,, confeſſioni noſtræ quam in Chriſto habemus
,, nemo dominatur. Non enim ſuper ſortem
,, juſtorum derelinquetur virga peccatorum:
,, Dominus namque in circuitu populi ſui eſt
,, in æternum, ne victi & fatigati imperio
,, virgæ extendamus ad iniquitatem manus
,, noſtras: ſed virga cùm inciderit, aufere-
,, tur; & peccator cùm incubuerit, non de-
,, relinquetur. Breve eſt quicquid patimur
,, ab adverſariis Dei: & habet victoriæ præ-
,, mium, licèt non habeat prælii longi la-
borem. Dominus adeſt". Ubi obſervandum, communem eſſe *virgæ* nuncupationem utrique poteſtati, juſtæ nimirum, & iniquæ; ſed Pſalmographum ſignatè loqui de *virga peccatorum*, hoc eſt, de poteſtate iniquâ, ſaltem quoad uſum. Unde Caſſiodorus in

C. Caſſiod. in Pſal. 124. commentario ejuſdem verſiculi: [C] Iniquam
,, poteſtatem, inquit, non permittit Domi-
,, nus diutinâ libertate graſſari: ut intelligant
,, fideles, ad patientiæ ſuæ probationem hoc
,, ſuperbis breviſſimo tempore fuiſſe conceſ-
,, ſum. Poterant enim ſervi Dei animos ſuos ad
,, iniquitatem forſitan extendere, ſi perſe-
,, cutionem crederent longis temporibus per-
,, manere. *Sors* verò *juſtorum* eſt hæreditas
,, Domini, id eſt, religio Chriſtiana: ſuper
,, quam non ſinit diutiùs crudeles tyrannos
,, inſurgere, ne poſſint Eccleſiam Domini
,, longiſſimâ perſecutione conterere. Dicendo
,, enim, *Non derelinquet*, ſignificat, quòd etſi ad
,, tempus tentator permittatur, non tamen in
,, ſua libera poteſtate deſeritur: cui potiùs finis
,, malus, & lamentabilis præparatur interi-
tus". Mathathias Machabæorum Procerum Pater, probè ſciens Antiochi tyranni poteſtatem, in Judæos immaniter exertam, nihil aliud fuiſſe quàm virgam peccatoris ſuper ſortem juſtorum, cum ingenti fiduciâ dice-

1. Mac. 2. 62. & 63. bat ſuis filijs mox moriturus: *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius ſtercus & vermis eſt: hodie extollitur, & cras non invenietur.* Indidem quoque Athanaſius ſumpſit confidentiam comparandi perſecutionem Ju-

D. Sozom. l. 5. Hiſt. c. 15. Vide Ruffin. l. 1. c. 34. liani Auguſti, nubeculæ tranſitoriæ: [D] Cùm
,, enim propter Imperatoris (*Iuliani*) Edi-
,, ctum Alexandriâ diſceſſurus eſſet, & mul-
,, titudinem Chriſtianorum circa ſe ploran-

Athanaſius. ,, tem cerneret: *Bono animo*, inquit, *eſtote: nubecula eſt, & citò tranſibit*". Non abſimili fiduciâ Gregorius IX. Pontifex, Friderico II. Imperatori in Eccleſiam immaniter ſævienti, ac ſeipſum *Orbis malleum* futurum jactanti, reſcripſiſſe fertur: [E] *Fata volunt, Scriptura docet, peccata loquuntur: Quod tibi vita brevis, pœna perennis erit.* Ubi inſertione iſtius clauſulæ, *Scriptura docet*, alludere videtur ad præmemoratum Pſalmographi oraculum, *Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum.* Neminem verò conturbet aut ſcandalizet, quod Pontifex *fata* nominet. Neque enim Gentilitia fata aſtruere intendit, ſed divinam providentiam eo vocabulo intelligit: [F] Quid enim

E. Greg. IX. apud Spondanum Anno Chriſti 1239. n. 6.

PRÆOCCUPATIO.

F. Minut. in Octavio. Vide Aug. l. 5. de Civit. c. 8. & 9. & l. 2. ad Boniſ. c. 5.

,, aliud eſt *fatum*, inquit Minutius Felix,
,, quàm quod de unoquoque noſtrûm fa-
,, tus eſt Deus? Qui cùm poſſit præſcire
,, materiam, pro meritis & qualitati-
,, bus ſingulorum etiam fata determi-
nat".

II. Illud prætereà advertere hoc loco profuerit, prædicti oraculi veritatem non modò genuinis Eccleſiæ filijs ac Præſulibus, ſed ipſis etiam hoſtibus ac perſecutoribus fuiſſe perſuaſam. Exemplo eſſe poteſt Conſtantius Auguſtus, Conſtantini Magni filius, Juliani Apoſtatæ in Imperio prædeceſſor; qui tametſi Arianæ perfidiæ tantus extiterit fautor, & avitæ religionis oppreſſor, ut ab Athanaſio *Saulis imitator, alter Pharao, præcurſor & imago Antichriſti* appellaretur; credidit tamen Imperii diuturnitatem nequaquam conſiſtere poſſe cum Eccleſiæ orthodoxæ infeſtatione: & idcircò velut à contrario ſenſu inferebat ex diuturnitate ſui Imperii, veram religionem penes Arianos eſſe, quibus adhærebat; non penes Homouſianos, quos affligebat. Verba ejus, apud Luciferum Calaritanum lib. de Regibus apoſtatis, ſunt iſta: *Niſi Catholica eſſet fides Arii, hoc eſt, mea; & niſi placitum eſſet Deo quod iſtam perſequar fidem quam contra nos ſcripſêre apud Nicæam, nunquam profectò adhuc in Imperio florerem.* Tanquam diceret: Diuturnitas Imperii mei arguit rectitudinem profeſſionis meæ, & juſtitiam perſecutionis meæ; quibus reſpectivè proſequor Arianos, & perſequor Homouſianos: niſi enim illa eſſet recta, & iſta juſta, non ſineret me tamdiu imperare is, de quo ſcriptum eſt: *Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum.* Sed vanam fuiſſe iſtam Conſtantij gloriationem repentinus ei ſuperveniens pateſecit interitus, quo paulò pòſt periit, apoplexiâ oppreſſus, in flore adhuc ætatis, vix quadrageſimum vitæ annum ſupergreſſus: [G] Cùm Imperator Conſtantius, inquit
,, Socrates, Antiochiæ commoraretur, Cæ-
,, ſar Julianus cum multis Barbaris conflixit,
ac victor

Vide Athan. Epiſt. ad Solit. vitam agentes, & Hilarium l. contra Conſtantium.

Lucifer Calaritanus. Conſtant. Vide Baron. An. Chriſti 351. n. 10. & ſeqq.

G. Socrat. l. 2. Hiſt. cap. 46.

Digitized by Google

„ ac victor evaſit. Ob quam cauſam militibus acceptus, Imperator ab eis creatur. Hoc „ nuntiato, Imperator Conſtantius in periculum & ſollicitudinem conjicitur. Baptizatus igitur ab Euzoio, ad bellum contra „ Julianum accingitur. Cùm autem inter „ Cappadociam & Ciliciam ad Mopſi fontes eſſet, præ ſollicitudine correptus apoplexiâ vitam finivit ". Quanquam autem Socrates ibidem ſubſequenter ad annos quinque ſupra quadraginta vitam ejus proroget, Ammianus tamen Marcellinus, Scriptor penè ſynchronus, quinquennio propemodùm breviorem definit : H. Abiit è vitâ, inquiens, „ tertio Nonarum Octobrium, Imperii vitæque anno quadrageſimo, & menſibus paucis ". Ex quo apparet eum ab incunabulis Imperatorem à Patre Conſtantino fuiſſe deſignatum : unde & Socrates loco mox notato, eum tredecim annis cum patre imperaſſe teſtatur : quo certè tempore nec voluit nec valuit Eccleſiam perſecutione affligere ; uti nec ſequentibus annis totidem, quibus partim cum utroque partim cum altero fratre conregnavit. Reliquum denique Imperii ejus ſpatium nec diutinum cenſeri debuit, nec floridum ; præſertim cùm ab initio crudelitatem exercuerit in ſuos etiam propinquos, & ad extremum Julianus uſurpato Imperio repentinum ei interitum accelerârit. De hoc poſtremo mox diximus : de priori ait ibidem inferiùs idem Marcellinus : " Fas eodem loco ducens & nefas, Caligulæ & Domitiani & Commodi immanitatem facilè ſuperabat ; quorum æmulatus ſævitiam, inter imperandi exordia cunctos ſanguine & genere ſe contingentes turpiter interemit ". Qui rurſùs, univerſum Imperii ejus tempus perſtringens, ſubdit inferiùs : " Ut autem in externis bellis hic Princeps fuit ſaucius & afflictus, ita proſperè „ ſuccedentibus pugnis civilibus tumidus, & „ inteſtinis ulceribus Reipublicæ ſanie perfuſus horrendâ ". Si hoc ſit *florere*, fatendum erit Conſtantium *in Imperio floruiſſe* : Sed quia hoc non tam eſt florere, quàm ſterileſcere & areſcere ; idcircò inanis fuit Conſtantii gloriatio, & perverſa Prophetici oraculi applicatio, & inſulſa exinde facta collectio. In Apocalypſi legimus, quempiam amore ſui inebriatum gloriabundè dixiſſe, *Dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo*. Sed continuò repreſſus eſt divino iſto reſponſo : *Neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus* : unde ſuadetur ei *Inungere collyrio oculos ſuos, ut videat*. Quid videat? Utique ſe non eſſe talem, qualem autumaverat : ſe non eſſe in Imperio floridum, ſed *externis bellis ſaucium & afflictum*, prout de Conſtantio Marcellinum mox locutum audivimus. Collyrio

H. Ammiã. Marcell. lib. 21.

Vide Ruffin. l. 1. Hiſt. c. 26.

Apoc. 3. 17.

Ibid. v. 18.

item indiguit Caius Caligula, quando ſimili philautiâ excæcatus putavit ſe oceani victorem, quòd in littore collegiſſet multitudinem conchyliorum : I. Ad oceanum profectus ; ait de ipſo Caſſius ; tanquam in „ Britanniam tranſlaturus bellum, omnes in „ acie milites ſuos propter litus collocavit, „ ipſe triremi conſcensâ paululùm à terrâ „ avectus rediit ; ac deinde alto in ſuggeſto „ conſidens, ſignum pugnæ militibus dedit, claſſicumque canere juſſit : ac ſubitò „ mandavit ut conchylia legerent : His partis ſpoliis, nimirum exuviis hoſtium ad „ triumphum indigens, animum ſuſtulit ; quaſi ipſum oceanum ſubegiſſet ". Vis plura hujus philautiæ obtenebrationis ſymptomata? Audi quid idem Hiſtoricus ibidem poſt pauca de eodem Imperatore ſubtexat : " Humano faſtigio, inquiens, altior haberi „ volebat ; ſeque cum Lunâ coire, & à Victoriâ coronatum eſſe videri ; Jovem etiam „ ſe fingebat, eâque occaſione cum multis „ aliis mulieribus, & cum ſororibus congreſſum eſſe, præ ſe ferebat : Sæpe Juno, „ Diana, Venuſque fiebat, mutato cum nomine etiam omni habitu ".

I. Dio Caſſius lib. 59. Vide Suetõ. in Caligula cap. 46.

III. Videmus hinc quàm verè ac ſapienter monuerit pridem Gregorius Theologus, „ K. Nihil facilius eſſe, quàm ut ſeipſum quis „ fallat; ac ſe exiſtimet aliquid eſſe, cùm nihil ſit: inani videlicet opinione inflatus". Et poſt hunc Peluſiota: L. Etſi multa, inquit, prompta „ ſint, factuque facilia; nihil tamen facilius magiſque obvium, quàm à ſe quemque decipi". Hoc ideò, quia nihil difficilius ac minùs obvium, quàm ſe quemque cognoſcere : „ M. Non facile eſt, inquit Nyſſenus, ut etiam „ is qui verè atque ex animo cupit ſeipſum cognoſcere, id aſſequatur. Nulla enim ratio tribuit, ut quod fieri nequit, effici queat. Nam „ quod naturâ corporeis oculis datum eſt, ut „ cùm reliqua videant, ſe ipſi nequeant intueri; idem animo contingit, ut cùm cætera omnia exploret, & quæ extra ſe ſunt diligenter „ inquirat & perveſtiget, ſe ipſe videre non poſſit". Unde quidam Deo devotus exclamat cum Pſalmographo, *Indica me Domine:* ac tum ſubdit, N. Vellem ſcire qualis ipſe ſum, „ ſed vix de meipſo vera diſcernere poſſum: „ amor namque privatus, quem erga meipſum „ habeo, aufert à me verum judicium de meipſo. *Indica* ergo *me Domine*, qui veraciter noſti me. Tu mihi dicis de te, *Ego ſum Veritas*; „ & ego ſcio, quia *omnis homo mendax*. Parum „ itaque mihi de meipſo credo, utpote homini mendaci ; timens ne ſi meipſum judico, *mentiatur iniquitas ſibi*". Mentita prorsùs ſibi eſt Conſtantii Auguſti iniquitas, quâ ad ſeipſum judicandum inſtigatus arrogavit ſibi diutinam Imperii ſoſpitatem, & jus exercendi

K. Greg. Nazian. Orat. 27.

L. Iſidor. Peluſ. l. 5. Epiſt. 361.

M. Gregor. Nyſſ. Orat. de mortuis non lugendis. Vide Baſil. Homil. 9. Hexameron.

Pſal. 25. 1.

N. Richard. Victor. in Pſal. 25. Vide lib. 1. de Eruditione hominis inter. c. 21.

Ioan. 14. 6.

Pſal. 115. 2.

Pſal. 26. 12.

cendi in pios crudelitatem; perperàm huc referens iſtud Pſalmographi oraculum, [Pſal. 124. 3.] *Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum:* quaſi hinc conſequens fuerit, virgam ſuam ſuper ſortem Homouſianorum non fuiſſe virgam peccatoris ſuper ſortem juſtorum; eò quòd à Domino fuerit relicta, id eſt, diu graſſari permiſſa. Sed jam proximo §. oſtendimus non diu fuiſſe graſſari permiſſam, adeoque Conſtantii collectionem fuiſſe inſulſam: prout fusè demonſtrat Lucifer Calaritanus loco ibidem ſuperiùs notato. Cujus quidem Luciferi, uti etiam Athanaſii, Hilarii, Hoſii, & aliorum Præſulum correptionem cùm ille ſpreviſſet, verificavit in ſe & de ſe [Prov. 29. 1.] iſtud Proverbiaſtis oraculum: *Viro, qui corripientem durâ cervice contemnit, repentinus ſuperveniet interitus.* [SCRUPULUS.] Quæret fortè hìc quiſpiam, quomodò verè pronuntiârit Pſalmographus, *Non relinqui virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum*; cùm idem ipſe Pſalmographus alibi pro- [Pſal. 72. 2. & ſeqq.] fiteatur, *Penè motos fuiſſe pedes ſuos, & effuſos greſſus ſuos; quia zelavit ſuper iniquos, pacem peccatorum videns: quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plagâ eorum: in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideò tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſuâ*, & alia quæ ibidem inferiùs ſubtexuntur: quibus conſona ſunt quæ apud eundem rursùs Pſalm. 143. congeruntur; uti & quæ apud Hieremiam cap. 12. & apud Habacuc capite 1. leguntur: necnon apud Job, cùm exclamat: [Job 21. 7. & ſeqq.] *Quare impij vivunt, ſublevati ſunt, confortatiq; divitijs: Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conſpectu eorum: domus eorum ſecura ſunt & pacata, & non eſt virga Dei* [EXCUTITUR.] *ſuper illos?* Sed obvia eſt ſolutio, priori loco ſermonem eſſe ſignatè ac determinatè de tyrannis, Eccleſiam iniquè perſequentibus: poſterioribus autem locis, de impiis promiſcuè, quorum magna pars caret virgâ regiminis; & ſi qui inter eos eâdem pollent, nequaquam in ſortem juſtorum ipſam tyrannicè exerunt. Quamvis igitur hujuſmodi peccatores ſubinde ſinantur diuturnâ pace ac proſperitate mundanâ gaudere ac florere, propter rationes Deo notas: non tamen idipſum evenit peccatoribus in ſortem juſtorum tyrannicè graſſantibus, de qualibus ſignatè loquitur Pſalmographus, cùm ait: *Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum.* Cui nihil obſtat, quod relinquat Dominus vel virgam peccatorum ſuper ſortem iniquorum; vel virgam juſtorum ſuper ſortem ſive iniquorum, ſive etiam juſtorum; vel item relinquat quoſdam peccatores proſperitate florere ſub virgâ ſive piorum, ſive etiam impiorum. Sed ſecuros nos fecit oraculo Pſalmographi, *Non relicturum ſe virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum*, id eſt, non ſe permiſſurum ut iniqua tyrannorum poteſtas diutinâ libertate in Eccleſiam graſſetur. Quapropter Pſalmographi oraculum partim eſt comminatorium, partim promiſſorium ac conſolatorium: comminatorium quidem reſpectu tyrannorum in Eccleſiam ſæviter graſſantium, promiſſorium verò ac conſolatorium reſpectu piorum in Eccleſiâ & cum Eccleſiâ perſecutiones pro religione tolerantium. Proinde ſicut teſte Hieronymo lib. 1 in cap. 6. Zachariæ, "Grandis eorum [Hieronym.] „ eſt conſolatio qui premuntur, ſi ſciant hoſtes ſuos citò perituros": ita è diverſo, grandis eorum eſt deſolatio & afflictio qui premunt, ſi ſciant ſe citò deprimendos, ſive per hoc quòd in ordinem ſint redigendi, ſive quòd etiam è vivis abripiendi, & ſeveriſſimi Judicis tribunali ſiſtendi. Interim tamen pro modico illo tempore quo à Domino ſinuntur tales in ſortem juſtorum graſſari, obediendum eſt eorum poteſtati, quatenùs non compellit ad impietatem. Unde Proſper in Pſalm. 124. v. 3. " Sæpè in hoc ſæculo, inquit, peccatores mun- [Proſper.] „ danam potentiam conſequuntur; & cùm ipſi „ ſint iniqui, publicarum tamen Legum ſunt „ miniſtri: quorum poteſtas etiam fidelibus „ honoranda eſt, propter utilitatem diſpoſitæ „ diſciplinæ. Sed ſi in id prorumpant, ut „ juſtos à veri Dei cultu conentur avertere, „ nulla eis obedientia, nulla eſt præbenda con- „ ſenſio: *quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum,* quorum ſors ipſe „ Deus eſt; qui juſtis ſuis eam perſeverantiam „ dabit, ut imperia ſævientium non metuant „ impiorum, & ab omni opere iniquæ actio- „ nis abſtineant. Ita ergo & à plebibus Prin- „ cipes, & à ſervis Domini ſunt ferendi, ut „ ſub exercitatione tolerantiæ ſuſtineantur „ temporalia, ſperentur æterna. Auget enim „ meritum virtutis, quicquid propoſitum non violat religionis".

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

Eccleſia infeſtatoribus ſuis maturè cadentibus non concidit; nec novis ſupervenientibus in prædam cedit, ut Græcanicæ urbes Macedonico incuboni. Semen eſt ſanguis Chriſtianorum, ut qui plures efficiuntur quoties à tyrannis demetuntur. Tyrannorum quorundam aſtuta adverſus Eccleſiam machinatio, tentantium eam pervertere illecebroſis fomentis, cùm nequiſſent terriculoſis tormentis. Saluſtii Præfecti conſilium, Iuliano Cæſari in orthodoxos ſævienti ſuggeſtum. Eccleſia perſecutionibus evadit illuſtrior, & ſuppliciis ſplendidior. Ea perſecutionibus aucta, martyriis coronata; poſtquam ad Chriſtianos Principes venit, potentiâ quidem ac divitiis major, ſed virtutibus minor facta eſt. Incomparabiliter pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quàm Helena Græcorum: & pro iſtâ fortiùs noſtri Martyres adverſùs hanc Sodomam, quàm pro illâ mille Heroes adverſùs Troiam, dimicaverunt. Fortitudo fidelium fortitudini Gentilium comparata, & prælata. Sicut vaſa figuli probat fornax, ſic homines juſtos tentatio tribulationis.

IV. FIt interdùm ut dum quis alterum perſequitur, mutuis ambo vulneribus concidant: prout de Thebanis fratribus Polynice & Etheocle memorat Statius in Thebaide, & Sabellicus lib. 3. Exemplorum cap. 10. (Statius. Sabellicus.) Cujuſmodi eventuum crebra exempla & penè quotidiana ſuppeditant monomachi ſive duellatores, mutuis ſeſe vulneribus conficientes; uti etiam naumachiarii mutuas naves ſubmergentes, aut incendentes. Evenit item nonnunquam ut dum quis alterum bello impetit, ambo in prædam tertio cedant, & pereant: prout apologus de mure & ranâ inter ſe pugnantibus, & ſupervenienti milvo in prædam cedentibus, innuit. Exemplum ſuggerit Juſtinus Trogi Pompeii abbreviator, ita ſcribens:

O. Juſtin. Hiſt. lib. 1. in princip. „O. Græciæ civitates dum imperare ſingulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt: quippe in mutuum exitium ſine modo ruentes, ab omnibus victæ periêre; quid ſingulæ amitterent, non niſi oppreſſæ ſenſerunt. Siquidem Philippus Rex Macedoniæ veluti è ſpeculâ quâdam libertati omnium inſidiatus, dum contentiones Civitatum alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victoreſque ſubire regiam ſervitutem coëgit". Ne igitur quis ſuſpicaretur ſuccumbere aliquando ſortem ſanctorum virgæ peccatorum, aut cedere cum eâ in prædam cuipiam tertio; obviat hujuſmodi ſuſpicioni Pſalmographus, paulò inferiùs in alio graduum Cantico ſubdens:

Pſal. 128. 1. & 2. *Sæpè expugnaverunt me à iuventute meâ, dicat nunc Iſrael: ſæpè expugnaverunt me à iuventute meâ, etenim non potuerunt mihi*: P. Hoc Pſalmo, inquit Janſenius Gandenſium Antiſtes, vir ſanctus primùm invitat populum Dei ad agnoſcendum Dei erga ſe beneficium; quòd ſcilicet impios, etſi ab initio ſæpè multùmque Dei populum oppugnantes, non permiſerit prævalere: tum & precando prædicit, impoſterùm quoque ſemper hoſtes populi Dei fruſtrandos ſuâ ſpe. Quod autem dicitur, *Dicat nunc Iſrael*, videtur ad litteram notare tempus illud, quo, poſt conſtitutum regnum Davidis in Sion, populus Iſraëliticus liberatus erat ab hoſtibus, quos ſæpè experti fuerant à quo tempore cœperunt eſſe populus ſub Moyſe Duce. Verùm in myſtico ſenſu, quo hic Pſalmus referendus eſt ad Eccleſiam fidelium, adverbium, *Nunc*, quodvis tempus deſignare poteſt; cùm omni tempore Eccleſia gloriari & potuerit & poſſit de divinâ ope, quâ hoſtibus ſuis, quos tum ab exordio Mundi tum à principio Euangelicæ prædicationis ſemper habuit ſemperque habitura eſt uſque ad conſummationem ſæculi, nunquam vel ſuccubuit vel ſuccumbet". P. Janſen. in Pſal. 128. Parùm dixiſſe videtur, ſi conferatur cum Beato Proſpero Aquitanico, cujus hacce in eundem Pſalmum ſententiolâ ſuperioris voluminis Epilogum clauſimus:

„Q Prophetiæ ſpiritus Eccleſiam Dei ad perſeverantiam cohortatur: ut de ſuperatis perſecutionibus in Domino glorietur. Ab initio enim in Sanctos, qui ſunt *Iſrael*, impij ſævierunt: ſed Eccleſia, ſive in juventute ſuâ, ſive in ætate majore, ſive in ſenectute ultimi jam ſæculi, nullis oppreſſionibus, nullis eſt victa ſuppliciis; cui per paſſiones Q. Proſp. in Pſal. 128.

Digitized by Google

„ & mortes ſuorum, coronæ ſemper triumphique creverunt". Ubi non contentus dicere, *Nullis oppreſſionibus, nullis eſt victa ſuppliciis*, quod æquivalet finalibus iſtis Janſenii verbis, *Hoſtibus ſuis nunquam vel ſuccubuit vel ſuccumbet*: inſuper iſtud glorioſius ac magnificentius adjecit, à Janſenio prætermiſſum; *Cui per paſſiones & mortes ſuorum corona ſemper triumphiq́ creverunt*. Neque enim Proſperum latuit illa huc ſpectans Hilarii ſententia: R. Eccleſiæ proprium eſt, ut tum vincat, cùm læditur; tum intelligatur, cùm arguitur; tum obtineat, cùm deſeritur". Nec eundem quoque latuit iſta Papæ Leonis, cujus ipſe Secretarius extitit, ſententia: S. Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur: & ſemper Dominicus ager ſegete ditiori veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur". Cui conſonans Tertullianus ait ipſis Eccleſiæ perſecutoribus, ex communi Chriſtianorum nomine: T. Plures efficimur quoties metimur à vobis, ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum". Et lib. ad Scapulam cap. 5. " Crudelitas veſtra, inquit, gloria eſt noſtra". Et ibidem rurſus finalibus verbis: " Nec deficiet hæc Secta; quam tunc magis ædificari ſcias, cùm cædi videtur. Quiſque enim tantam tolerantiam ſpectans, ut aliquo ſcrupulo percuſſus, & inquirere accenditur quid ſit in cauſâ, & ubi cognoverit veritatem, ipſe ſtatim ſequitur". Pulchrè hoc ipſum proſequitur Lactantius: V. Cùm videat vulgus, inquiens, dilacerari homines variis tormentorum generibus, & inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam; exiſtimant, id quod res eſt, nec conſenſum tam multorum, nec perſeverantiam vanam eſſe; nec ipſam patientiam ſine Deo cruciatus tantos poſſe ſuperare".

Vide Iſidor. Peluſ. l. 5. Epiſt. 5.

R. Hilar. l. 7. de Trinit.

S. Leo Ser. 1. de Natali Apoſt. c. 6.

T. Tertull. in Apolog. cap. 50.

V. Lactant. l. 5. c. 13.

V. Hoc ipſum nonnullis etiam Eccleſiæ perſecutoribus adeò innotuit, ut inſtigante diabolo maluerint Eccleſiæ conſtantiam blandis perſuaſionibus attentare, quàm violentis perſecutionibus aggredi. Exemplo ſit Julianus Auguſtus, Conſtantii ſuperiùs memorati ſucceſſor, cognomento Apoſtata, de quo Nazianzenus: W. Cùm jam, inquit, continere non poſſet quod parturiebat, perſecutioque erumperet, quiddam animadvertere cœpit, ſapiente in vitio atque excellente in impietate viro dignum: aut certè ab iis ſuggeſtum qui ipſum acuebant ac velut inungebant. Sic enim ſecum reputavit, ſi bellum apertè in nos ſuſciperet, ſeque impietatis ducem profiteretur, præterquam quòd id nimis temerarium atque imperitum futurum eſſet, huic inſuper ſcopo ad quem collimabat omninò contrarium fore: nos enim, ſi vis inferretur, acriori contentione in victoriam incubituros, ac tyrannidi obnixum pietatis tuendæ ſtudium objecturos cogitavit. Solent enim fortes ac generoſi animi contumaciter obſiſtere paranti vim afferre, non ſecùs ac flamma à vento excitata quo ampliùs perflatur, eò vehementiùs accenditur. Idque non cogitatione ſolùm compeŕiebat, ſed ex priſtinis quoque perſecutionibus cognoſcere poterat, quæ Chriſtianam religionem magis illuſtrarant quàm debilitarant; animas utpote ad pietatem roborantes, ac periculis, ut aqua calens ferrum, obdurantes. At ſi callidè & artificioſè bellum gereret, ac vim perſuaſione verborumque blanditiis illineret, aut tyrannidi clementiam, tanquam hamo eſcam, circumponeret; ita demùm non ſolùm prudentem, ſed validam quoque ſibi concertationem fore. Etenim ut alia, ita eum quoque honorem quo Martyres affici ſolent invidebat athletis: ac proinde id moliebatur; ut ipſe & vim quidem afferret, & interim non videretur afferre; & nos contrà & ſupplicia perferremus, & eo interim honore qui pro Chriſti nomine patientibus impendi ſolet careremus". De eodem & Ruffinus in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica: X Callidior cæteris perſecutor, inquit, non vi neque tormentis, ſed præmiis, honoribus, blanditiis, perſuaſionibus, majorem penè populi partem, quàm ſi atrociter pulſaſſet, eliſit". Ex quo videmus Juliano rem utcunque ſucceſſiſſe ad votum, quia etſi nequierit Eccleſiam penitùs ſubvertere, obſtante eo qui *non relinquit virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum*; plures tamen blandâ ſuâ lenocinatione traduxit, quàm atroci pulſatione ſtraviſſet. Unde Auguſtinus meritò ſuccenſet iis, qui eum perſecutoribus Eccleſiæ accenſere detrectant propterea, quòd à violentis martyriis ſe utcunque cohibuiſſet: cùm tamen tanto odio in Chriſtianos exarſerit, ut liberales diſciplinas docere vel diſcere vetuerit; ne his inſtructi armis gentiliſmum expugnarent, & Chriſtianiſmum propugnarent: Y. Quid reſpondent de Juliano, ait ille, quem non numerant in decem? An ipſe non eſt Eccleſiam perſecutus, qui Chriſtianos vetuit liberales litteras docere ac diſcere? Sub quo Valentinianus major, qui poſt eum tertius Imperator fuit, fidei Chriſtianæ confeſſor extitit, militiâque privatus eſt. Ut omittam quæ apud Antiochiam facere cœperat, niſi unius fideliſſimi & conſtantiſſimi juvenis, qui multis, ut torquerentur, apprehenſis, per totum diem primus eſt tortus, inter ungulas cruciatuſque pſallentis libertatem atque hilaritatem miratus exhorruiſſet, & in cæteris deformiùs erubeſcere timuiſſet". Nomen hujus juvenis prodidit Ruffinus, & ex ipſo Socrates, Theodoretus ac Nicephorus: Z. Cùm Julianus, inquit Ruffinus,

W. Gregor. Nazianz. Orat. 3.

X. Ruffin. l. 1. Hiſt. c. 32. Vide Nicephor. l. 10. c. 4.

Pſal. 124. 3.

Y. Auguſt. l. 18. de Civit. c. 52.

Z. Ruffin. l. 1. Hiſt. c. 35. & 36.

Vide Socrat. l. 3. c. 18. & 19. & Theodoret. l. 3. c. 10. & 11. & Niceph. l. 10. c. 28. & Sozomen. l. 5. cap. 19. & 20.

„ Ruffinus, Daphnis in ſuburbano Antiochiæ „ juxta fontem Caſtalium litaret Apollini, & „ nulla ex iis quæ quærebat reſponſa ſuſciperet, cauſaſque ſilentii percontaretur à Sacerdotibus dæmonis: reſponderunt hi, Babylæ „ Martyris ſepulchrum propè adſiſtere, & „ ideo reſponſa non reddi. Tum ille, venire „ *Galilæos* (hoc nomine noſtros appellare conſueverat) & auferre ſepulchrum Martyris „ jubet. Igitur Eccleſia univerſa conveniens, „ matres & viri, virgines juveneſque, immenſâ exultatione ſuccincti, trahebant longo agmine arcam Martyris, pſallentes ſummis clamoribus, & cum jubilatione dicentes, *Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui confidunt in ſimulachris ſuis.* Hæc in auribus prophani Principis per ſex millia paſſuum tantâ exultatione pſallebat omnis Eccleſia, ut cælum clamoribus reſultaret. Unde „ & ille in tantam iracundiæ rabiem eſt deductus, ut alterâ die comprehendi Chriſtianos paſſim, & trudi juberet in carcerem, ac „ pœnis cruciatibuſque affici. Quod Saluſtius „ Præfectus ejus non probans, licèt eſſet Gentilis, tamen juſſus exequitur; & apprehenſum unum quendam adoleſcentem primò „ occurrentem, THEODORUM nomine, „ à primâ luce uſque ad horam decimam tantâ crudelitate & tot mutatis carnificibus „ torſit, ut nulla ætas ſimile factum meminerit. Cùm tamen ille in equuleo ſublimis, „ & hinc inde lateribus inſtante tortore, nihil „ aliud faceret, niſi quòd vultu ſecuro ac læto „ Pſalmum, quem pridie omnis Eccleſia cecinerat, iteraret. Cùmque ſe omni expensâ „ crudelitate Saluſtius nihil egiſſe perſpiceret, „ recepto in carcerem juvene, acceſſiſſe fertur „ Imperatorem, & quid egerit nuntiaſſe; ac „ monuiſſe, *Ne tale quidpiam tentaret de cætero; „ alioquin & illis gloriam, & ſibi ignominiam quæreret*".

Pſalm. 96. 7.

VI. Satis hinc probatum manet quod initio proximi §. aſſeruimus, innotuiſſe ſcilicet quibuſdam Eccleſiæ perſecutoribus, non minui eandem perſecutionibus, ſed augeri; dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur. Innotuit quippe iſtud Saluſtio, & per hunc Juliano, quem his verbis ab eo admonitum memorat Nicephorus: A. *Niſi Chriſtianos affligere deſtiterimus, ipſis quidem laudem & gloriam brevi parabimus, nos autem ridendos omnibus proponemus.* Rectè etenim advertit Nazianzenus. B. Eccleſiam perſecutionibus illuſtriorem reddi, & ſplendidiorem ſuppliciis". Cui conſonans Magnus Baſilius: C. Nobis, inquit, conducibile admodùm fuerit „ & commodum, ſi tempore perſecutionis „ animo præſenti & intrepido dixerimus illud „ Gentibus: *Si iterum prævalueritis, iterum vincemini.* Gentiles enim dum ſubinde Chriſti „ Eccleſiam oppugnârunt, peſſum iêre. Quemadmodum enim acceſſione incenſæ ac flagrantis materiæ, in majus attollitur flamma; „ ſic ſemper contigit, ut qui toto annisu ſtuduere demoliri Eccleſiam violentâ oppreſſione tentationum, eam ad auguſtiorem & „ ampliorem gloriam ac poteſtatem extulerint". Conſonat item Hieronymus: D. Eccleſia, inquiens, perſecutionibus crevit, „ martyriis coronata eſt: at poſtquam ad „ Chriſtianos Principes venit, potentiâ quidem & divitiis major, ſed virtutibus minor facta eſt". Nec diſſonat Auguſtinus, cùm diſputans adversùs eos qui perſecutionum Eccleſiæ exordium referebant ad Neronis Imperium: E. Cur, inquit, eis à Nerone videtur ordiendum, cùm ad Neronis tempora „ inter atrociſſimas perſecutiones, de quibus „ nimis longum eſt cuncta dicere, Eccleſia CRESCENDO pervenerit"? Ejuſdem quoque hanc in rem eſt iſta aſſertio ſuperiùs ibidem lib. 10. cap. 21. " Moderatis præfinitiſque temporibus, etiam poteſtas permiſſa „ dæmonibus, ut hominibus quos poſſident „ excitatis, inimicitias adversùs Dei civitatem tyrannicè exerceant, ſibique ſacrificia „ non ſolùm ab offerentibus ſumant, & à volentibus expetant, verùm etiam ab invitis „ perſequendo violenter extorqueant, non „ ſolùm pernicioſa non eſt, ſed etiam utilis „ invenitur Eccleſiæ, ut Martyrum numerus „ impleatur: quos civitas Dei tanto clariores „ & honoratiores cives habet, quanto fortiùs „ adversùs impietatem Poteſtatum, etiam „ uſque ad ſanguinem, certant. Hos multo „ elegantiùs, ſi Eccleſiaſtica loquendi conſuetudo pateretur, noſtros *Heroas* vocaremus". Imò pluſquam heroes ſunt, quia majus ac ſublimius eſt pro quo tam viriliter ac fortiter uſque ad ſanguinem certant, quàm pro quo veteres Gentilium heroes certaverunt: F. Incomparabiliter enim pulchrior eſt „ veritas Chriſtianorum, quàm Helena Græcorum: Pro iſta enim fortiùs noſtri Martyres adversùs hanc Sodomam, quàm pro illâ „ mille heroes adversùs Troiam, dimicaverunt". Sed fortè Romani noſtris Martyribus præferendi vel æquandi erunt heroes, etſi eis cedant Græci vel Troiani heroes? Non ita cenſet Lactantius, cùm ait: G. Noſtri, ut de „ viris taceam, pueri, & mulierculæ, tortores ſuos taciti vincunt, & exprimere illis „ gemitum nec ignis poteſt. Eant Romani, „ & Mutio glorientur, aut Regulo: quorum „ alter necandum ſe hoſtibus tradidit, quòd „ captivum puduit vivere; alter ab hoſtibus „ deprehenſus, cùm videret mortem ſe vitare non poſſe, manum foco injecit; ut pro „ facinore ſuo ſatisfaceret hoſti, quem voluit „ occidere; eâque pœnâ veniam, quam non mere-

A. Saluſtius Præfectus apud Nicephor. l. 10. c. 28.

B. Gregor. Naz. Orat. 23. Vide Carmine 11.

C. Baſil. in cap. 8. Iſaiæ.

Iſaiæ 8. 9. juxta 70.

D. Hieron. in vita Malchi. Vide infrà §. 74.

E. Auguſt. l. 18. de Civit. cap. 52.

F. Idem Epiſt. 9. c. 4.

G. Lact. lib. 5. cap. 13.

„ merebatur, accepit. Ecce ſexus infirmus & „ fragilis ætas dilacerari ſe toto corpore urique perpetitur, non neceſſitate, quia licet „ vitare ſi vellent; ſed voluntate, quia confidunt Deo. Hæc eſt vera virtus, quam philoſophi quoque gloriabundi, non re, ſed „ verbis inanibus jactant, differentes, nihil „ eſſe tam congruens viri ſapientis gravitati „ atque conſtantiæ, quàm nullis terroribus de „ ſententiæ propoſito poſſe depelli; ſed tanti „ eſſe, cruciari & emori, ne fidem prodat, „ ne ab officio diſcedat, ne metu mortis aut „ dolore acerbo ſubactus aliquid faciat injuſtum. Niſi fortè delirare illis videtur Flaccus in Lyricis, cùm dicit: *Iuſtum & tenacem „ propoſiti virum, Non civium ardor prava iubentium, Non vultus inſtantis tyranni Mente quatit „ ſolidâ.* Quo nihil verius dici poteſt, ſi hoc „ ad eos referatur, qui nullos cruciatus, nullam mortem recuſant, ne à fide juſtitiâque „ declinent: qui non tyrannicas juſſiones, non „ præſidum gladios tremunt, quo minùs veram & ſolidam libertatem conſtanti mente „ defendant; quæ in hoc ſolo tuenda ſapientia eſt". His conſona ſunt quæ ſcribit Cyprianus, qui & ipſe paulò pòſt martyrio coronatus, heroëm ſe, Græcis Romaniſque illuſtriorem, exhibuit: H· Quando infirmitas, „ ait ipſe, & imbecillitas, & vaſtitas aliqua „ graſſatur, tunc virtus noſtra perficitur: tunc „ fides, ſi tentata perſtiterit, coronatur; ſicut „ ſcriptum eſt, *vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.* Hoc denique „ inter nos & cæteros intereſt qui Deum neſciunt, quòd illi in adverſis queruntur & „ murmurant, nos adverſa non avocant à virtutis & fidei veritate; ſed corroborant in dolore". Et ſuperiùs lib. ad Demetrianum: " Nec conſternamur adverſis, inquit, nec „ frangimur, nec dolemus, neque in ullâ aut „ rerum clade, aut corporum valetudine „ muſſitamus; ſpiritu magis quàm carne viventes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus: per ipſa quæ vos cruciant „ & fatigant, probari & corroborari nos ſcimus & fidimus".

Vide Horat. lib. 3. Ode 3.

H. Cyprian. lib de Mortalitate. Vide lib. de lapſis.

Eccli 27. 6.

CAPUT TERTIUM.

Eccleſiæ prærogativa ex adverſis proficiendi illuſtratur exemplis, ex rebus etiam inſenſilibus, ſed ejus typum gerentibus, petitis: ut inprimus Arcæ Noëticæ, quæ diluvij inundationibus ita concuſſa eſt, ut ipſâ concuſſione in ſublime ſuſtolleretur, atque à ſublatentibus ſcopulis & ſyrtibus elongaretur: deinde Arcæ fœderis, quæ in prælio ab allophylis capta, & juxta idolum Dagon *locata, adeò captivatores ſuos afflixit & cruciavit, ut eam ultrò, majori cum gloriâ, dimiſerint, præmiſſâ hac confeſſione laudis;* Dura eſt manus ejus ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum: *Exemplo item vitis, quæ tanto uberiùs fructificat, quanto ſeveriùs præciditur ac putatur. Veteris populi in Ægypto afflictio non minuit, ſed auxit numerum afflictorum; Deo vertente ſuis in bonum, quod inimicus machinatus eſt in malum.*

VII. HAnc Eccleſiæ prærogativam proficiendi in perſecutionibus, ſeu fructificandi ex eiſdem, propoſuit nobis Deus parabolicè in quibuſdam rebus alioqui inſenſilibus, ſed Eccleſiæ typum myſticè gerentibus: ut imprimis in Arca Noë, de quâ Auguſtinus: I· Nulli „ noſtrûm dubium eſt, inquit, per Arcam Noë, „ ſalvâ rerum geſtarum fide, ut deletis peccatoribus domus juſti à diluvio liberaretur, „ etiam Eccleſiam fuiſſe figuratam. Quæ fortè humani ingenii conjectura videretur, niſi „ hoc Petrus Apoſtolus in Epiſtolâ ſuâ diceret". Et lib. 15. de Civitate cap. 26. " Quod „ imperat Deus Noë ut Arcam faciat, in quâ „ cum ſuis, id eſt, uxore, filiis, & nuribus, „ & cum animalibus quæ ad illum ex Dei „ præcepto in Arcam ingreſſa ſunt, liberaretur à diluvii vaſtitate: proculdubiò figura „ eſt peregrinantis in hoc ſæculo civitatis Dei, „ hoc eſt, Eccleſiæ, quæ fit ſalva per lignum, „ in quo pependit Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus". Fuſiùs hoc ipſum proſequitur idem Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum cap. 14. & aliquot ſequentibus: quem plerique poſteriores Tractatores imitati ſunt, è quibus Hugo Victorinus: K· Eccleſia, inquit, Arca eſt, quam ſummus Noë, id eſt, „ Dominus noſter Jeſus Chriſtus, gubernator „ & portus, inter procellas hujus vitæ regens, „ per ſe ducit ad ſe. *Trecentorum cubitorum longitudo* præſens ſæculum deſignat, quod tribus tempori-

I. Aug. l. de unitate Eccleſiæ c. 5. Vide lib. de catech. rudibus c. 19. & 27.

K. Hugo Victor. l. 1. de Arca Morali cap. 4. Vide lib. 1. Allegor. in Geneſim c. 13 & Serm. 61. & lib. 2. Miſcell. c 4. & l 2 de vanit. Mundi. Gen. 6. 15.

„ temporibus decurrit, id eſt, tempore na-
„ turalis legis, tempore ſcriptæ legis, tem-
„ pore gratiæ; per quæ ſancta Eccleſia à prin-
„ cipio Mundi uſque ad finem, à præſenti vi-
Ibid. „ tâ ad futuram gloriam tendit. *Quinquaginta*
„ *cubitorum latitudo*, univerſos fideles ſignifi-
„ cat, qui ſub uno capite ſunt conſtituti, id
„ eſt, Chriſto: nam quinquaginta conſtant
„ ex ſepties ſeptem, id eſt, quadraginta no-
„ vem, qui numerus univerſitatem fidelium
„ deſignat; & uno ſuperaddito, quod ſignifi-
„ cat Chriſtum, qui eſt caput Eccleſiæ ſuæ, &
„ finis deſideriorum noſtrorum: propter quod
Ibid. v. 16. & 15. „ *in uno cubito Arca conſummatur.* Cæterùm *Alti-*
„ *tudo triginta cubitorum* ſignificat triginta volu-
„ mina divinæ paginæ, id eſt, viginti duo vete-
„ ris Teſtamenti, & octo novi; in quibus ſum-
„ ma omnium continetur, quæ Deus vel fecit,
„ vel facturus eſt propter Eccleſiam ſuam.
Ibid. v. 14. & 16. „ *Tres manſiones* ſignificant tres ordines fide-
„ lium, qui ſunt in ſancta Eccleſia, quorum
„ primi utuntur Mundo, licitè tamen; ſecun-
„ di fugiunt & obliviſcuntur Mundum; ter-
„ tii jam obliti ſunt Mundum, & ii ſunt pro-
„ pinqui Deo. Quòd in ſuperioribus Arca
„ contrahitur, in inferioribus dilatatur, hoc
„ ſignificat, quòd in ſanctâ Eccleſia major eſt
„ numerus carnalem vitam ducentium, quàm
„ ſpiritalium; ita ut ſemper quanto perfe-
„ ctiores, tanto ſint pauciores. In ſupremo
„ ad unius cubiti menſuram Arca contrahi-
„ tur, quia Chriſtus caput Eccleſiæ ſuæ, qui
„ eſt Sanctus Sanctorum, per naturam conſi-
„ milem inter homines eſt, & per virtutem
„ ſingularem ſupra homines eſt. Centum an-
„ ni, in quibus ædificata eſt Arca, idem ſi-
„ gnificant quod centum cubiti: nam centum
„ anni ſignificant tempus gratiæ; quia ſancta
„ Eccleſia, quæ ab initio Mundi cœpit, in
„ tempore gratiæ per immolationem agni im-
„ maculati redemptionem accepit. Tunc nam-
„ que fabricata eſt Arca, quando de latere
„ Chriſti in cruce pendentis in ſanguine &
„ aquâ profluxerunt Eccleſiæ ſacramenta.
„ Quando agnus immolatus eſt, tunc eſt ſpon-
„ ſa agni nata: quando Adam ſoporatus eſt,
„ tunc Eva fabricata eſt: aſcendit ſponſus no-
„ ſter thalami ſui lectum, dormivit, morien-
„ do exhibuit quod ab initio profuit, fecit
„ quod ab initio fuit. Vide an idem dicere
„ velit Scriptura, quando loquitur de fabri-
„ catione hujus Arcæ, hoc eſt, Eccleſiæ. Quid
„ dicit? *In libro*, inquit, *vitæ agni*, *qui occiſus*
eſt ab origine Mundi".

VIII. Hinc ſatis apparet quàm multifariè in Eccleſiam juxta allegoriam quadret, quod de Arca juxta hiſtoriam Scriptura commemorat: ut proinde Auguſtinus proximo §. relatus rectè cum magnâ aſſeverantiâ de Arca ſcri-
Auguſtinus ſuprà. pſerit, *Procuidubio figura eſt peregrinantis in hoc ſæculo civitatis Dei*, *hoc eſt*, *Eccleſiæ*. Noſtro interim impræſentiarum ſcopo illud peculiariter congruit, quod eadem Scriptura inter cætera perhibet: *Factum eſt diluvium quadraginta diebus* Gen. 7. 17. *ſuper terram*, *& multiplicata ſunt aquæ*, *& elevaverunt Arcam in ſublime à terra: vehementer enim inundaverunt.* Quid eſt quòd aquæ diluvii elevaverunt Arcam in ſublime, niſi quòd temporales tribulationes & perſecutiones ſuſtollunt Eccleſiam in altum? L. Omnes vitæ hu- L. Iſidor. l. 3. ſentent. c. 58. alias 62.
„ jus tribulationes, inquit Iſidorus, aquis
comparantur prætereuntibus". Et Gregorius
Papa: M. Aquarum nomine, inquit, nonnun- M. Greg. l. 19. Moral. cap. 4.
„ quam ſolent tribulationes intelligi, ſicut per
„ Pſalmiſtam dicitur: *Salvum me fac Deus*, *quo-* Pſ. 68. 2.
„ *niam intraverunt aquæ uſque ad animam meam*".
Unde & Auguſtinus exponens illud ejuſdem Pſ. 103. 6.
Pſalmiſtæ, *Super montes ſtabunt aquæ*: N. Pro- N. Aug. in Pſalm. 103. conc. 2.
„ pheta, inquit, curans futura prædicere, non
„ narrare præterita, propterea hoc dixit; quia
„ Eccleſiam futuram in DILUVIO PER-
„ SECUTIONUM volebat intelligi. Fuit
„ enim tempus aliquando, quo terram Dei,
„ Eccleſiam ſcilicet Dei, cooperuerunt aquæ
„ perſequentium, & ita cooperuerunt, ut non
„ apparerent nec ipſi magni, qui ſunt *montes*.
„ Quando enim ubique fugiebant, quomodo
„ non minùs apparebant? Et fortaſsè de illis
„ aquis eſt vox illa, *Salvum me fac Deus*, *quo-*
„ *niam intraverunt aquæ uſque ad animam meam*".
Cui conſonans Proſper: O. *Terræ* nomine, in- O. Proſp. in Pſal. 103.
„ quit, Eccleſiam intelligimus prophetatam,
„ quæ Chriſtum habens fundamentum, *Non* Ibid. v. 5.
„ *inclinabitur in ſæculum ſæculi.* Verumtamen
„ DILUVIO PERSECUTIONUM, quæ
„ *abyſſi* & *aquarum* nomine præſignantur, ita
„ circumtegenda indicatur, ut quaſi *veſtimento*
„ ab impugnantibus operienda ſit populis; in-
„ tantùm perſecutione creſcente, ut etiam
„ *ſuper montes*, id eſt, eminentiſſimos quoſque
„ ſanctorum attollenda ſit oppreſſio perſe-
„ quentium. *Ab increpatione tuâ fugient*, *à voce* Ibid. v. 7.
„ *tonitrui tui formidabunt*: factum eſt hoc, cùm
„ Deus conterruit Gentes increpationis ſuæ
„ tonitru: ceſſaverunt enim impii Eccle-
„ ſiam premere; & *montes Dei*, quorum ſub-
„ limitas aquis ſuperſtantibus obtegebatur,
„ iiſdem aquis recedentibus receperunt emi-
„ nentiam. Tonante enim Domino formida-
„ verunt aquæ, & *montes* à diluvio exuti ſunt".
Præclarè & in rem noſtram appoſitè Petrus
Bleſenſis: P. Si perverſa malignitas, inquit, P. Pet. Bleſenſis Epiſt. 124.
„ ſubvertere cogitat Eccleſiæ dignitatem, co-
„ gitat è contrario Deus eam in ſtatum erigere
„ meliorem. Nec dubium eſt quin cogitatio di-
„ vina prævaleat: *Iuravit* enim *Dominus exerci-* Iſa. 14. 24.
„ *tuum, dicens: Si non ut cogitavi, ita erit, & quomo-*
„ *dò mente tractavi, ſic eveniet.* Si totum mare hu-
„ jus ſæculi contra Eccleſiam fervens ebulliat,
„ & feratur in impetu, Chriſtus ambulat ſuper

Mat. 8.27. ,, aquas, *Ventiq́; & mare obediunt ei*. Quòd ſi Chri-
,, ſtus in navi dormiat, excitetur orationibus
Pſal. 43.23. ,, clamantium: *Exurge, quare obdormis Domine?*
,, Tempore diluvii concuſſa inundationibus
Gen 7.17. ,, *Arca evecta eſt in ſublime:* ejus enim concuſſio,
Vide ſuprà §. 4. ,, ipſius evectio eſt; quia ſicut Beatus Hilarius
,, dicit, *Proprium eſt Eccleſiæ, ut tunc vincat, cùm*
,, *læditur; tunc intelligatur, cùm arguitur; tunc*
,, *ſecura ſit, cùm deſeritur; tunc obtineat, cùm ſu*
,, *perata videtur.* Arca fœderis quandoque ab
,, Allophylis capta, & poſita juxta Dagon, à
,, virtutibus non ceſſavit: tandemque in
,, Hieruſalem cum multa exultatione redu-
cta eſt".

IX. Finalibus hiſce verbis exhibetur nobis aliud exemplum, quo illuſtratur illa Eccleſiæ prærogativa, quam initio hujus capitis expendendam ſuſcepimus. Etenim ut Iſidorus
Q. Iſidor. comment. in Exodum cap. 40. Vide Bedam in exodum cap. 25. pridem adverterat, Q. Per Arcam fœderis,
,, quam de lignis imputribilibus Moyſes fa-
,, bricavit, Eccleſia Chriſti ſignificatur, ædi-
,, ficata ex omnibus Sanctis, mente & cor-
,, pore incorruptis, habentibus etiam interiùs
,, duas tabulas teſtamenti, id eſt, obſervantiam
,, Legis & Euangelij. Intus autem ac foris in-
,, auratur Arca; & ſic Eccleſia quaſi aurum
,, radiare debet tam interiùs vitæ ſplendore,
,, quàm exteriùs doctrinæ & ſapientiæ clari-
tate". Cùm igitur Arca fœderis figurarit Eccleſiam, proculdubiò captivitas ejus ſub Philiſthæis figuravit oppreſſiones Eccleſiæ ſub variis perſecutoribus: ac proinde ſicut Arcæ captivitas non minuit ejus gloriam, ſed auxit; ita & Eccleſiæ perſecutiones honorem ejus
R. Rupert. in lib. 1. Regum c. 14. ampliant, non anguſtant: R. Grande ſpecta-
,, culum, inquit Rupertus, grande miraculum,
,, tranſlata ab Iſraël gloria Domini, capta ab
,, Allophylis Arca Dei, victoriam de victo-
,, ribus versâ vice exigit; primùmque in
,, Deum ipſorum Dagon, deinde & ſuper ho-
,, mines aggravatur manus Domini: Nam
1. Reg. 5.6. & ſeqq. ,, *ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, &*
,, *nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis ma-*
,, *gnæ in civitate: & percuſſit in ſecretiore parte*
,, *natium Azotum & fines ejus, & computreſcebant*
,, *prominentes extales eorum.* Hæc Pſalmiſta ma-
Pſal. 77.65. & 66. ,, gnificè decantans: *Et excitatus eſt*, inquit,
,, *tanquam dormiens Dominus, tanquam potens*
,, *crapulatus à vino; & percuſſit inimicos ſuos in*
,, *poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit illis*".
S. Theodoret. in lib. 1. Reg. q. 10. Et ante hunc Theodoretus: S. Allophyli, in-
,, quit, cùm timuiſſent quando apparente Arcâ
,, vociferati ſunt Hebræi, poſt victoriam
,, autem deſpexiſſent Arcam, eamque veluti
,, manubias idolis ſuis dedicaſſent, experientiâ
,, didicêre Dei potentiam. Nam primùm qui-
,, dem viderunt ante Arcam ſuum cecidiſſe
,, Deum, & adorationis præ ſe ferre figuram:
,, deinde cùm eum erexiſſent, poſtridie eum
,, invenerunt contritum, & extremis omni-
,, bus partibus privatum. Poſt hæc cùm no-
,, luiſſent cognoſcere differentiam, & Arcæ
,, convenientem non impendiſſent cultum, in-
ciderunt in varias ægritudines". His demùm plagis & calamitatibus afflicti cœperunt agnoſcere potentiam Domini, & in hanc proruperunt vocem confeſſionis: *Non maneat* 1. Reg 5.7.
Arca Dei Iſraël apud nos, quoniam dura eſt manus ejus ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum. Et rursùs Sacerdotes Dagon ad populum anxiè conſulentem quid facto opus: *Dabitis,* 1. Reg 6.5.
inquiunt, *Deo Iſraël gloriam, ſi fortè relevet manum ſuam à vobis, & à Dijs veſtris, & à terrâ veſtrâ.* Ecce quemadmodùm prætenſa captivitatis ignominia verſa eſt Arcæ fœderis in gloriam! Verùm Sacerdotes Dagon non contenti hac ſuaſivâ ſuggeſtione, adjecerunt increpationem, unàque Ægyptiacæ calamitatis pridem inflictæ commemorationem, dicentes:
Quare aggravatis corda veſtra, ſicut aggravavit Ibid. v. 6.
Ægyptus, & Pharao cor ſuum? Nonne poſtquam percuſſus eſt, tunc dimiſit eos? Quos? Utique filios Iſraël, populum Dei, Eccleſiam, eatenùs quidem captivam, ſed tamen in abſceſſu ſpolijs locupletatam, ſicut ſcriptum eſt: *Juſti* Sap. 10.19.
tulerunt ſpolia impiorum. Quæ ſpolia ne quis exigua vel modica fuiſſe ſuſpicetur, noverit prædictum olim fuiſſe divinitùs: *Gentem cui ſervi-* Gen. 15.14.
turi ſunt, ego judicabo; & poſt hæc egredientur cum magnâ ſubſtantiâ. Conſimili modo Arca fœderis, eandem Dei Eccleſiam figurans, dimiſſa eſt de captivitate Allophylorum, reportans ſecum ſpolia inimicorum. Unde iidem, qui ſuprà, Sacerdotes Dagon, dixerunt eiſdem inimicis ibidem: *Si remittitis Arcam Dei* 1. Reg. 6. 3.
Iſraël, nolite dimittere eam vacuam, ſed quod debetis reddite ei pro peccato, & tunc curabimini.

X. Tertium ejuſdem prærogativæ ſymbolum exhibetur nobis in vinea; quæ tanto uberiùs fructificat, quanto accuratiùs putatur ac detondetur. Notavit hoc olim Juſtinus Martyr, cùm ait: T. Quanto magis in nos ſævitur, T. Juſtin. Dialog. cum Tryphone Judæo.
,, tanto plures veram pietatem ac religionem
,, per nomen Jeſu colunt & profitentur: haud
,, ſecùs quàm ſi quis putatione provocet vi-
,, tem ad ubertatem fructuum. Nam vitis
,, à Deo & Servatore noſtro Chriſto plan-
tata, populus ejus eſt". Conſonat Ambroſius, qui cùm præmiſiſſet: V. Plerique V. Ambroſ. l. 9. in cap. 20. Lucæ. Vide lib. 3. Hexam. cap. 12.
,, varias ſignificationes de *vineæ* appellatione
,, derivant; ſed evidenter Iſaias *Vineam Domini*
Sabaoth domum Iſraël eſſe memoravit": aliquantò inferiùs ibidem ſubjunxit: " Vinea Iſa. 5. 7.
,, typus noſter eſt, quòd populus de vitis æter-
,, næ radice fundatus ſupereminet terris, ac
,, ſolum vile prætexens nunc germinante flore
,, pubeſcit, nunc ſuperfuſâ viriditate veſtitur;
,, nunc mite jugum ſuſcipit, quum maturio-
,, ribus ſarmentis quaſi brachiis fœcundæ vi- Joan 15. 1. & 5.
,, tis adoleverit. *Agricola* quippe *Pater, vitis eſt*
Chriſtus,

Digitized by Google

„ *Chriſtus, at verò nos palmites:* qui niſi fructum
„ feramus in Chriſto, cultoris æterni falce ſuc-
„ cidimur. Rectè igitur *vinea*, Chriſti popu-
„ lus nominatur, vel quòd crucis in fronte
„ prætexat indicium, vel quòd fructus ejus
„ poſtremâ anni legatur ætate, vel quòd om-
„ nibus ut ordinibus vinearum, ita pauperi-
„ bus atque divitibus, humilibus atque po-
„ tentibus, ſervis ac dominis in Eccleſia Dei
„ æqua dimenſio, nulla diſcretio ſit: ut vitis
„ maritatur arboribus, ita corpus animæ, ani-
„ ma quoque corpori jugatur: ut vinea dum
„ jugatur, erigitur, & reciſa non minuitur,
„ ſed augetur; ita plebs ſancta dum ligatur,
„ exuitur; dum humiliatur, attollitur; dum
reciditur, coronatur". Quod enim Baſilius
de humana anima perhibet, id ipſum & in
Eccleſia locum habet, quæ *Domus eſt quam una-* *Pſalm.* 67. 7.
nimes inhabitant, quorum ſcilicet *Cor unum eſt,* *Actor.* 4. 32.
& anima una: W. Quemadmodùm qui vineam W. Baſil. in caput 5. Iſaiæ.
„ putant, ait ipſe, aſtringunt ejus vires & in-
„ ternè continent, ut majore cum tempera-
„ mento procedat ad proferendos utiles fru-
„ ctus: ſic & animæ contingit, quæ aſſiduita-
„ te afflictionum propendens & incurvata
„ contrahitur quodammodò in ſe, atque ita
„ humiliter ſeſe demittit atque humiliat, &
„ ad ſuiipſius diligentiorem cuſtodiam retra-
„ hitur, in rebus peragendis id eligens quod
„ neceſſarium ſibi cenſet ac utile: è diverſo
„ anima quæ indulgenter ac remiſsè vivere
„ ſinitur, perinde ac vinea quæpiam neglecta,
eluxuriat & ſylveſcit ſarmentis". Et Clemens
Alexandrinus in opere quod de Chriſto ſub
Pædagogi nomine edidit, X. Ipſe, inquit, de X Clem. Alex. lib 1. Pædagogi c. 8. Vide Greg. lib. 7. Regiſtri Epiſt. 32 Indict. 2. Joan 15. 2. & ſeqq.
„ ſeipſo Pædagogus apertiſſimè exponit, mul-
„ tiplicem multiſque modis utilem culturam
„ allegoricè ſignificans, quando ait, *Ego ſum*
„ *vitis vera, & pater meus agricola eſt:* Deinde
„ rurſus ſubjunxit, *Omnem palmitem in me non*
„ *ferentem fructum, tollit ipſum; & quicquid fru-*
„ *ctum fert, expurgat, ut fructum amplius ferat.*
„ Sylveſcit enim vitis, niſi putetur: ſic &
homo". Sed quid hìc egemus multitudine te-
ſtium, cùm veritas ipſa de cæleſti agricolâ
teſtetur, quòd *palmitem fructificantem purget*, id
eſt, putet: *ut fructum plus afferat?* Ex quo pla-
num eſt, vitis ſpiritalis putationem conduce-
re ad uberiorem fructificationem. Cujus rei
ſpecimen habemus in eâ vineâ de qua dictum
eſt cæleſti agricolæ; *Vineam de Ægypto tranſtu-* *Pſalm.* 79. 9.
liſti. De hac quippe ſcriptum eſt, quòd *Quanto* *Exod.* 1. 12.
ab Ægyptiis opprimebatur, tanto magis multiplica-
batur & creſcebat: præſtante nimirùm ſuperno
agricolâ, qui vineam ſuam purgat, ut fru-
ctum plus afferat: de quo canit Pſaltes, *Auxit* *Pſalm.* 104. 24.
populum ſuum vehementer, & firmavit eum ſuper
inimicos eius: Y. In Exodo, inquit Cyprianus, Y Cyprian. lib. de Exhort. Mart. cap. 10.
„ declarat Scriptura divina, preſſuris multi-
„ plicari nos potiùs & augeri, dicens: *Quan-* Vide Ambroſiaſtrum in caput 10. Apocalyp.
„ *tò eos deprimebant, tanto plures fiebant, & in-*
valeſcebant magis". Ex quo cernere licet, quàm
non incongruè Eccleſia uſurpet illud Apoſtoli
oraculum: *Cùm infirmor, tunc potens ſum.* 2. Cor. 12. 10.

CAPUT QUARTUM.

Eccleſia in ſenectute ultimi jam ſæculi recolens priſcas ſuas vexas & victorias, non jactuosè, ſed gratulosè replicat iſtum Gradualis Cantici verſiculum, Sæpè expugnaverunt me à juventute meâ, etenim non potuerunt mihi. *De nomine ac numero horum Canticorum, necnon de gradibus aſcenſionum Salomonici templi, quibus reſpondere cenſentur. Quindenarius eorum numerus velut Decima eſt totius Pſalterii. De hebdoadis, ogdoadis, & ex ambabus conflata pentadecadis myſteriis. Expenditur Eccleſiaſtis juſſum,* Da partem ſeptem, necnon & octo. *Cur hebdoas ad vetus, ogdoas ad novum, & pentadecas ad utrumque Teſtamentum referatur? Pauli apud Petrum quindenalis commoratio, quindenarii annorum numeri ætati Ezechiæ facta adjectio, veterum ſolemnitatum à decima quinta Menſis die inchoatio, quid denotent? Quindecim Cantica Gradualia, quindecim templi gradibus reſpondentia, totidem virtutum exercitia inculcant, quibus de hac lachrymarum valle in cæleſte ſanctuarium Eccleſia gradatim conſcendit: quarum virtutum notiones ac munia ſingulatim ex Genebrardo, Parezio, & Caſſiodoro perſtringuntur.*

XI. HÆc cùm ita ſint, facilè perſpicitur quàm bono jure ac ſine vanâ jactantiâ dicere queat myſticus Iſraël, in ſenectute jam ultimi ſæculi poſitus: *Sæpè expugnaverunt me à iuventute mea, etenim non potuerunt mihi.* Quæ verba ex eo Pſalmo ſumpta ſunt, qui decimum tenet locum in *canticis graduum* ſive *aſcenſionum.* Quæ quidem Cantica, quindenario numero digeſta, decimam Pſalterii partem complectuntur: z "Quamvis ordo Pſalmorum, inquit Auguſtinus, qui mihi magni Sacramenti videtur continere ſecretum, nondùm mihi fuerit revelatus, tamen quia omnes centum quinquaginta numerantur, etiam nobis, qui totius ordinis eorum altitudinem adhuc acie mentis non penetravimus, inſinuant aliquid, unde non impudenter, quantùm Dominus adjuvat, diſputare poſſimus. Primùm, quindenarius numerus, ex quo iſte multiplicatur: quod enim valent quindecim in ordine ſingulorum, hoc valent centum quinquaginta in ordine denariorum, quoniam quindecies deni eos faciunt: hoc valent mille quingenti in ordine centenariorum, quoniam quindecies centeni ſunt: hoc valent quindecim millia in ordine millenariorum, quoniam quindecies milleni ſunt. Quindenarius ergo numerus concordiam ſignificat duorum Teſtamentorum: in illo enim obſervatur ſabbatum, quod ſignificat quietem; in iſto Dominicus dies, qui ſignificat reſurrectionem. Sabbatum autem eſt dies ſeptimus; Dominicus verò poſt ſeptimum quid niſi octavus, idemque primus habendus eſt? Ipſe enim dicitur etiam *Vna ſabbati*, ut deinde ſit ſecunda, tertia, quarta, & deinceps uſque ad ſeptimum, ſabbatum. A Dominico autem uſque ad Dominicum octavus eſt dies, ubi Teſtamenti novi revelatio declaratur, quod in veteri tanquam ſub terrenis promiſſionibus tegebatur. Septem porrò & octo, quindecim ſunt: tot ſunt & *Cantica* quæ appellantur *graduum*, quoniam totidem fuerunt etiam templi gradus". Idem quoque Auguſtinus Enarratione in Pſalmum 89. tractans de ſeptuaginta & octoginta humanæ ætatis annis, illic v. 10. memoratis: "Septuaginta porrò anni, inquit, & octoginta, fiunt centum quinquaginta: quem ſacratum eſſe numerum, ſatis inſinuat liber Pſalmorum. Hanc enim habent in ſignificatione rationem centum quinquaginta, quam quindecim: qui numerus fit ſeptem & octo conjunctis, quorum primus inſinuat propter ſabbati obſervationem Teſtamentum vetus, ſecundus Teſtamentum novum propter Domini reſurrectionem. Hinc ſunt in templo quindecim gradus, hinc ſunt in Pſalmis quindecim *cantica graduum*, hinc quindecim cubitis ſummos montes aquâ diluvii ſuperavit, & ſi quibus aliis locis ſacratus commendatur hic numerus". Et ante Auguſtinum Hilarius Picta-

Pſal. 128. 2.

z. Auguſt. Præfat. in Pſalm. 150.

Ioan. 20. 1.

Vide Clem. Alex. lib. 6. Stromat.

Pictavienſis, ediſſerens cur poſt Pſalmum 118.
per ogdoades digeſtum, ſubjungantur in Pſal-
terio *cantica graduum*, numero quindecim:

A. Hilar. prologo in Pſalterium.

A. Conſequens eſt, inquit, ſecundùm octo-
,, narium viginti duarum ogdoadum nume-
,, rum, eum qui ſubjectus eſt, in quindecim *can-*
,, *ticis graduum* Pſalmorum numerum contue-
,, ri. Poſt perfectam enim illam præceden-
,, tium ogdoadum doctrinam, hoc *canti-*
,, *cum graduum* in quindecim Pſalmis, &
,, duobus perfectis numeris oportuit conve-
,, nire, hebdoade ſcilicet & ogdoade, id eſt,
,, ſeptimo & octavo numero. Nam per ob-
,, ſervantiam legis, quæ in hebdoade conſti-
,, tuta eſt, & Evangelicum profectum, qui
,, ogdoadis & præſenti religione & ſperatâ ex-
,, pectatione perficitur, iſto *cantico graduum* in
,, cæleſtia & æterna conſcenditur. Nam & in
,, templo per hunc numerum graduum prin-
,, ceps Sacerdotum in Sancta Sanctorum con-
,, ſcendebat: ut quia neque hebdoas legis ſine
,, Evangeliorum ogdoade, neque ogdoas E-
,, vangeliorum ſine legis hebdoade virum
,, poſſet præſtare perfectum; quiſquis illa per-
,, fectè credidiſſet, in his perfectis & beatis
,, Sanctis Sanctorum perfectum hunc virum,
,, qui in quindecim *graduum cantico* eſt, heb-
doadis & ogdoadis numerus locaret". Qui
rurſus præfatione in Pſalmum 119. qui primus
eſt in ordine *canticorum graduum*, ita ait:
" Eſſe autem in templo gradus quindecim, hi-
,, ſtoria nobis locuta eſt, diſpoſitoſque ordi-
,, nes conſiſtentium; quibus quædam quaſi di-
,, gnitas in antecedentibus obtineretur: ut
,, Levitæ primùm conſiſterent, pòſt Iſraëlitæ,
tum proſelyti, & deinceps alii". Et iterum
poſt pauca: " De quindecim gradibus quidem
,, ex ſuperſcriptione Cantici jam in exordio
,, Pſalmorum, tum cùm ſermo de numeris &
,, ſuperſcriptionibus incidit, aliqua tractavi-
,, mus: ex duobus ſcilicet numeris, hebdoa-
,, de & ogdoade, quorum unus ad Sabbatum
,, legis ſit, alius ob accedentem ad Sabbatum
,, octavam, quæ & prima eſt Evangeliorum;
,, ſic hunc numerum convenire, per quem eo-
,, rum canticum, quaſi legis & Evangeliorum
,, gradibus, ad cæleſtia nos & æterna conſcen-
,, dimus: cognoſcentes, collocandos cum
,, ſummo Sacerdote in cæleſtibus, ſi tamen
,, ſecundùm Paulum *converſatio noſtra in cælis ſit*,
,, & hos gradus canticorum quæramus, per
,, quos aſcendere ad loca quæ ſunt Sanctorum
,, Sancta poſſimus: Arduus enim uſque ad ea
,, & anguſti itineris aſcenſus eſt. Gradus quin-
,, decim fuiſſe ſcimus in templo, Pſalmos
,, quoque graduum quindecim legimus. Nu-
,, meroſus eſt hic deſideratæ ſedis illius aſcen-
,, ſus: fortè enim, ut in templo, paulatim &
,, per gradus ſingulos Pſalmorum profectus
,, docebimur, his gradibus qui cantantur aſ-
,, cenſis poſſe nos in excelſis & ſanctis & æter-
nis collocari".

XII. Quindenarius iſte *canticorum gradua-* XII.
lium numerus, ſeptenario conſtat & octonario;
idemque per denarium multiplicatus, ſeſqui-
centenarium Pſalmorum numerum adæquat,
ſeptuagenario octogenarioque conſtantem.
Rurſùs ſi ſeſquicentenarium Pſalmorum nu-
merum per quindenarium dividas, habebis in
quotiente denarium; ſi verò per denarium,
habebis in quotiente quindenarium, ſeptena-
rio conſtantem & octonario: quorum prioris
myſteria percenſet Nazianzenus Orat. 44. ſub Nazianzenus.
initium; poſterioris, Auguſtinus tum hic ſu-
prà, tum Epiſt. 119. cap. 13. Ubi uterque ad Auguſtinus.
ſuum reſpectivè ſcopum accommodat iſtud
Eccleſiaſtis monitum: *Da partem ſeptem, nec-* Eccle. 11. 2.
non & octo. In cujus loci Commentario Hiero-
nymus: B. In Ezechiele, inquit, ſeptem & B. Hieron. in caput 11. Eccleſiaſtis.
,, octo gradus ad templi leguntur aſcenſum: &
,, poſt ethicum illum Pſalmum, id eſt, cente-
,, ſimum octavum & decimum, quindecim
,, graduum Pſalmi ſunt, per quos primùm eru-
,, dimur in lege: & ſeptenario numero ex-
,, pleto, poſtea per ogdoadem ad Evangelium
,, ſcandimus. Præcipitur ergo ut in utrumque
,, Inſtrumentum, tam vetus ſcilicet quàm no-
,, vum, pari veneratione credamus. Judæi *de-* Vide Olympiodorum in caput 11. Eccleſiaſtis, & Petrum Bleſenſem Epiſt. 141.
,, *derunt partem ſeptem*, credentes Sabbatum:
,, ſed non dederunt *octo*, reſurrectionem diei
,, Dominicæ denegantes. E contrario hære-
,, tici, Marcion & Manichæus, & omnes qui
,, veterem legem rabido ore dilaniant, *dant*
,, *partem octo*, ſuſcipientes Evangelium: ſed
,, eandem ſeptenario numero non tribuunt,
,, legem veterem reſpuentes. Nos igitur utri-
,, que Inſtrumento credamus: non enim poſ-
,, ſumus dignos cruciatus ac dignam pœnam
,, jam nunc mente comprehendere, quæ repo-
,, ſita ſunt his qui verſantur in terrâ, Judæis
,, atque hæreticis, è duobus alterum dene-
gantibus". Idem rurſus in caput 5. Micheæ:
" In templo Ezechielis, inquit, quod inter-
,, pretatur Eccleſia, & cæleſtis Hieruſalem,
,, *ſeptem & octo gradibus* aſcenditur: & in Pſal- Ezech. 40. 26. & 49.
,, terio quindecim gradus ſunt, quibus per
,, hebdoadem & ogdoadem ad cantandas Deo
laudes ſcandimus". Et Ambroſius in Epiſtola
ad Studium: C. Septimus dies, inquit, legis C. Amb. Epiſt. 52. editionis Romanæ.
,, myſterium ſignat, octavus reſurrectionis:
,, ſicut habes in Eccleſiaſte, *Da partem illis ſe-* Vide Enarrat. 2. in Geneſim ad Horontianum. & lib. de Jacob cap. 11.
,, *ptem, illis octo*. Nam & in Prophetâ Oſee le-
,, giſti dictum ad eum, *Conduc tibi fornicariam* Oſe. 3. 2.
,, *quindecim denariis*: eò quòd gemino ære, ve-
,, teris & novi Inſtrumenti, hoc eſt, integro
,, fidei pretio, mulier illa, vago quodam &
,, meretricio Gentium conventuum comitatu
fulta, conducitur". Addit quoque poſt pauca
ibidem: " Nec otioſè quindecim anabath-
morum Pſalmos Daviditos legimus". Ubi

expreſsè alludit ad *cantica graduum*, quindenario numero comprehenſa; cujus numeri partes ſunt ſeptenarius & octonarius. Gregorius item Papa cùm de quindecim gradibus Salomonici templi diſſeruiſſet, ſubdidit de ſeptenario & octonario, quibus quindenarius ille numerus conflatur: D. Per quindecim illius templi (*Salomonici*) gradus, ſpiritalis Sanctorum ſignatur aſcenſus: numerus enim iſte in ſeptem „& octo dividitur, & ideò per eum gemina juſtorum vita ſignatur, activa videlicet & contemplativa. Activa namque in Mundo verſatur, contemplativa verò ad cæleſtia erigitur. „Quia verò ſeptenario numero temporalis, „octonario autem perpetua vita ſignatur, „rectè per eoſdem numeros & contemplativa „vita exprimitur, & activa. Hinc namque „prædicti templi auctor Salomon Dominum „exorans ait: *Da mihi, Domine, partes ſeptem, nec non & octo*". Qui rursùs de quindecim *Canticis graduum* ſignatè loquens: "Quia ergo, ſubdit, hi quindecim Pſalmi quandam ſpiritalis aſcenſûs continent formam, rectè ſub „eodem titulo omnes prænotati ſunt: ut ſicut „ad illud materiale templum per gradus aſcendebatur lapideos, ita cæleſte illud templum „hæc nobis *Cantica* præferant, per quæ in „Deo exultans anima quaſi per quoſdam gradus aſcendat". Et iterum Hieronymus, in Commentario Epiſtolæ ad Galatas: E. Licèt „quibuſdam ſuperfluum videatur, inquit, „numeros quoque, qui in Scripturis Sanctis „ſunt, obſervare: tamen non abs re arbitror, „*Quindecim dies, quibus apud Petrum Paulus habitavit*, plenam ſignificare ſcientiam, conſummatamque doctrinam: ſiquidem quindecim „ſunt carmina in Pſalterio; & quindecim gradus, per quos ad canendum Deo, & in atriis „ejus conſiſtendum, juſtus aſcendit: Ezechias quoque, quindecim annorum ſpatio „ſibi ad vitam dato, ſignum accipere meretur in gradibus; & ſolemnitates Dei à quintodecimo die incipiunt".

D Gregor. Proœmio in Pſalm. 6. Pœnit. Vide l. 35. Moral. c. 7. & Homil. 16. & 20. in Ezechiel.

E. Hieron. lib. 1. Comment. in c. 1. ad Galat. v. 18.

Gal. 1. 18.

XIII. Supereſt ut de quindenis iſtis *graduum canticis* ſingulatim diſſeramus, & affectionem cordis unicuique reſpondentem deſignemus. Et quidem juxta Genebrardum F. primo cantico reſpondet afflictio, ſecundo proſpectus „ad Deum, tertio lætitia communionis, quarto invocatio, quinto gratiarum actio, ſexto „confidentia, ſeptimo patientia & expectatio „divinæ liberationis, octavo Dei gratia & „favor, nono timor Domini, decimo martyrium, undecimo peccatorum deteſtatio, „duodecimo humilitas, decimotertio deſiderium adventûs Chriſti, decimoquarto concordia & charitas, decimoquinto aſſidua Dei benedictio". Jacobus Chriſtopolitanus in primum *canticum graduum* quodam velut prologo ediſſerit ſcopum Pſalmographi in componendis & diſponendis quindenis iſtis *canticis graduum*, redditâ etiam ratione ordinis quo ſubnectuntur Pſalmo 118. quem Hieronymus proximo §. relatus *ethicum* vocat, id eſt, moralem: G. Sicut David, ait ipſe, fecit „Pſalmum præcedentem (*ſcilicet* 118.) in quo „denotatur tota peregrinatio hujus Mundi, „in quo homo myſticus peregrinatur ab Adam „uſque ad Chriſtum, & à Chriſto uſque ad „ultimum judicium, ſive ad finem vitæ cujuſlibet hominis, ut dictum eſt in Pſalmo „præcedenti: ita pariter David fecit hos „quindecim Pſalmos pro aſcenſu quindecim „graduum templi, per quos denotantur & „memorantur quindecim gradus virtutum, „ſine quibus nemo poteſt in cælum aſcendere, „nec gloriam amiſſam recuperare. Nam per „illam civitatem Hieruſalem intelligebatur „præſens Eccleſia, & per templum in eâ ædificatum ſuperior patria; ad denotandum, „quòd licèt ſimus in iſtâ Hieruſalem per fidem & gratiam, tamen adhuc reſtet ut aſcendamus in Hieruſalem ſupernam, per gradus „& merita virtutum. Et hoc figurabatur per „peregrinationem Judæorum, qui erant in „diſperſione: nam veniebant de Græciâ, & „de Italiâ, & de Ægypto, & de cæteris partibus Mundi, ad diem feſtum in Hieruſalem. „Sed dum erant ibi, adhuc reſtabat ut aſcenderent per quindecim gradus, in templum. Et „ideò illi peregrini dum peregrinabantur per „itinera, dicebant Pſalmum præcedentem, ſcilicet, *Beati immaculati in via &c.* & hoc per „totum iter: ſed poſteà in aſcenſu templi, dicebant hos quindecim Pſalmos, unum in quolibet gradu, per ordinem procedendo. Sed „*omnia illis contingebant in figurâ*: nam totum ſpatium itineris, à domibus ſuis uſque ad portas „Hieruſalem, ſignificabat totum decurſum legis ab Adam uſque ad Chriſtum, & Eccleſiam „Evangelicam: ſed à portis Hieruſalem, „uſque ad templum, ſignificabat decurſum „legis Evangelicæ, & fidelium, qui peregrinantur in hac Hieruſalem, ſive Eccleſiâ „Chriſti. Aſcenſus denique graduum templi „figurabat aſcenſum in gloriam cæleſtem: & „ideò David fecit hos quindecim Pſalmos, appropriatos his quindecim gradibus templi, „ſecundùm ordinem virtutum. Nam primus „Pſalmus appropriatur primo gradui virtutum, qui eſt receſſus à mundanis: & ultimus „Pſalmus memorat ultimum gradum virtutum, qui eſt quietè laudare Deum; etenim „dicit perfectionem gloriæ, quæ eſt jam in „patriâ inceſſanter Deum glorificare ac benedicere: & ideò ultimus Pſalmus ait, *Ecce nunc benedicite Dominum* &c. Ac ſic ſecundùm ordinem virtutum prudens lector poteſt facere diviſionem iſtorum quindecim Pſalmorum". Quam quidem diviſionem idem ipſe author

F. Genebrar. in Pſal. 119. ſeu primum Canticum graduum.

G. Jac. Perez de Valentiâ in Pſal 119. Vide Lombardum ibi & ſeqq.

Pſ. 118. 1.

1. Cor. 10. 11.

Pſ. 133. 1.

author ita facit, ut primo *cantico graduali* approprietur *receſſum à mundanis*, prout mox ex ipſo audivimus: ſecundo item cantico *levationem mentis in cælos*: tertio *gaudium de bonis ſpiritalibus promiſſis*: quarto *ſublevationem mentis in ipſum Deum habitatorem cælorum*: quinto *gratiarum actionem pro liberatione ab infeſtatione malorum*: ſexto *confidentiam ſecuritatis*: ſeptimo *gaudium de bonis poſt converſionem factis*: octavo *agnitionem divinæ opis ad quodvis bonum faciendum, malumve cavendum*: nono *timorem filialem erga Deum cum obedientiâ mandatorum eius*: decimo *patientiam longam in perſecutione*: undecimo *orationem ex imo cordis ad Deum, cum ſpe veniæ*: duodecimo *profundam humilitatem*: decimotertio *profundam devotionem erga Deum*: decimoquarto *mutuam proximorum charitatem*: decimoquinto *laudationem Dei cum gratiarum rependione*. Atque hinc apparet quàm verè ac ſapienter ſcripſerit author commentarii in Pſalmos Hieronymo attributi: [H] Quindecim graduum Pſalmi per „ quoſdam profectus nos ad ſummum perducunt, ut in atriis Domini poſſimus dicere: „ *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſervi Domini*"! Cui adjungenda videntur verba, quibus Caſſiodorus explanationem *canticorum gradualium* concludit: [I] Libet referre, inquiens, „ quemadmodùm uſque ad ſupernam Hieruſalem gradus iſti pervenerint. Primo ſiquidem gradu deſignat ſæculi horrorem, poſt „ quem ad virtutum omnium ſtudia feſtinatur: Secundo virtus divinæ defenſionis exponitur, cui nihil obviare poſſe monſtratur: „ Tertio magnum gaudium eſſe dicitur, in „ Eccleſiâ Domini purâ mente verſari: Quarto inter quaſlibet anguſtias docet conſtanter „ de Domino præſumendum, donec miſeratus „ exaudiat: Quinto monet ut liberati à periculis non nobis aliquid, ſed omnia virtutibus Domini applicemus: Sexto montibus „ ſolidiſſimis comparatur confidentia fideliſſimi Chriſtiani: In ſeptimo dicitur, quòd „ copioſos fructus metant, in lachrymis ſeminantes: Octavo nihil permanere dicitur, „ quod voluntate propriâ unuſquiſque fuerit „ operatus, ſed illa tantùm eſſe firmiſſima „ quæ authore Domino conſtruuntur: Nono „ pronuntiatur homo timore Domini beatus „ fieri, & univerſa ei profutura concedi: Decimus infundit patientiam devotis, quam „ per Eccleſiæ verba commendat: Undecimo „ de profundis pœnitens clamat ad Dominum, „ ut in liberandis hominibus quanta ſit divinitatis potentia ſentiatur: Duodecimo virtus manſuetudinis & humilitatis oſtenditur; „ Tertiodecimo ſanctæ Incarnationis promiſſio, & dictorum veritas approbatur: Quartodecimo fratribus ſpiritalis adunatio prædicatur, ſuper quos benedictio Domini & „ æterna vita provenire monſtratur: Quintodecimo in laudibus Domini perfecta illa „ charitas excitatur, ſupra quam nihil poteſt „ nec majus dici, nec glorioſius inveniri; ſicut Apoſtolus teſtatur, *Deus charitas eſt*".

Vide Arnob. in Pſal. 132.

H. Hieron. in titulum Pſalmi 119.

I. Caſſiod. in Pſal. 133.

1. Ioan. 4. 8.

CAPUT QUINTUM.

Etſi David, Canticorum Gradualium conditor, templum à Salomone ſibi ſuperſtite ſtructum non viderit in corpore, vidit tamen in ſpiritu; vidit quoque in ideâ divinitùs ſibi traditâ, quemadmodùm Moyſes extruendum viderat tabernaculum. Pſalmus centeſimus vigeſimus octavus in ordine totius Pſalterij, decimus eſt in ordine Gradualium, eoque patientia in præſens, & confidentia in futurum ingeritur: ut Eccleſia experimento præteritorum erecta diſcat tolerare fortiter mala præſentia, & obfirmare ſe fidenter adverſus futura. Expugnandi *verbum non ſemper importat victoriæ adipiſcentiam, ſed ſubinde ſolam pugnæ vehementiam: nec perfecta cenſetur* expugnatio, *quamdiu ſupereſt iteranda conflictio. Eccleſia oppugnari jugiter poteſt, expugnari funditus nunquam poteſt: quippe cui divinitùs conceſſum eſt, ut improborum perſecutionibus creſcat, & ſuâ contritione grandeſcat. Dubitandi adverbia, ſtylo Scripturis proprio, non denotant euentûs incertitudinem, ſed periculi duntaxat magnitudinem.*

XIV. Quamvis unius duntaxat *cantici gradualis* verba ſuſceperim hìc expendenda, atque in aſtructionem ſtabilitatis Eccleſiæ adhibenda: placuit tamen de numero ac myſterio eorundem Canticorum ſummariè diſſerere; exemplo nimirum Beati Gregorii, qui cùm in expoſitione Pſalmorum pœnitentialium perveniſſet ad ſextum, qui in gradualibus undecimus eſt, ejus unius occaſione numerum ac myſte-

ac myſterium eorundem canticorum proœmia-
PRÆOCCUPATIO.
liter elucidavit. Cæterùm ne quis fortè autu-
met *cantica* illa *graduum* perperam à nobis re-
ferri ad totidem gradus templi, quod nonniſi
demùm poſt Pſalmographi mortem ædificari
& gradibus ſuis ornari cœptum eſt: ſciendum
eſt, Pſalmographum ultra oculos corporis ha-
buiſſe oculos mentis, & quidem divinitùs il-
K Chryſoſt. in Pſal. 43.
luminatos ad contemplanda futura: K. Tales
„ enim, inquit Chryſoſtomus, ſunt Prophe-
„ tæ: omnia tempora percurrunt, præſentia,
præterita, futura". Et ante hunc Hilarius;
L. Hilar. præfatione in cantica graduum.
L. Pſalmi, inquit, non ſui tantùm temporis
„ res enunciant, neque in eas ſolùm ætates
„ conveniunt quibus ſcripti ſunt; ſed univer-
„ ſis qui in vitam venerint Dei ſermo conſulit,
„ univerſæque ætati ipſe aptiſſimus eſt ad pro-
M. Baſil. in cap. 13. Iſaiæ.
fectum". Et Magnus Baſilius: M. Eam ob
„ cauſam, inquit, Prophetæ appellati ſunt *vi-*
„ *dentes*, quòd eorum menti quadantenùs ad-
„ mota ſit viſio cæteris perſpicacior, idque per
„ præſentiam Sancti Spiritus ſuâ eos luce cir-
Ex. 4. 11.
„ cumfundentis. *Quis tandem eſt qui fecit viden-*
„ *tem, & cæcum?* Videntem, nimirum Pro-
„ phetam; quòd is acumine mentis poſſit præ-
„ videre quod futurum ſit, ejuſque aciem in
id preſſiùs infigere". Et Gregorius Papa;
N. Gregor. Homil. 2. in Ezechielem.
N. Intuendum eſt, inquit, quia ſicut nos cor-
„ poralia, ſic Prophetæ ſenſu ſpiritalia aſpi-
„ ciunt: eiſque & illa ſunt præſentia, quæ
noſtræ ignorantiæ abſentia videntur". Et
O. Jac. Parez de Valentia in Pſal. 119.
Jacobus Chriſtopolitanus Antiſtes: O. Tota
„ ædificatio, inquit, & diſpoſitio Hieruſa-
„ lem, & illius templi, fuit figura Chriſti, &
„ Eccleſiæ militantis, atque ex conſequenti
„ Eccleſiæ triumphantis. Et ideò antequam
„ ædificaretur, fuit tradita ipſi David à Spi-
„ ritu Sancto deſcriptio & exemplar totius
„ templi, & tabernaculi; in quâ intellexit
„ omnia quæ ibi erant deſcripta, & figurata;
„ ut patet 1. Paralip. 28. Et ideò ſicut ordi-
„ navit David, ita Salomon ædificavit tem-
„ plum in monte *Moria*, cum aſcenſu quinde-
„ cim graduum, ſecundùm exemplar ſibi tra-
ditum". Quemadmodùm igitur Moyſes in
colloquio cum Deo in monte Sinai edoctus
eſt totam fabricam tabernaculi, nondùm tunc
ædificati: ita & David divinitùs illuſtratus
totam templi, quod ædificare meditabatur,
ſtructuram & ornaturam perdidicit. Rurſùs
quemadmodùm Moyſi exhibita fuit quædam
idea tabernaculi extruendi, juxta illud Do-
Ex. 26. 30.
mini ad ipſum, *Eriges tabernaculum iuxta exem-*
plar quod tibi in monte monſtratum eſt: ſic & Da-
vid ideam templi poſtmodùm extruendi ſibi
à Deo præexhibitam conſignavit in manus
Salomonis ſucceſſoris ſui, cui erectionem
ejuſdem templi divinitùs reſervari didicerat:
1. Par. 28. 2. & 3.
Cogitavi, ait ipſe, *ut ædificarem domum, in qua*
requieſceret Arca fœderis Domini, & ſcabellum pe-
dum Dei noſtri: & ad ædificandum omnia prepara-
vi. Deus autem dixit mihi: Non ædificabis domum
nomini meo, eò quòd ſis vir bellator, & ſanguinem
Ibid. v. 6.
fuderis. Et iterùm poſt pauca ibidem: *Dixitq;*
mihi Dominus, Salomon filius tuus ædificabit domum
meam, & atria mea. Et rurſùs aliquanto infe-
Ibid. v. 11. & ſeqq.
riùs: *Dedit autem David Salomoni filio ſuo deſcri-*
ptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cæ-
naculi, & cubiculorum in adytis, & domus propi-
tiationis, necnon & omnium quæ cogitaverat atrio-
rum, & exedrarum per circuitum in theſauros do-
mus Domini, & in theſauros ſanctorum, diviſionumq;
ſacerdotalium & leviticarum, in omnia opera domus
Domini, & in univerſa vaſa miniſterii templi Domini.
Et adhuc inferiùs de ſeipſo loquens David:
Ibid. v. 19.
Omnia, inquit, *venerunt ſcripta manu Domini ad*
me, ut intelligerem univerſa opera exemplaris. In
P. Jac. Tirinus in cap. 28. libri 1. Paralip.
quem locum Tirinus ita ſcribit: P. Sicut olim
„ Moyſi tradita ab Angelo fuit idea taberna-
„ culi, & omnis ornatus illius: ita nunc Da-
„ vidi forma templi, & omnis ſupellectilis il-
„ lius, quia in multis magna fiebat mutatio,
cælitus tradita fuit". Et ſuperiùs in caput 6.
libri 3. Reg. " Ut olim Moyſes formam ta-
„ bernaculi, ſic David templi ideam à Deo
„ acceperat, 1. Paralip. 28. v. 19. *Omnia*, in-
„ quit, *venerunt ſcripta manù Domini ad me.* Et
huic ideæ inſtitit Salomon". Patet igitur
quemadmodùm David cecinerit ac diſpoſue-
rit *cantica graduum*, juxta numerum ac ſeriem
graduum templi Salomonici; licèt ipſum
templum nonniſi in ideâ viderit, utpote poſt
ejus ex hac vitâ abſceſſum ædificari demùm
cœptum.

XV. Decimo itaque gradui templi reſpon-
debat decimum *canticum graduum*, quod in or-
dine Pſalmorum totius Pſalterii eſt 128. quo
ingeritur nobis patientia in perſecutionibus,
cum confidentiâ concipiendâ ex memoria
Q. Arnob. in Pſal. 128.
præteritarum victoriarum: Q. In decimo
„ gradu, inquit Arnobius, paſſi ſumus pugnas,
& in adjutorio Dei victoriam cepimus". Et
R. Caſſiod. in Pſal. 128.
Caſſiodorus: R. Iſte gradus decimus, inquit,
„ denario jam promovetur aſcenſu, terrena
„ deſerens, & ſupernis ſe glorioſâ vicinitate
conjungens". Et mox ibidem rurſùs: " Do-
„ cet Propheta, inquit, toleranter nos ſæculi
„ moleſtias ſuſtinere, quando Eccleſiæ cre-
bras fuiſſe comprobat paſſiones". Et Lom-
S. Lombard. in Pſal. 128.
bardus hunc ſecutus: S. Decimus gradus eſt,
„ inquit, ut qui caſtè Deum timet, pro eo
„ omnia patienter ferat: quod nunc expedit
Eccleſiæ inter malos". Et Jacobus Chriſtopo-
T. Jac. Parez de Valentia in Pſal. 128.
litanus Epiſcopus: T. Decimus gradus, inquit,
„ aſcenſus in cælum, eſt patientia longa in
„ perſecutione. Ideò David fecit hunc Pſal-
„ mum pro decimo gradu templi, in quo me-
„ morat longam patientiam Eccleſiæ in lon-
„ gis perſecutionibus, ab Abel uſque ad Chri-
„ ſtum, & à Chriſto uſque ad Judicium; unde
meruit

Digitized by Google

„ meruit aſcendere in cælum, & obtinuit vi-
„ ctoriam de inimicis, patienter tolerando
„ eorum incurſus. Duo ergo facit: nam pri-
„ mò memorat longam ejus patientiam in
„ perſecutionibus, ſecundò punitionem per-
Pſal. 128. 4. „ ſequentium, ibi: *Dominus juſtus concidit* &c.
„ Dicit ergo Eccleſia, & homo iſte myſticus,
Ibid. v. 1. „ vel dicit David in perſonâ Eccleſiæ: *Dicat*
„ *nunc Iſraël, Sæpè expugnaverunt me*, infideles,
„ & inimici Dei, & peccatores, & ſcelerati,
„ *à juventute mea*. Nam primò à juventute &
„ infantiâ meâ fui impugnata in Abel per
„ Cain, ubi inceperunt duæ civitates, Dei ſci-
„ licet & diaboli, item filii Dei & filii car-
„ nis: deinde Cham impugnavit Noë; &
„ Chaldæi ipſum Abraham, & Iſmaël ipſum
„ Iſaac, & Eſau Jacob, & Pharao omnes fi-
„ lios Iſraël in Ægypto, & Saul Davidem, &
„ Reges Ægypti, & Babylonis, & Antiochus
„ impugnârunt populum Dei, & Judæi im-
„ pugnaverunt Chriſtum & Apoſtolos, & ty-
„ ranni Martyres, & hæretici Catholicos, &
„ Antichriſtus impugnabit totam Eccleſiam:
„ ideo dicit, *Sæpè expugnaverunt me à juventute*
„ *mea*, ſupple, uſque ad ſenium. Veruntamen
„ licèt *ſæpè expugnaverint me*, tamen quia pa-
„ tiebar talia cum fide bonâ, ſpe, & charitate,
„ ideo *Non potuerunt mihi* prævalere, nec in
„ animâ nocere, licèt afflixerint corpus, &
Ibid. v. 3. „ *Supra dorſum meum fabricaverint peccatores*,
„ & importabilia ſupra dorſum meum impo-
„ ſuerint onera: & ſic *prolongaverint iniquitatem*
„ *ſuam* ſupra dorſum meum. In tranſlatione
„ autem Hieronymi habetur, *Supra cervicem*
„ *meam araverunt aratores, & prolongaverunt ſul-*
„ *cum ſuum*, quod idem eſt: nam vult dicere,
„ quòd peccatores perſequendo fideles, &
„ populum Dei, & Eccleſiam, nocuerint qui-
„ dem in bonis temporalibus, & in laboribus
„ corporalibus, & in carne, occidendo, & af-
„ fligendo corpus: ſed non vicerint, nec po-
„ tuerint occidere animam, nec totaliter Ec-
„ cleſiam delere; imò ipſi fuerint deleti in
corpore & animâ". Ante hos quoque omnes
V. Auguſt. in Pſalm. 128. Auguſtinus: "Qui pertinaces ſunt in mali-
„ tiâ, inquit, quamvis audiant verbum Dei,
„ ſcandalis quotidie perturbant Eccleſiam:
„ de talibus dicit iſte Pſalmus, *Sæpè expugnave-*
„ *runt me à juventute meâ*. Eccleſia loquitur de
„ his quos tolerat: & tanquam diceretur,
„ Nunquid modò, & non olim eſt Eccleſia?
„ Ex quo vocantur Sancti, eſt Eccleſia in ter-
„ râ. Aliquando in ſolo Abel erat Eccleſia, &
„ expugnatus eſt à fratre malo & perdito
„ Cain: aliquando in ſolo Henoch Eccleſia
„ erat, & tranſlatus eſt ab iniquis: aliquando
„ in ſolâ domo Noë erat Eccleſia, & pertulit
„ omnes qui diluvio perierunt, & ſola Arca
„ natavit in fluctibus, & evaſit ad ſiccum: ali-
„ quando in ſolo Abraham Eccleſia erat, &
„ quanta pertulit ab iniquis novimus: in ſolo
„ filio fratris ejus Loth & in domo ejus in
„ Sodomis Eccleſia erat; & pertulit Sodomo-
„ rum iniquitates & perverſitates, quouſque
„ Deus eum de medio ipſorum liberavit.
„ Cœpit eſſe jam in populo Iſraël Eccleſia,
„ pertulit Pharaonem & Ægyptios: cœpit &
„ in ipſa Eccleſiâ, id eſt, in populo Iſraël nu-
„ merus Sanctorum, Moyſes & cæteri Sancti
„ pertulerunt iniquos Judæos, populum Iſraël.
„ Ventum eſt & ad Dominum noſtrum Je-
„ ſum Chriſtum, prædicatum eſt Euangelium;
„ dixit in Pſalmis, *Annunciavi & locutus ſum*, Pſalm. 39. 6.
„ *multiplicati ſunt ſuper numerum*. Quid eſt, *ſuper*
„ *numerum*? Non ſolùm illi qui crediderunt,
„ & qui pertinent ad numerum Sanctorum;
„ ſed & ſuper numerum intrarunt, multi juſti;
„ ſed plures iniqui: & pertulerunt juſti ini-
„ quos. Quando? In Eccleſiâ. Nunquid modò
„ ſolùm ex quo enumerat, ex quo commemo-
„ rat? Ideò ne miraretur modò Eccleſia, vel
„ ne quiſquam miraretur in Eccleſia, volens
„ eſſe membrum bonum Eccleſiæ; audiat &
„ ipſam Eccleſiam matrem ſuam dicentem
„ ſibi: Noli mirari ad iſta fili, *Sæpè expugna-*
„ *verunt me à juventute meâ*. Magnus affectus
„ hinc cœpiſſe Pſalmum, *Sæpè expugnaverunt*
„ *me à juventute meâ*. Quaſi aliquis jam loque-
„ batur: videtur enim non cœpiſſe, ſed reſ-
„ pondiſſe. Reſpondit autem quibus? Co-
„ gitantibus, & dicentibus: Quanta mala
„ perferimus? Quanta ſcandala crebreſcunt
„ quotidie? Quanti iniqui intrant in Eccle-
„ ſiam, & portamus eos? Reſpondeat autem
„ Eccleſia de quibuſdam, id eſt, de fortio-
„ rum voce reſpondeat querelis infirmorum,
„ & confirment firmi infirmos, & grandes
„ parvulos: & dicat Eccleſia, *Sæpè expugnave-*
„ *runt me à juventute, dicat nunc Iſraël, Sæpè ex-*
„ *pugnaverunt me à juventute meâ*. Dicat illud,
„ non timeat. Quò enim valet quòd cùm
„ dixiſſet, *Sæpè expugnaverunt me*, addidit, *à*
„ *juventute meâ*? Jam modò Eccleſiæ ſenectus
„ expugnatur, ſed non timeat. Dicat, *Sæpè*
„ *expugnaverunt me à juventute meâ*. Nunquid
„ ideò non pervenit ad ſenectutem, quia non
„ ceſſaverunt illi expugnando? Nunquid de-
„ lere potuerunt? Dicat verò Iſraël, & con-
„ ſoletur ſe Iſraël, conſoletur ſe ipſa Eccleſia
„ de præteritis exemplis, & dicat: *Sæpè ex-*
pugnaverunt me à juventute meâ".

XVI. Non deerit fortè qui ex hac ipsâ Ec- SCRVPV-LVS.
cleſiæ confeſſione elicere contendat, ipſam ho-
ſtili invaſioni aliquoties ſuccubuiſſe, adeoque
oppreſſam ſeu extinctam fuiſſe. Neque enim
expugnatur, quod duntaxàt impetitur, invadi-
tur, oppugnatur; ſed quod pugnando vin-
citur, ſternitur, ſubjugatur. Cùm ergo Eccle-
ſia de ſuis dicat hoſtibus, *Sæpè expugnaverunt*
me à juventute meâ, conſequenter fateri videtur

C fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe ſe ſæpè à ſua juventute expugnatam ab hoſtibus. Si autem expugnatam, conſequenter victam, proſtratam, ſubjugatam. Hic ſcrupulus profluit ex ignorantiâ idiotiſmi Hebraici, juxta quem crebrò verba actum ſonantia, non niſi conatum reipsâ important: prout ſcitè notat Tirinus, huic ipſi ſcrupulo obvians: „ W. *Expugnaverunt*, inquit, id eſt, expugnare „ conati ſunt. Nam verba Hebræa ſæpiſſimè „ tantùm ſignificant conatum, vel actum inchoatum". Probat ipſe id varijs exemplis ex Scripturâ ſumptis, in ſuis Prolegomenis, titulo *de Idiotiſmis linguæ Hebraicæ & Græcæ*, n 56. Pagninus quoque id probè ſciens, vertit ex Hebræo, *Multùm moleſtijs affecerunt me ab adoleſcentiâ meâ*. In editione item Pariſienſi Roberti Stephani pro *expugnaverunt*, legitur, *oppugnaverunt*: quod in Annotationibus explicatur, *infeſtarunt*, *moleſtijs affecerunt*. Commentarius denique Hieronymo attributus verbum *expugnandi* explanat verbo *impugnandi*. Quam explanationem ſatis confirmat clauſula iſta ſubjuncta in textu etiam vulgato, *Etenim non potuerunt mihi*, ſupple, prævalere: unde planum fit Eccleſiam oppugnationi hoſtili nequaquam ſuccubuiſſe, alioqui enim hoſtes ei prævaluiſſent. Notavit hoc ipſum pridem Caſſiodorus: X. *A juventute ſua*, inquiens, benè „ ſe *expugnatam* dicit Eccleſia: ut intelligas „ quia nunquam finita, quamvis ſemper ex„ pugnata eſt. Creſcit enim perſecutionibus „ improborum, ſuâque contritione grandeſcit: „ nam etſi videatur ſanctos viros in hac vita „ amittere, tamen eos futuræ patriæ proba„ tur acquirere; & ideò non poteſt finiri, „ quando illam detrimentis ſuis conſtat auge„ ri. Nam & ſequentia ſic declarant: dicit enim, „ *Etenim non potuerunt mihi*. Non potuiſſe ſibi „ prævalere dicit, quos *ſe expugnaſſe* ſuperiùs „ commemorat. Imperfecta enim eſt expugna„ tio, quando iterùm ad certamen reditur: nec „ victoria debet dici, poſt quam iterùm conſtat poſſe confligi". Dici præterea poteſt, Latinum Pſalmorum Interpretem ſtudioſè uſum fuiſſe vocabulo *expugnationis*, ad innuendum vehementiam ac violentiam impugnationis, quæ utique tanta extitit, ut ad effectum expugnationis perventura fuiſſet, ſi humanis duntaxàt viribus pugnatum fuiſſet, nec Dominus Eccleſiam peculiari aſſiſtentiâ protexiſſet. Hinc illa ejuſdem Eccleſiæ vox in alio cantico graduum: *Niſi quia Dominus erat in nobis, cùm exurgerent homines in nos, fortè vivos deglutiſſent nos: cum iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos: torrentem pertranſivit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem: Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum*. Ubi Genebrardus: Y Non dubium, inquit, quin du„ dùm abſorpta fuiſſet Eccleſia & membra „ ejus, niſi ſingulare Dei auxilium interve„ niſſet, propter nimiam multitudinem & po„ tentiam impiorum, Mundi Sapientum, „ ſæculi Principum, hæreticorum, denique „ dæmonum: qui cuncti à crepundiis adverſùs eam conſpirarunt". Et Beatus Proſper Aquitanicus: Z. Tota fidelium ſalus, inquit, tota „ patientium fortitudo, ad Deum, qui in „ ſanctis eſt mirabilis, referenda eſt: quia niſi „ in illis Dominus eſſet, furori impiorum fragilitas humana ſuccumberet". Rectè porrò monet Caſſiodorus, adverbia illa *fortè*, & *forſitan*, non importare credulitatis titubantiam, ſed periculi vehementiam. Quod cùm ibidem ſubſequenter variis exemplis ex Scripturâ excerptis monſtraſſet, adjecit: A. Vides tantis „ locis poſitum *forſitan*, ubi non erat ullatenùs „ ambigendum. Unde meritò hanc verborum „ titubantiam, ſed fidei magnam abſolutam„ que conſtantiam, proprium Scripturæ divi„ næ dicimus; quod uſus mundanis in rebus „ dubijs atque incertis tantùm ponere con„ ſuevit. Quapropter aliquid hujuſmodi di„ ctum non eſt defectus robuſtiſſimæ fidei, ſed „ exaggeratio magni periculi. Nam cur dubi„ tarent *aquam intolerabilem evaſiſſe animas ſuas*, „ cùm ipſi in ſuperioribus confeſſi ſint, *Torrentem pertranſivit anima noſtra*"?

EXCUTITUR.

W. Tirinus in Pſal. 128. ad v. 1.

Pagninus.

Pſ. 128. 1.

Ibid. v. 2.

X. Caſſiod. in Pſal. 128.

Pſal. 123. 2. & ſeqq.

Y. Genebr. in Pſal 123.

Z. Proſp. in Pſalm 123. Vide eund. Sentent. 33. & Epigram. 33.

A. Caſſiod. in Pſal. 123.

CAPUT

Digitized by Google

CAPVT SEXTVM.

Eccleſia in decimo Graduum Cantico à Pſalte dicta eſt ISRAEL, *cujus Hebraicæ dictionis trina interpretatio ſiſtitur, & pro qualibet ſuus patronorum cuneus adducitur. Prima, quâ interpretatur* Directus cum Deo, *aut* Rectus Dei: *pro quâ, ultra Hieronymum, adducuntur Oſeas & Iſaias. Secunda, quâ interpretatur* Vir videns Deum: *quam etſi Hieronymus* omnium penè ſermone detritam *fateatur, ipſeque eidem ſubinde patrocinetur; alibi tamen* violentam *appellat, aliàs quoque* non in elementis, ſed in ſono vocis *fundatam affirmat. Adducuntur pro eâ, præter ipſum Hieronymum, complures patroni, Hebræi, Græci, Latini. Tertia demum, quâ interpretatur* Fortis contra Deum, *ſive* Prævalens Deo: *quam non pauci etiam explicitè probant, nemo vel implicitè reprobat: ut quam conſtet ipſius primi authoris atque inditoris patrocinio niti, cui auſcultare neceſſum, cui refragari ſceleſtum fuerit.*

XVII. CUm jam aliquoties in ſuperioribus capitibus præmiſſum ſit, Pſalmographum in ſuo iſto invitatorio, *Dicat nunc Iſraël*, nomine *Iſraëlis* denotaſſe Eccleſiam, non modò pro tempore veteris Synagogæ & Legis Moſaycæ, ſed etiam pro tempore legis naturæ ante erectam Synagogam, necnon pro tempore legis Euangelicæ poſt repudiatam eandem Synagogam: operæ pretium fuerit diſcutere, cur Eccleſia eo nomine deſignetur. Ubi prænotandum, vocem Hebræam, *Iſraël*, trifariam à peritis Hebraici idiomatis interpretari: primò quidem ut Latinè ſonet *Rectum cum Deo*, ſive *Rectum apud Deum*, ſive *Rectum Dei*; vel item *Directum cum Deo*, aut *Directum ad Deum*, aut *Directum Dei*. Cui interpretationi favere videtur Oſeas, cùm de Jacob Patriarcha ait, *In utero ſupplantavit fratrem ſuum, & in fortitudine ſuâ directus eſt cum Angelo*, perſonam ſcilicet Dei gerente. Ubi Hieronymus: [B] Non ſolùm, inquit, in utero ſupplantavit fratrem ſuum, ſed *in fortitudine* quoque *ſuâ directus eſt cum Angelo*, quando ad torrentem Jaboc adversùm Angelum totâ nocte pugnavit. Et quia *directus eſt cum Angelo*, propterea *Dirigentis*, ſeu *Directi* nomen accepit". Favere ſimiliter videtur Iſaias, qui cùm priùs Patriarcham ac populum ab eo prognatum nominaſſet *Iacob*, & *Iſraël*, paulò pòſt retento nomine *Iacob*, pro *Iſraël* juxta vulgatam editionem ſubſtituit *Rectiſſimum*. Sic namque illic habemus tranſlatum: *Et nunc audi Iacob ſerve meus, & Iſraël quem elegi: hæc dicit Dominus faciens & formans te, ab utero auxiliator tuus: Noli timere ſerve meus Iacob, &* RECTISSIME, *quem elegi*. Ubi idem, qui ſuprà, Hieronymus in Commentario: "Propriè, inquit, juxta Hebræos, & litterarum fidem, *Iſraël* dicitur *Rectus Dei*. Vir autem videns Deum, non in elementis, ſed in ſono vocis eſt". Secundò eadem vox, *Iſraël*, interpretatur *Vir videns Deum*. Quam quidem interpretationem fatetur Hieronymus *omnium penè ſermone detritam eſſe*, quanquam ipſe ibidem eam reprobet ut violentam: [C] Illud, inquiens, quod in libro nominum, *Iſraël* interpretatur *vir videns Deum*, ſive *Mens videns Deum*, omnium penè ſermone detritum, non tam verè quàm violenter mihi interpretatum videtur". Sed fortè non tam ſuam promendo, quàm alienam referendo ſententiam Hieronymus hìc locutus eſt; prout & alibi crebrò in iiſdem Quæſtionibus practicat. Ipſe etenim variis aliis Scriptorum ſuorum locis prædictam interpretationem adhibet: ut inprimis in caput 31. Hieremiæ, ubi ait: "Apoſtolus ſcribit, *Videte Iſraël ſecundùm carnem*. Ex quo docet, eſſe alium *Iſraël* ſecundùm ſpiritum. Ille igitur *Iſraël* eſt, qui *mente cernit Deum*, ſive *Rectiſſimus Domini* eſt: & hujuſmodi *Iſraël* erit populus Dei". Ubi videmus utramque præcedentem nominis *Iſraël* interpretationem, inverſo licèt ordine eum adhibere. Qui ſimiliter utramque adhibet in caput 3. Joëlis: & in caput 8. Oſeæ, & 4. Amos, & 5. Micheæ, & 2. Nahum, & aliàs creberrimè. Ne ergo cogamur tantum Eccleſiæ Doctorem in lite non modò cum aliis Tractatoribus, ſed & ſecum ipſo relinquere; dicamus eum ex alienâ opinione ſcripſiſſe, quæ adversùs hanc ſecundam interpretationem, *omnium penè ſermone detritam*, mox

Oſee 12. 3.

B Hieron. in caput 12. Oſeæ v. 3. Vide eund. in caput 1. Malach.

Iſa. 44. 1. & 2.

C. Hieron. in Quæſtionibus Heb. in Geneſim. Vide Sixt. Seneſ. l. 5. Biblioth. Annot. 118.

mox ſuprà hìc ex ipſo recitavimus: uti & illud quod in eadem Quæſtione poſt pauca ſubdidit, dicens: " Quamvis igitur grandis authoritatis ſint & eloquentiæ, & ipſorum umbra „ nos opprimat, qui *Iſraël* tranſtulerunt *virum* „ ſive *mentem videntem Deum*: nos magis Angeli, „ vel Dei, qui ipſum *Iſrael* vocavit, authoritate „ ducimur, quàm cujuſlibet eloquentię ſæcularis". Rectè quidem, dummodò hi cum illis conciliari non poſſint. Sed cùm nomina Hebraica multiplices patiantur interpretationes, nequaquam eſt conſequens ut qui unam aſtruunt, aliam vel alias deſtruant; adeoque ut aſſertores unius, cum aſſertoribus reliquarum conciliari nequeant. Nunquam Deus, vel Angelus ex perſonâ ejus loquens dicit, falſum; crebrò tamen tacet verum. Quemadmodùm igitur & Hieronymus ipſe, & alii Tractatores, dum primam vel ſecundam nominis *Iſraël* interpretationem adhibent, tertiam inferiùs hìc referendam non reprobant, quamvis eam ſilentio prætereant: ita Deus, vel Angelus eum repræſentans, dum tertiam adhibuit, primam vel ſecundam non negavit, tametſi ſilentio ſuppreſſerit. Ipſe quoque Hieronymus, ex commentario in Iſaiam hìc ſuprà adductus, etſi neget ſecundam hanc nominis *Iſraël* interpretationem *eſſe in elementis litterarum*, fatetur tamen *eſſe in ſono vocis*. Attento proinde vocis ſono, Hieronymus cæteris mox adducendis conſonat.

XVIII. Agmen horum ducat Philo, patriâ quidem Alexandrinus, ſed gente ac religione Judæus, quem Hieronymus aliquoties *Iudæorum diſertiſſimum* nominat, & Ambroſius ſubinde tranſcribit. Hic igitur Judæorum diſertiſſimus: D. *Iacob*, inquit, diſcentis & proficientis nomen eſt, pendentis ex auditus viribus: perfecti verò *Iſraël*, nam viſionem Dei id nomen ſignificat". Qui rursùs lib. de Abraham, loquens de gente ipsâ Iſraëliticâ: " Gentis vim, inquit, nomen indicat: nominatur enim Hebraicè *Iſraël*, quod interpretatur *videns Deum*". Et lib. de legatione ad Caium: " Id genus hominum, inquit, Chaldaicè *Iſrael* vocatur, quod interpretatur *videns Deum*". Et lib. de Præmiis & pœnis, loquens ſimiliter de ipſo populo, in quem Patriarchæ nomen fuerat transfuſum: " Chaldaicè nominatur *Iſrael*, inquit, quæ vox interpretatur *videns Deum*". Et lib. de Profugis: " *Iſmael*, inquit, interpretatur auditus Dei: „ Eſt autem auditus à viſu ſecundus. Viſum „ verò legitimus filius & primogenitus *Iſrael* „ ſortitur. Sonat enim quod *videns Deum*". Et lib. Quis divinarum rerum hæres ſit? " Non „ ſolùm *videns*, inquit, ſed & *Deum videns* „ appellatus eſt *Iſraël*: ſic enim hæc vox interpretatur". Philoni jungatur Origenes, & ipſe Alexandrinus, Hebraïci idiomatis admodùm peritus, qui ait: E. Nomen *Iſraël* pervenit uſque ad Angelicos ordines, niſi quia „ multò veriùs illi appellantur *Iſraël*, quanto veriùs ipſi ſunt Mens videns Deum". Et Prologo in Cantica: " Jacob inſpectivum tenet locum, quippe qui & *Iſraël* ob divinorum contemplationem nominatus ſit: ut „ qui caſtra Dei viderit, & domum Dei; atque Angelorum vias, id eſt, ſcalas à terris in cælum porrectas proſpexerit". Recitat quoque idem Origenes fragmentum cujuſdam libri apud Hebræos uſitati, cui titulus, *Precatio Ioſeph*: ubi Patriarcha Jacob inducitur ita loquens: *Ego ab hominibus vocatus ſum Iacob, nomen verò meum à Deo impoſitum eſt Iſraël, vir videns Deum*. Origenis Præceptor Clemens Alexandrinus, loquens de eodem Patriarcha Jacob: F. Tunc, inquit, nominatus eſt *Iſraël*, quando vidit Deum Dominum". Idem rursùs lib. 1. Stromat. " Hic nominatur *Iſraël*, qui revera eſt vi perſpiciendi præditus". Magnus quoque Athanaſius, & ipſe quoque Alexandrinus, diſſerens de Deo verbo adversùs Arianos: G. Hoc verbum, inquit, cùm „ Patriarcha Jacob vidiſſet, benedictionem „ meruit, & pro Jacob ab eo appellatus eſt *Iſraël*". Cyrillus item Alexandrinus: H. *Iſraël*, „ inquit, interpretatur Mens videns Deum". Et rursùs lib. 5. ejuſdem operis: " Jacob ſignificat ſupplantatorem, hoc eſt, virilem „ ac ſtrenuum ad ea quæ oportet præſtanda: *Iſraël* verò mentem videntem Deum". Et Euſebius Cæſarienſis, loquens de Jacob Patriarcha: I. Cùm jam, inquit, victor luctando, „ evaſit, & ſpeculationibus fruebatur bonis, „ tunc *Iſraëlem* Deus ipſe appellavit, æterna „ præmia, beatitudinemque ultimam, quæ in „ Dei viſione conſiſtit, ei largiens: hominem „ enim qui Deum videat, *Iſraël* nomen ſignificat". His addo Baſilium Magnum, qui in Commentario ſuper Iſaiam ait: K. *Iſraël* interpretatur videns Deum". Hujus frater Gregorius Nyſſenus, tractans de lapide per Jacob *amoto ab ore putei pro adaquandis gregibus*: L. Nemo, inquit, lapidem amovebat, niſi *Iſrael*, qui eſt mens videns Deum". Et Chryſoſtomus: M. *Iſraël*, inquit, ſi quis interpretetur, ſonat, Mens videns Deum". Et Homil. 16. in Epiſtolam ad Romanos: " Nomen *Iſraël*, „ inquit, ſignum erat virtutis juſti, & doni „ cælitùs dati, tum autem Dei coràm ab illo viſi". Addamus his orientalibus Tractatoribus & occidentales, ac inprimis Hilarium Pictavienſem: N. *Iſraël*, ait ipſe, erit ille qui credit, *Iſrael* erit ille qui Deum oculis cordis aſpiciet: quia *Iſraël*, Deum videns eſt". Et in Pſalmum 120. " *Iſraël* liber Geneſis exponit eum eſſe, qui Deum viderit". Ambroſius item in peculiari opere quod *de Iacob & vita beata* inſcripſit: O. Quid horum, inquit, quę ad meritum beatitu-

Vide Hier. l. de Script. Eccleſ. c 8. aliàs 19. & in caput 16. Ezech. & 2. Amos.

D. Philo lib. de Temulentia. Vide lib. de Somniis.

E Orig Homil. 21. in Numeros. Vide Euſebium lib. 11. Præpar. Euang. c. 4. & Macarium Homil. 47.

Judæi.

F. Clemens Alex. lib. 1. Pædag. c. 7. Vide Ambroſ. lib. de divinitate filii cap. 8.

G. Athan. Orat. 4. cont. Arianos.

H. Cyrill. Alex. lib. 2. Glaphyr. in Gen. Vide Nazianz. Orat. 49.

I. Euſeb. l. 7. Præp. Euangel. c. 3. Vide Olympiodorum in caput 1. Eccleſiaſtis.

K. Baſil. in caput 1. Iſaiæ. Vide Nazianz. Orat. 34.

Gen. 29 10.

L. Gregor. Nyſſenus Orat. in Sanctum Baptiſma.

M Chryſ. Homil 58. in Geneſim.

N. Hilar. in Pſalm. 13.

O. Ambroſ. lib. 1. de Jacob cap 1.

Digitized by Google

Vide lib. 1. in caput 1. Lucæ.

„ beatitudinis ſpectant, defuit Sancto Jacob; „ qui tantum abſuit à perfidorum conſortiis, „ ut ex eo fidelis populus nomen acceperit, „ *Iſraël dictus*, eò quòd Deum mentis internæ oculis intueretur" ? Conſonat Ambroſio Auguſtinus, magiſtro diſcipulus, cùm agens de nomine *Iſrael*: [P.] Hujus nominis impoſi- „ tio, inquit, benedictio fuit: interpretatur „ autem *Iſraël* videns Deum: quod erit in fine præmium omnium Sanctorum". Et in Pſalmum 49. " Hoc interpretatur *Iſraël*, videns Deum". Et in Pſalmum 75. " Quis dicitur *Iſraël?* Videns Deum". Et in Pſalmum 121. " *Iſraël* videns Deum interpretatur". Ad hanc quoque interpretationem alluſit Papa Gregorius, cùm diceret: [Q.] Filii *Iſraël* dicuntur, „ qui obediunt: quia quo Dei majeſtatem „ apertiori MANIFESTATIONE CONSPICIUNT, ejus præceptis obedire devotiùs agnoſcuntur". Conſonat Iſidorus in ſuis Originum libris: [R.] *Iſraël*, inquiens, vir „ videns Deum interpretatur: tunc enim hoc „ nomen accepit, quando totâ nocte luctatus „ vicit in certamine Angelum, & oriente luciſero benedictus eſt. Inde propter viſionem „ Dei appellatus eſt *Iſraël*: ſicut & ipſe ait, „ *Vidi Dominum, & ſalva facta eſt anima mea*". Conſonat item Beda, cùm ait: [S.] *Iſraël* vir videns Deum interpretatur". Quod ipſum alibi crebrò admonet, ſignanter lib. 3. in Cantica Canticorum cap. 3. necnon in eo libro quem de *Hebraicorum nominum interpretatione* compoſuit, ubi ſub litterâ I, ſic ait: " *Iſraël*, „ vir videns Deum, vel Princeps cum Deo; „ ſive Dei viſio eſt, aut fortis, directus Dei". Quibus verbis omnes tres interpretationes nominis *Iſraël* ſummariè exhibet.

P. Aug. lib. 16. de Civit. cap. 29. Vide Serm. 40. de verbis Dom. cap. 3.

Q. Gregor. l. 3 in caput 7 libri 1. Regum.

R. Iſidor. l. 7. Origin. cap. 7. Vide Comment. in Geneſim cap. 27.

Gen. 32. 10.

S. Beda in Pſal. 70. Vide Raban. l. 2. de univerſo c. 2. & Bern. Homil. de duobus diſcipulis euntibus in Emaus, & Serm. 5. in Feſto omnium Sanctorum, & Hugonem Victor. Serm. 75 & Caſſiod. in Pſal. 49. 79. 120. 134. & 149.

XIX. Veniamus tandem ad tertiam nominis *Iſraël* interpretationem, quâ idem ſonat quod *Fortis contra Deum*. Cui interpretationi patrocinatur ipſe Deus, ſive Angelus perſonam Dei repræſentans; qui poſt luctam cum Jacob initam dixit ei, *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis?* Ubi ratio impoſitionis nominis aſſignatur, quòd Jacob luctando fortem ſe exhibuerit contra Deum, ſive prævaluerit in Deum. Cæterùm quamvis hæc authoritas vel ſola ſufficere videatur adſtruendæ huic tertiæ interpretationi, ex ſuperabundanti tamen adjungemus ei complurium Tractatorum ſuffragia: ac inprimis Hieronymi ſuperiori §. ex Quæſtionibus Hebraicis relati, qui hujus interpretationis intuitu cæteras, à ſe alioquin ſubinde adhibitas, ſpernere videtur. Ex Hebræis eandem aſtruit Flavius Joſephus, cùm loquens de Angelo colluctatore Patriarchæ: [T] Juſſit, inquit, illum poſthàc vocari „ *Iſraëlem*, quod Hebræis ſignificat *reluctantem Angelo divino*". Conſonat item Juſtinus Martyr, & ipſe ſi non Hebræus, ſaltem Palæſtinus, qui ait: [V.] Nomen hoc *Iſraël* inter- „ pretatur homo vincens virtutem: *Iſra* namque homo eſt, *El* autem virtus". Pro eadem quoque interpretatione Hieronymus ſuprà adducit Aquilam, Symmachum, Theodotionem, & 70. Interpretes: quibus & nos addere poſſumus Pagninum, & Chaldæum Paraphraſten, in ſuis reſpectivè editionibus Gen. 32. v. 28. quorum prior pro eo quod in vulgata editione legitur, *Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti*, vertit, *Quia princeps fuiſti cum Deo:* poſterior, *Quoniam princeps es tu coram Deo.* Quod planiùs expreſſerunt 70. Interpretes, gente & idiomate Hebræi, *Quia invaluiſti cum Deo.* Aquilæ verſio ſic ſonat Latinè, *Quia regnaſti cum Deo:* Symmachi autem verſio ſic, *Quia regnaſti robore adversùs Deum.* Unde non inſcitè Epiphanius initio Panarii perhibet, *Iſraël eſſe dignitatis nomen:* quia nimirum principatum ſive prævalentiam importat. Apud Oſeam de eodem Patriarcha ſcriptum eſt juxta vulgatam editionem, *Invaluit ad Angelum, & confortatus eſt.* Pro quo habent 70. Interpretes in Latinum traducti, *Confortatus eſt cum Angelo, & potuit:* Pagninus, *Prævaluit Angelo, & prævaluit:* Paraphraſtes Chaldæus, *Prævaluit Angelo, & ſuperior fuit.* Alibi quoque Scriptura huc alludens perhibet, *Sapientiam dediſſe illi certamen forte ut vinceret.* Optimè in rem noſtram Tertullianus: [W.] Cum Deo invaleſcens, inquit, eſt interpretatio *Iſraelis*". Similiter & Novatianus, loquens de eo qui cum Jacob luctatus fuerat, & *Iſraelis* nomen ei ſubſequenter indidit: [X.] Ut nulla, inquit, adhuc poſſet eſſe du- „ bitatio, interpretationem ipſe poſuit, di- „ cendo: *Quia invaluiſti cum Deo, & cum hominibus potens es*". His addi poteſt Beda proximo §. in fine relatus, ubi hanc interpretationem cum duabus ſuperioribus adhibet. Addi ſimiliter poteſt Rabanus Maurus: qui tametſi ſuperiori §. relatus interpretationem nominis *Iſrael* illic traditam aſtruat, alibi tamen Hieronymo hanc tertiam interpretationem præferenti accedit. Præmiſſis namque illis Angeli vel Dei ad Jacob verbis, *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael:* [Y.] Senſus hic „ eſt, ſubdit, Non vocabitur nomen tuum „ *Supplantator*, hoc eſt, *Iacob*: ſed vocabitur „ nomen tuum *Princeps cum Deo*, hoc eſt, *Iſrael.* „ Quomodo enim ego Princeps ſum: ſic & „ tu, qui mecum luctari potuiſti, *Princeps* vocaberis". Quæ ſunt ipſiſſima Hieronymi verba in Quæſtionibus Hebraicis §. 17. memoratis. Atque hinc illuſtratur & firmatur quod §. 17. in fine obſervavimus, non eſſe conſequens ut qui primam aut ſecundam nominis *Iſrael* interpretationem aſtruunt, tertiam hanc improbent aut repudient. Nam Hieronymus

Gen. 32. 28.

Hieron. ſuprà.

T. Joſeph. l. 1. Antiq. c. 19 aliàs 27.

V. Juſtin. Dial. cum Tryph.

Aquila. Symmachus. Theodotio. Interpretes 70. Pagninus. Paraphraſtes.

Epiphanius.

Oſe. 12. 4.

Sap. 10 12.

W Tertull. l. 4. contra Marcionem cap. 19.

X. Novat. l. de Trinit. cap. 27.

Beda ſuprà.

Y. Raban. lib. 3. in Geneſim c. 20.

Digitized by Google

diverſis locis omnes aſtruit, & Beda uno loco omnes junctim adhibet; Rabanus denique uno loco unam, altero alıam tradit. Nec memini me quemquam legiſſe, qui hanc tertiam apertè rejiciat: nec mirum, cùm ei manifeſtè ſuffragari videatur ipſe nominis author & inditor, cui refragari piaculum ſit.

CAPUT SEPTIMUM.

Diſquiritur quiſnam fuerit primus nominis ISRAEL *author & inditor, num Deus ipſe increatus, vel Angelicus quiſpiam ſpiritus ab eo creatus, & in miniſterium miſſus? Unigenitum Dei Filium fuiſſe, plerique Veteres conſentienter perhibuerunt, & quædam etiam Synodi definierunt: quorum fundamenta, ex Scripturis ſignanter deprompta, reproducuntur, eiſque nonnulla ex publicis Eccleſiæ precibus ſumpta ſubinſeruntur. Ex hac ſententiâ communiter olim inter eruditos receptâ, ſed à quibuſdam perperàm intellectâ, occaſionem prodeundi arripuit Ariana perfidia; quâ tam immaniter concuſſa, ſed nequaquam decuſſa eſt Eccleſia. Finxit illa Filium Patri diſſubſtantialem, ut viſibilem inviſibili, à Patriarchis viſum inviſo, mutabilem & figurabilem incommutabili & infigurabili. Sed validiſſimè Fulgentius indidem eam confutavit, unde ſe illa ſtabiliri autumavit.*

XX. HIs perlectis, avebit fortè quis noſſe quiſnam reverà fuerit ille author & inditor nominis *Iſraël*, cui refragari piaculum eſſe mox diximus: an ſcilicet Deus ipſe, an quiſpiam de numero ei miniſtrantium ſpirituum, de quibus ſcriptum eſt, *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis?* Deum ipſum fuiſſe, & quidem ſignatè ſecundam Trinitatis perſonam, cenſuerunt plerique veteres Tractatores: ut inprimis Clemens Romanus lib. 5. Conſtit. Apoſt. cap. 21. Sed quia de authore Operis iſtius ambigitur, ad alios pergemus, quorum Opera extra controverſiam ſunt: ut ad Juſtinum Martyrem, Apoſtolicis temporibus vicinum, qui poſt prolixam hac de re cum antagoniſtâ diſceptationem ſubinfert: Z. Quòd Jeſus fuerit, qui Moyſi & „ Abrahæ, & aliis Sanctis Patriarchis omni„ bus apparuit, & cum eis collocutus eſt, vo„ luntati Patris adminiſtrans, demonſtravi". Deinde ad Irenæum, eidem antiquitate ſupparem, qui ait: A. Inſeminatus eſt ubique in „ Scripturis Moyſaicis Filius Dei, aliquando „ quidem cum Abraham loquens, cum eodem „ comeſurus; aliquando cum Noë, dans ei „ menſuras; aliquando autem quærens Adam, „ aliquando Sodomitis inducens judicium; & „ rursùs cùm videtur, & in viam dirigit Ja„ cob, & de rubo loquitur Moyſi; & non eſt „ numerum dicere, in quibus à Moyſe oſtenditur Filius Dei". Quibus conſonans Tertullianus, velut ex communi Chriſtianorum nomine loquens: B. Profitemur, inquit, „ Chriſtum ſemper egiſſe in Dei Patris nomi„ ne, ipſum ab initio converſatum, ipſum „ congreſſum cum Patriarchis, & Prophetis". Et rursùs lib. 2. contra eundem cap. 6. " Nos „ certi, Chriſtum ſemper in Prophetis locu„ tum, Spiritum ſcilicet Creatoris, ſicut Pro„ pheta teſtatur, *Spiritus perſonæ eius Chriſtus Do*„ *minus*, qui ab initio Vicarius Patris in Dei nomine & auditus ſit, & viſus". Et lib. adversùs Praxean cap. 16. " Filius itaque eſt, „ inquit, qui ab initio judicavit, turrim ſu„ perbiſſimam elidens, linguaſque diſpergens, „ orbem totum aquarum violentiâ puniens, „ pluens ſuper Sodomam & Gomorrham „ ignem & ſulphurem Dominus à Domino. „ Ipſe enim & ad humana colloquia ſemper „ deſcendit, ab Adam uſque ad Patriarchas & „ Prophetas, in viſione, in ſomno, in ſpeculo, „ in ænigmate, ordinem ſuum præſtruens ab „ initio ſemper: quæ erat perſecuturus infinita „ ſemper ediſcebat. Et Deus in terris cum „ hominibus converſari non alius potuit, quàm „ Sermo, qui caro erat futurus. Ediſcebat „ autem, ut nobis fidem ſterneret, ut faciliùs „ crederemus Filium Dei deſcendiſſe in ſæcu„ lum, ſi & retrò tale quid geſtum cognoſceremus". Conſonant Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 7. & Dionyſius Alex. Epiſt. ad Paulum Samoſatenum in Reſponſione ad Objectionem 10. & Synodus Antiochena in Epiſtola Synodica ad eundem, & Origenes Tract. 26. in Matthæum, & Cyprianus lib. 2. Teſtimoniorum adversùs Judæos

Heb. 1.14.

Clemens Romanus.

Z. Juſtin. Dialog. cum Tryphone. Vide Apologii 2.

A. Iren. l. 4. c. 23. Vide lib. 3. c. 6.

B. Tertul. l. 2. contra Marc. c. 27. Vide l. cont. Judæos c. 9. & l. 3. cont. Marc. c. 9. & 10 & l. 5. c. 19. & l. de Carne Chriſti c. 6. & l. de Reſurrect. carnis c. 59.

Thren. 4. 20.

Clem. Alex.

Dion. Alex.

Synod. Antioch.

Origenes.

Cyprianus.

Digitized by Google

Euſebius. Philaſtrius. Cyrill. Hieroſol. Hilarius. Synod. Syrm. Athanaſius. Baſilius. Nazianzenus. Chryſoſtomus. Epiphanius. Theodoret. Iſid. Pelus. Caſſianus. Novatianus. Sophronius. Nicephorus.

dæos cap. 5. & 6. & Euſebius lib. 1. Demonſt. Euang. cap. 5. & lib. 5. cap. 9. cum aliquot ſequentibus, & Philaſtrius lib. de Hæreſibus Parte 3. cap. 86. & Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 10. & 14. & Hilarius lib. 4. & 12. de Trinitate, necnon in libro de Synodis, ubi Canones Synodi Syrmienſis refert ac laudat, quorum decimusquartus ſic habet: *Si quis Filium non dicat Abrahæ viſum, ſed Deum innaſcibilem, vel Patrem eius, anathema ſit*: proximus item canon ſic, *Si quis cum Iacob non Filium, quaſi hominem, colluctatum, ſed Deum innaſcibilem vel Patrem eius dicat, anathema ſit*: & Athanaſius Orat. 4. contra Arianos, & author Reſcripti ad Liberium Papam apud ipſum, & Baſilius Magnus lib. 2. contra Eunomium, & Nazianzenus Orat. 49. & Chryſoſtomus Homil. 58. in Geneſim, & Homil. 16. in Acta Apoſtolorum, & Epiphanius in Anchorato, & Theodoretus q. 92. in Geneſim, & q. 5. in Exodum, & Iſidorus Peluſiota lib 1. Epiſt. 453. & Caſſianus lib. 5. de Incarnatione c. 9. cum Notis Alardi Gazæi ibidem, & capite præcedente: & Novatianus lib. de Trinit. cap. 25. & ſequentibus, & Sophronius Epiſt. ad Paulam & Euſtochium de Aſſumptione B. Mariæ, inter Opera Hieronymi tomo 9. & Nicephorus lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſ. cap. 2. & 3. addit prætereà cap. 5. loquens de priſcis Dei cultoribus: " Certò, inquit, & liquidò „ illis conſtitit, ipſum Chriſtum Deum viſum „ eſſe ab Abraham, reſponſa dediſſe Iſaac, collo„ cutum eſſe cum Jacob, cum Moyſe quoque „ ac ſubſequentibus Prophetis ſermonem contuliſſe". Conſonat item Oecumenius in caput 7. Actuum Apoſtolicorum ad v. 30. Adde his Ambroſium lib. 1. de Fide ad Gratianum cap. 5. & lib. de Filij divinitate & conſubſtantialitate cap. 8. & Auguſtinum Epiſt 99. 111. & 112. & Proſperum lib. de Promiſſ. & Prædict. Dei p. 1. cap. 15. & 24. & Fulgentium lib. 2. ad Monimum cap. 3. & 4. & Chryſologum Serm. 69. & Leonem Papam Epiſt. 13. ad Pulcheriam Auguſtam, & Iſidorum Hiſpalenſ. lib. de Nativitate Domini cap. 1. & Aurelium Prudentium in Apotheoſi Poëmate 1. ubi generaliter ait: *Quiſquis homo vidiſſe Deum memoratur, ab ipſo Infuſum vidit Gnatum: nam Filius hoc eſt, Quod de Patre micans ſe præſtitit inſpiciendum, Per ſpecies quas poſſet homo comprendere viſu.*

Oecumenius. Ambroſius. Auguſtinus. Proſper. Fulgentius. Chryſologus. Leo. Iſidorus. Prudentius.

XXI. Quanquam tot ac tantorum Tractatorum in unum ſcopum conſpirantium authoritas, ſeipſâ ſufficere videatur ad perſuadendum; operæ tamen pretium fuerit, penitiùs indagare, quibus argumentis inducti fuerint ad ſic conſpirandum: neque enim credibile eſt eos fortuitò vel arbitrariè delegiſſe, quod tanto numero, tantâque unanimitate, in tantâ locorum ac temporum diſtantiâ conſtituti, perhibuerunt. Primò itaque ad id inducti videntur authoritate Scripturæ aſſerentis *apparuiſſe* Patriarchis *Deum* ſive *Dominum*, ut Gen. 12. 7. Gen. 17. 1. Gen. 18. 1. Gen. 35. 7. & 9. item Exod. 3. 2. & 16. Deut. 33. 2. & 16. Secundò authoritate ipſius Dei in eâdem Scripturâ relativè adductâ, ut Exodi 6. 3. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente*: item Gen. 31. 13. *Ego ſum Deus Bethel*: item Gen. 32. 28. *Vocabitur nomen tuum Iſrael, quoniam ſi contra Demn fortis fuiſti* &c. item Gen. 35. 9. 10. & 11. *Apparuit iterùm Deus Iacob poſtquam reverſus eſt de Meſopotamiâ Syriæ, benedixitq́ ei, dicens*: Non vocaberis *ultrà Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum*: *& appellavit eum Iſrael, dixitq́ ei*: *Ego Deus omnipotens, creſce, & multiplicare* &c. Tertiò authoritate ipſorum Patriarcharum, quibus factæ fuerunt ejuſmodi apparitiones: ut inprimis Abrahæ, qui Gen. 12. 7. *Ædificavit altare Domino, qui apparuerat ei*. Simile quid refertur de Iſaac, cùm ei apparuiſſet Dominus in Berſabee Gen. 26. 25. Similiter de Jacob Gen. 35. 14. qui & ipſe inferiùs Gen. 48. 3. diſertè ait: *Deus omnipotens apparuit mihi in Luzâ, quæ eſt in terra Chanaan*: & ſuperiùs Gen. 32. 30. *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea*. Similiter & Moyſes Deut. 5. 4. & 5. *Facie ad faciem locutus eſt nobis Dominus Deus noſter in monte de medio ignis*: *ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo*. Huc quoque alluſiſſe videtur Eccleſiaſticus, cùm refert *Deum induxiſſe illum* (Moyſen) *in nubem, & dediſſe illi coràm præcepta*. Quæ teſtimonia etſi non ſatis evincant Filium Dei Patriarchis illis aut Prophetis apparuiſſe, probare tamen ſufficienter videntur aliquam ſaltem Trinitatis perſonam, vel certè Deum ûnum trinumq́ue, in ſpecie quapiam corporeâ apparuiſſe. Aliunde verò apparet fuiſſe Dei Filium, futuræ ſuæ incarnationis ſpeciem Patriarchis præexhibentem; qui & alibi de Patre ſuo æterno loquens: *Delectabar per ſingulos dies*, inquit, *ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum*: *& deliciæ meæ, eſſe cum ſiliis hominum*: quos inter numerandi veniunt Patriarchæ, ſignanter Abraham, Iſaac, & Jacob; de quorum primo cùm ipſe dixiſſet Judæis in verâ poſtea carne exiſtens, *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum*: continuò ſubdidit, *Vidit, & gaviſus eſt*: " Viri tres, inquit Hilarius, ſedenti „ (*Abrahæ*) aſſiſtunt; unum *adorat*, & *Dominum* confitetur; idemq́ue & adoratus & con„ feſſus ab illo tempore, eòdem in futurum „ rediturum ſe promittit, & Saræ filium fu„ turum. Deus ad Abraham locutus eſt, idem „ poſtea de rebus ipſis cundem vir ab eo viſus „ alloquitur: demutatio tantùm fit nomi„ num, nihil tamen de confeſſione deceſſit: „ virum enim licet conſpectum, Abraham tamen

Eccli. 45. 5. & 6. Prov. 8. 30. & 31. Ioan. 8. 56. C. Hilar. l. 4. de Trinit. Gen. 18. 3.

„ tamen Deum adoravit; ſacramentum ſcilicet futuræ incarnationis agnoſcens: nec tantæ fidei teſtimonio caruit, Domino in Euangelio dicente: *Abraham pater veſter latabatur, ut videret diem meum: & vidit, & gaviſus eſt*". Et rurſus lib. 5. ejuſdem Operis, tractans de eadem apparitione Abrahæ factâ: " Deus in homine, inquit, & videtur, & creditur, & adoratur; qui ſecundùm plenitudinem temporis eſſet in homine gignendus: namque ad viſum ſpecies præfiguratæ veritatis aſſumitur. Viſus eſt autem tum tantùm Deus in homine, non natus eſt: mox etiam hoc quod eſt viſus, etiam natus eſt".

PRAEOCCUPATIO.

Neque verò refert quòd hic agatur de apparitione Abrahæ duntaxat factâ, non etiam de eâ quæ Iſaac, Jacob, aut Moyſi facta eſt. Etenim una eademque perſona divina omnibus illis ſucceſſivè apparuiſſe videtur, cujus ad Moyſen vox eſt in Exodo: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente.* Idem ergo ipſe eſt, qui & tunc Moyſi, & antea Abrahæ, Iſaac, & Jacob apparuit: adeoque ſi Filius Dei apparuerit Abrahæ quando ille *tres vidit & unum adoravit*, idem quoque Dei Filius apparuit Iſaac, apparuit Jacob, apparuit Moyſi. Eundem præterea Dei Filium apparuiſſe in Deſerto, & eduxiſſe populum de Ægypto, duxiſſeque per deſertum, indicat Judas Apoſtolus cùm ait: *Ieſus populum de terrâ Ægypti ſalvans, ſecundò eos qui non crediderunt perdidit: Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Ubi non de *Ieſu Nave, ſucceſſore Moyſi in Prophetis*, ſed de Jeſu Chriſto Dei Filio ſermonem eſſe, res ipſa clamat. Neque enim Jeſus Nave eduxit de Ægypto populum, aut perdidit in deſerto incredulos; multò minùs Angelos apoſtatantes principatu aut domicilio deturbatos ſub caligine reſervavit, vinculis æternis conſtrictos: ſed Jeſus Dei Filius omnia illa præſtitit. Unde & Paulus, alludens ad ſtragem Iſraëlitarum in Deſerto: *Neque tentemus Chriſtum*, inquit, *ſicut quidam eorum tentaverunt, & à ſerpentibus perierunt.* Et Eccleſia in Antiphona veſpertinâ diei 18. Decembris: *O Adonai*, inquit, *& Dux domus Iſrael, qui Moyſi in igne flammæ rubi apparuiſti, & ei in Sinâ legem dediſti: veni ad redimendum nos in brachio extento.* Ubi ſermo eſt apertè de Chriſto: & in iſtis verbis, *Dux domus Iſrael;* alluditur ad id quod de eâdem domo Iſraël ſeu populo Domini ſcriptum eſt in Deuteronomio, *Dominus ſolus Dux eius fuit.* Ille utique Dominus, qui adventum ſuum in carnem prænuntians ait, *Ego ipſe qui loquebar, ecce adſum*: [D] Hoc eſt, inquit Ambroſius, adſum in Euangelio, qui loquebar in lege". De eodem loquens etiam Baruch: *Hic*, inquit, *invenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus:* [E] De Filio dicit, inquit Ambroſius, ipſe enim eſt cum hominibus converſatus". Et Theodoretus: [F] Dilucidè, inquit, nobis Propheta oſtendit incarnationem unigeniti, ipſumque univerſorum eſſe opificem, & ſapientiæ fontem". Et Nazianzenus eundem locum Propheticum ediſſerens: [G] Quòd non de Patre, inquit, ſed de Filio ſermo habeatur, adjectio iſta (*poſt hæc in terris viſus eſt* &c.) apertè declarat. Hic enim eſt, qui corpoream nobiſcum conſuetudinem habuit". Sed quid miramur Filium Dei ſub ſpecie corporali apparuiſſe Sanctis Patriarchis & Prophetis, cùm legamus eundem aliquando apparuiſſe infideli ac crudeli tyranno Babylonico? Hic enim conjectis in fornacem ardentem oculis: *Ecce*, inquit, *ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt: & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei.* Ubi Hieronymus: [H] Speciem quarti, inquit, quem *ſimilem* dicit *Filio Dei*, vel Angelum debemus accipere, ut 70. tranſtulerunt: vel certè, ut plerique arbitrantur, Dominum Salvatorem". Ubi tametſi ipſe Hieronymus in ſententiam propendeat priorem, ultrò tamen fatetur *pleroſque* adhærere poſteriori. Ex his eſt Irenæus lib. 4. cap. 37. & lib. 5. cap. 5. & Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 10. & 21. & Hippolytus apud Pererium in caput 3. Danielis, & Ambroſius lib. 1. de Fide ad Gratianum cap. 2. in fine, & Auguſtinus in Concione ad catechumenos contra Judæos, Paganos, & Arianos cap. 15. & Athanaſius Orat. in hoc dictum, *Ex Deo Deus eſt Verbum.* Favet denique Eccleſia in Antiphona Paſchali ad Laudes, quâ ait: *Surrexit Chriſtus de ſepulchro, qui liberavit tres pueros de camino ignis ardentis.*

XXII. Hæc ſunt præcipua argumenta, quibus inducti Tractatores, §. 20. citati, cenſuerunt, eum qui olim ante legem & ipſo legis tempore Patriarchis, Prophetis, vel aliis mortalibus in corpore aſſumptitio apparuit, Deum ipſum fuiſſe, & quidem ſignatè Filium Altiſſimi unigenitum, qui poſteà in plenitudine temporis veram carnem hypoſtaticè ſuſcipere, & in ea cum hominibus verus homo converſari dignatus eſt. Verùm cùm Ariana hæreſis ex orco ebulliſſet, & eundem Dei Filium argumento illinc arrepto conſubſtantialem Patri negare præſumpſiſſet, nonnulli Tractatores in oppoſitam ſententiam propendere maluerunt, ut eliſo illo Arianorum fundamento validiùs graſſanti perfidiæ obviarent: [I] Omne myſterium, inquit Ambroſius, hæreſis Arianæ traducam: cur nolint Filium de Patris ſubſtantiâ credi, breviter intimabo. Aiunt enim:

Exod. 6. 3.
Iude v. 5. & 6.
Eccli. 46. 1.
1. Cor. 10. 9.
Deut. 32. 12.
Iſa. 52. 6.
D. Amb. l. 1. de Fide ad Gratianum c. 3.
Bar. 3. 37. & 38.
E Ibid. lib. 1. cap. 2.
F. Theodoret. in caput 3. Baruch.
G Nazianz. Orat. 36.
Dan. 3. 92.
H. Hieron. in caput 3. Danielis v. 92.
Irenæus. Tertullianus. Hippolytus. Ambroſius. Auguſtinus. Athanaſius. Eccleſia.
I. Ambr. l. de Filii divinitate contra Arianos cap. 8.

Digitized by Google

Ariani.

„ enim : *Cùm ſit Deus Pater omnipotens, inviſibi-„ lis, inconvertibilis, immutabilis, perfectus, ſemper „ idem, æternus : Filius verò viſibilis, quia ſæpe Pa-„ tribus viſus ; & convertibilis atque mutabilis , „ quia in variis figuris ſeſe quibuſq; monſtravit : qui „ ſi de Patris eſſet ſubſtantiâ, nunquam fieri poſſet „ ut ante carnis aſſumptionem aut viſibilis aut muta-„ bilis cerneretur ; quin potiùs in æqualitate quâ „ Pater eſt permanſiſſet, ex cuius ſubſtantiâ erat : „ quia quod de Patre eſt, nec videri, nec mutari, „ nec converti poſſe credendum eſt. Accedit ad cau-„ ſam, quia cùm illapſus in Mariam, cùm Virginis „ uterum opplevit, aliud utique ex illâ quàm quod „ venerat natum eſt. Vnde iam*, inquiunt, *corru-„ pta ſubſtantia ſtatum vertit, ordinem perdit, conti-„ nuò immutatione ipsâ formatus de Deo in homi-„ nem, de ſpiritu in carnem. Et utique tranſlatio „ omnis interemptio eſt priſtini. Ac per hoc*, aiunt, *„ ſi Filius de Patris ſubſtantiâ eſſet, iam & Patrem „ minorem videri, ſubſtantiæ ſuæ vel tranſlatione, „ vel fine.* Et proinde Filium ex aliâ ſubſtan-„ tiâ credere maluerunt, quòd converti, & „ mutari, & videri poſſit ; quia hoc de Patris „ ſubſtantiâ credi non liceat. Hæc eſt cauſa erroris, hæc origo hæreſis Arianæ". Eadem

Nazianzenus.

habentur apud Nazianzenum Orat. 49. quæ tota coincidit cum libro Ambroſii unde iſta deſcripſimus : hoc ſolo diſcrimine, quòd apud Ambroſium diſtribuatur textus per octo capita, apud Nazianzenum verò abſque capitibus continua ſit oratio. Utrique hac in re ſubſcribit Auguſtinus : [K] Illi, inquiens, qui per-„ ſuadere moliuntur Filium non eſſe ejuſdem „ ſubſtantiæ cujus eſt Pater, argumentantur „ ex hoc, quòd Filius viſus eſt Patribus, Pa-„ ter autem non eſt viſus : inviſibilis autem & „ viſibilis, diverſa natura eſt. *Et ideo*, in-„ quiunt, *de Patre dictum eſt, Quem nemo homi-„ num vidit, nec videre poteſt : ut ille qui viſus eſt „ non ſolùm Moyſi, ſed etiam Abrahæ ; nec ſolùm „ Abrahæ, ſed etiam ipſi Adam, & cæteris Patribus, „ non Deus Pater ſit, ſed Filius potiùs : ut intelliga-tur creatura*". Auguſtinum ſecutus Fulgentius, argumentum iſtud Arianorum in ipſos authores dexterrimè retorquet, ex eo, quòd ipſi Patriarchæ, quibus factæ fuerunt apparitiones, ſacrificaverint ei qui ipſis apparuit. Unde

K. Auguſt. Tract. de eo quod dictum eſt, *Ego ſum qui ſum.* tom. 6. in fine.

Ariani.
1. *Tim.* 6.16.
Vide Aug. l. 8. de Geneſi. ad litt. c. 27. & lib. 2. de Trinit. c. 8. & 9. & l. 3. c. 10. & 11.

cùm ſacrificium nonniſi Deo ſoli offerendum ſit, conſequens eſt eum fuiſſe Deum, qui Patriarchis apparuit. Cùm ergo Ariani profiteantur Filium apparuiſſe Patriarchis, coguntur fateri Filium eſſe Deum : ut cui Patriarchæ ſacrificare non dubitaverint : [L] Quia „ Sanctus Abraham, ait ipſe, illi Deo ſacri-„ ficaſſe cognoſcitur, quem ei viſum fuiſſe di-„ vina Scriptura teſtatur ; aut Patrem viſum „ Abrahæ dicant (*Ariani*) aut Filio ſacrifi-„ caſſe Abraham conſentiant. Utroque autem „ tanquam bis acuto gladio, nefariæ diverſi-„ tatis obtruncatur aſſertio : quia ſi Deum „ Patrem Abrahæ viſum dicant, ut ſoli ſacri-„ ficium aſſerant immolatum ; in eo quòd vi-„ ſus aſſeritur, non erit tanquam inviſibilis „ Pater viſibili Filio præponendus. Si autem „ Filius viſus eſt, & ei ſacrificium ſanctus Pa-„ triarcha obtulit, non eſt Patri Filius in ali-„ quo poſtponendus : neque enim Abraham „ illi ſacrificium offerret ; ſi potiorem illo „ quemquam alium credidiſſet. Ac ſic illi, „ qui fidem noſtram hujus impulſu quæſtio-„ nis exiſtimant quatiendam, utrobique ne-„ ceſſe eſt mendacium ſuæ credulitatis agnoſcant". Eodem argumento utitur idem author ibidem capite proximè ſequenti, in causâ Iſaaci ac Jacobi, qui & ipſi ſacrificarunt ei, qui eis apparuerat : prout patet Gen. 26. 25. & Gen. 35. 1. & 7. Quibus exemplis præmiſſis ſubdit Fulgentius : " Ecce in ore duo-„ rum & trium teſtium verbum fidei noſtræ „ conſiſtit ! Ecce amicorum Dei ſacrificio „ prorsùs Eccleſiæ Catholicæ concordat ob-„ latio, quæ ſic ſacrificat Patri ut ſimul ſacri-„ ficet Trinitati ! Quoniam & ſancti Patriar-„ chæ, ſacrificium, quod Filio jubebantur „ offerre, ſciebant ſe Patri ſimul & Filio pla-„ citis obſequiis exhibere. Idcircò autem eis „ divinitus jubebatur ut Filio altare conſtrue-„ rent, non quia ſacrificandum non eſſet Pa-„ tri, ſed ut quod immolabatur à ſanctis, ſi-„ mul Filio immolaretur, & Patri : neque „ ut præponendus eſſet Patri Filius, ſed ne „ putaretur Genitori Genitus in aliquo poſtponendus".

L. Fulg l. 2. ad Monimum cap. 3. Vide l. 3 ad Traſimundum c. 10.

Digitized by Google

CAPUT OCTAVUM.

Hæreticorum inquietatio Catholicis fit proficiendi occaſio. Obſcuram de Trinitate quæſtionem omnibus clarere fecerunt Arianorum contentiones, & ſubtiliſſimæ diſputationes. Tanto fortius convincuntur hæretici, quanto plures exitus patent ad eorum laqueos evitandos. Primus exitus evitandi Arianorum laqueum, ex apparitionibus Filij Dei pro tempore legis naturæ & Moyſaicæ peractis contextum, aperitur: nimirùm apparitiones illas non fuiſſe peractas exhibendo oculis ſpectandam divinam naturam, ſed adſcititiam creaturam: Filius quippe Dei, perinde ac Pater & Spiritus, inviſibilis eſt per propriam Deitatis naturam; ſed cùm vult videri poteſt per aſſumptam ſicut ei placuerit creaturam. Quomodò ex Scripturæ cum hac veterum aſſertione concilientur, quibus dictæ apparitiones Angelo adſcribuntur? Dei Filius apud Iſaiam dictus eſt Magni conſilii Angelus, *& apud Malachiam* Angelus teſtamenti. *Vſquamne in Scripturis nomine* Angeli *ſimpliciter expreſſo Dei Filius veniat intelligendus?* Angelus *non naturæ, ſed officij nomen eſt, ſive legationis. Dei Filius apud Abdiam ſimpliciter appellatur* Legatus, *adeòque æquipollenter* Angelus.

XXIII. VIdimus proximo jam §. quemadmodùm Ariana hæreſis graſſandi anſam ex illâ Veterum communi perſuaſione ſumpſerit, quam §. 20. memoravimus, & proximo inde §. ex Scripturis illuſtravimus. Vidimus prætereà quàm dextrè Fulgentius illud ipſum Arianorum fundamentum, in caput perperàm torquentium retorſerit; indidem aſtruens Filij divinitatem, unde adverſarij aſtruebant ejuſdem cum Patre inæqualitatem: M. Multa quippe, ut ſcitè Au-

M. Auguſt. l. 16. de Civit. c. 2.

„ guſtinus ait, ad fidem Catholicam pertinen„ tia, dum hæreticorum callidâ inquietudine „ agitantur, ut adversùs eos defendi poſſint, „ & conſiderantur diligentiùs, & intelligun„ tur clariùs, & inſtantiùs prædicantur: & ab „ adverſario mota quæſtio, diſcendi exiſtit occaſio". Et in Pſalmum 67. ad verſ. 31. " Quàm multi, inquit, Scripturarum Sanctarum ſenſus de Chriſto Deo aſſerti ſunt con„ tra *Photinum*? Quàm multi de Chriſto ho„ mine contra *Manichæum*? Quàm multi de „ Trinitate contra *Sabellium*? Quàm multi de „ unitate Trinitatis contra *Arianos*, *Eunomianos*, *Macedonianos*? Quàm multi de Catholicâ „ Eccleſiâ toto orbe diffusâ, & de malorum „ commixtione uſque ad finem ſæculi, quòd „ bonis in Sacramentorum ejus ſocietate non „ obſint, adversùs *Donatiſtas*, & *Luciferianos*, „ alioſque, ſi qui ſunt, qui ſimili errore à ve„ ritate diſſentiunt? Quàm multi contra cæ„ teros hæreticos, quos enumerare vel commemorare nimis longum eſt". Et in ſpecie de Arianis loquens Anſelmus: N. Obſcuriſſi„ mam, inquit, de Trinitate ſententiam, cla„ ram omnibus effecerunt Arianorum contentiones, & ſubtiliſſimæ diſputationes". Cæterùm ut alias de Trinitate ſententias, pridem obſcuras, & poſteà Arianorum contentionibus ac diſputationibus clarificatas, omittamus: negari non poteſt, quin loca Scripturarum, quibus apparuiſſe Deus olim Patriarchis aut Prophetis perhibetur, multum lucis occaſione Arianiſmi inſurgentis & invaleſcentis acquiſierint; præſtante nimirùm illo, *qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere*, id eſt, de nubilo errorum clareſcere fidei veritatem. Cùm enim ante exortam Arij hæreſim præfata Scripturarum loca uno penè ſenſu ſuperiùs indicato exponerentur, fecit ipſa exorta ut novarum interpretationum acceſſu clarificarentur, atque hæreticorum abuſui ſubtraherentur; imò in ipſos abuſores validiſſimè retorquerentur. Unde rectè monet Auguſtinus, O. Nonnulla verba „ Scripturarum obſcuritate ſuâ hoc profuiſſe, quòd multas intelligentias pepererint". Et rursùs Epiſt. 59. q. 9." Utile eſt, inquit, ut „ de obſcuritatibus divinarum Scripturarum, „ quas exercitationis noſtræ causâ Deus eſſe „ voluit, multæ inveniantur ſententiæ, cùm „ aliud alii videtur: quæ tamen omnes ſanæ fidei doctrinæque concordent". Inter cæteras porrò hujus varietatis utilitates ea non modica

N. Anſel. l. de Sacram. altaris p. 2. cap. 15.

2. Cor. 4. 6.

O. Auguſt. in Pſal. 18. Concion. 2.

modica eſt, quam idem Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. ultimo exprimit, dicens: " Tanto „ fortiùs convincuntur hæretici, quanto plures „ exitus patent ad eorum laqueos evitandos". In exordio itaque Arianiſmi unus ferè patebat exitus, ad evitandum laqueum ex apparitione Domini Patriarchis facta prætextum, nimi-

P. Nazianz. Orat. 49.

rùm P. Filium Dei non ita viſum ut Deus erat, ſed ut homo poterat". Ejuſdem Gregorii alium locum indidem deſcriptum, & huc ſpectantem. adducit Auguſtinus, cui & ſimilem Athanaſii locum præmittit, & Ambroſii ſub-

Q. Auguſt. Epiſt. 111.

nectit: Q. Beatiſſimus Athanaſius, inquiens, „ Alexandrinus Epiſcopus, cùm ageret adverſùs Arianos, qui tantummodò Deum Patrem „ dicunt inviſibilem, Filium verò & Spiritum Sanctum viſibiles putant, æqualem Trinitatis inviſibilitatem Scripturarum Sanctarum teſtimoniis & diligentiâ ſuæ diſputa-

Athanaſius.

„ tionis aſſeruit, inſtantiſſimè ſuadens, *Deum* „ *non eſſe viſum niſi aſſumptione creaturæ: ſecundùm* „ *Deitatis autem ſuæ proprietatem omninò Deum eſſe* „ *inviſibilem, id eſt, Patrem, & Filium, & Spiritum* „ *Sanctum, niſi inquantùm mente ac ſpiritu noſci* „ *poſſunt.* Gregorius etiam, Sanctus Epiſcopus

Vide Nazianz. Orat. 49.

„ Orientalis, apertiſſimè dicit, *Deum naturâ inviſibilem quando Patribus viſus eſt, ſicut Moyſi, cum* „ *quo facie ad faciem loquebatur, alicuius conſpicabilis materiæ diſpoſitione aſſumptâ, ſalvâ ſuâ inviſi-* „ *bilitate, videri potuiſſe.* Hoc eſt, quod etiam

Vide Amb. in cap. 1. Luca.

„ noſter dicit Ambroſius, *Et Patrem, & Filium,* „ *& Spiritum Sanctum eâ ſpecie videri quam voluntas elegerit, non natura formaverit*: ut & illud

Joan. 6. 46.

„ verum ſit, *Deum nemo vidit unquam,* quæ vox

1. Tim. 6. 16.

„ eſt ipſius Domini Chriſti; & *quem nemo hominum vidit, nec videre poteſt,* quæ vox Apoſtoli, imò ejuſdem per Apoſtolum Chriſti eſt: „ & illa non repudientur teſtimonia Scripturarum, quibus Deus viſus eſſe narratur; quia „ & inviſibilis eſt per propriam Deitatis naturam, & cùm vult videri poteſt per aſſumptam ſicut placuerit creaturam". Huic Auguſtini ac Patrum ab eo citatorum reſponſioni inſiſtit

R. Fulg. l. 3. ad Traſimundum cap. xi.

poſt eos Fulgentius, cùm ait: R. Credatur Deus „ nunquam per propriam hominibus apparuiſſe „ ſubſtantiam, ſed per ſubjectam ſicut ipſe voluit creaturam: & pariter inviſibilis, ſicut „ Pater, credatur & Filius; qui ſicut intemporalis permanens potuit temporalia condere, „ ſic inviſibilis permanens potuit in his quæ viſibilia condidit viſibiliter apparere". Conſonat Leo Papa, cùm de eodem Dei Filio lo-

S. Leo Epiſt. 13. ad Pulcheriam Auguſtam.

quens: S. Patriarchis, inquit, & Prophetis in „ ſpecie carnis apparuit, cùm aut luctamen „ iniit, aut ſermonem conſeruit, cùmve officia hoſpitalitatis non abnuit, vel etiam appoſitum cibum ſumpſit".

DIFFICULTAS.

XXIV. Quamvis primus hic exitus, ad evitandos Arianorum laqueos pleriſque Tractatoribus patuerit, ac placuerit, nequaquam tamen ſuâ caret difficultate; inde potiſſimùm emergente, quòd is qui Patriarchis ac Prophetis apparuiſſe perhibetur, ſubinde in Scripturis Sanctis *Angelus* nuncupetur. *Angelus* autem creaturæ nomen eſt, non Creatoris; miniſtri, non Filii. De hoc enim ſcribit Apoſtolus, quòd *Sedeat ad dexteram Maieſtatis in Excelſis; tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit*: & mox ſubinſerit mandatum

Heb. 1. 3. & 4.

Patris, edicentis, ut *Adorent eum omnes Angeli Dei.* Ibid. v. 6.

Ubi dicendo *omnes*, videtur comprehendiſſe etiam eum, qui Patriarchis ac Prophetis apparuiſſe prætenditur. Nullum denique Angelorum à miniſteriali obſequiò exceptum aut exemptum haberi voluit, cùm ſine limitatione ibidem poſt pauca ſubtexuit, *Nonne omnes ſunt* Ibid. v. 14.

adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi? Cæterùm, eum qui Patriarchis ac Prophetis olim apparuit, Angelum fuiſſe, Scriptura crebrò indicat: ut cùm alludens ad apparitiones Abrahæ ad convallem Mambre, & Loth in Sodomis Gen. 18. & 19. factas; *Hoſpitalitatem*, inquit, Heb. 13. 2.

nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis. Non ait, Deo in hoſpitium admiſſo; ſed, *Angelis hoſpitio receptis*: cùm tamen ad hoſpitalitatis commendationem prius illud magis conduxiſſet, ſi verùm omninò fuiſſet. Similiter & is qui cum Jacob Gen. 32. luctam iniit, & colluctatori nomen *Iſraël* indidit, apud Oſeam Prophetam *Angelus* ſemel iterumque appellatur: loquens quippe Propheta de Jacob Patriarchâ, *In utero*, inquit, *ſup-* Oſe. 12. 3. & 4.

plantavit fratrem ſuum, & in fortitudine ſuâ directus eſt cum Angelo, & invaluit in Angelum. Item qui Moyſi apparuit in rubo, Exodi 3. 2. *Angelus* appellatur à Stephano in Actis, dicente de Moyſe: *Apparuit ei in deſerto montis Sina Angelus* Act. 7. 30.

in igne flammæ rubi. Et rursùs poſt pauca, *Hunc* Ibid. v. 35.

Deus Principem & redemptorem miſit cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo. Et iterùm, *Hic eſt* Ibid. v. 38.

qui fuit in Eccleſiâ in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina; tempore nimirùm datæ legis, quam Stephanus ibidem inferiùs *acce-* Ibid. v. 53.

piſſe Hebræos aſſerit *in diſpoſitione Angelorum*: ſuffragante Apoſtolo, qui eandem dicit *ordinatam* Gal. 3. 19.

per Angelos, & in Epiſtolâ ad Hebræos ipſam vocat *Sermonem per Angelos dictum.* Heb. 2. 2.

Ubi ſignanter notandum eſt, Apoſtolum illic ex profeſſo aſtruere præcellentiam novæ legis ſupra veterem, in eo conſiſtentem, quòd vetus Lex per Angelos, nova autem per ipſum Dei Filium, Angelorum Dominum, tradita fuerit. Quæ præcellentia prorsùs corrueret, ſi lex vetus per eundem Dei Filium tradita fuiſſet, perinde ac nova. Eòdem item ſpectat illa ejuſdem Apoſtoli ſententia, quâ Epiſtolam iſtam ad Hebræos exorditur: *Multifariàm multiſque modis* Heb. 1. 1. & 2.

olim Deus loquens Patribus in Prophetis: noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio. Rex denique Nabucodonoſor, cùm in fornace cum tribus

 pueris

Dan. 3. 92. pueris *quartum ſimilem Filio Dei* vidiſſe ſe dixiſ-
ſet, mox infrà appellat hunc quartum non
ampliùs ſimilem Filio Dei, ſed Angelum.
Ibid. v. 95. Sic enim ait: *Benedictus Deus eorum, Sidrach vi-*
delicet Miſac & Abdenago, qui miſit Angelum ſuum,
& eruit ſervos ſuos qui crediderunt in eum. Ubi ne
quis putet profanum tyrannum in hoc erraſſe,
adeſt ipſe Daniël, in textu ſuperiùs præmit-
Ibid. v. 49. tens: *Angelus Domini deſcendit cum Azaria & ſo-*
ciys eius in fornacem, & excuſſit flammam ignis de
fornace. Sed nec ipſe tyrannus quartum voca-
verat Filium Dei, at ſolummodò *Similem Filio*
Dei. Cæterùm quamvis vocaſſet Filium Dei,
rectè poſſet eo vocabulo intelligi Angelus:
nam in libro Job Angelos Sanctos videmus
Job 1. 1. Item 38. 7. appellari *Filios Dei*: imò nec puros etiam ho-
mines ab ea appellatione alienos eſſe, utriuſque
Teſtamenti ſuffragio firmatur: prout cernere li-
cet Gen. 6. 2. & 1. Joan. 3. 1. alibique multoties.

XXV. Hæc difficultas bifariàm expediri
poteſt: primò quidem, inſiſtendo priori ſen-
tentiæ, proximo capite relatæ, & authorita-
tibus firmatæ; ſed adjiciendo, Filium Dei eſſe
Angelum illum, quem Scripturæ proximo jam
§. objectæ commemorant. Ipſe enim eſt quem
Iſa. 9. 6. juxta 70. Iſaias *Magni conſily Angelum* nominat, & quem
Mal. 3. 1. Malachias *Angelum teſtamenti* nuncupat: T. Qui
T Hilar. l. 4. de Trinit. „ *Angelus Dei* dictus eſt, inquit Hilarius, idem
Gen. 21. 17. „ Dominus Deus eſt: eſt enim ſecundùm Pro-
„ phetam Filius Dei, *magni conſily Angelus.* Ut
„ perſonarum diſtinctio abſoluta eſſet, *Ange-*
„ *lus Dei* eſt nuncupatus: qui enim eſt Deus
ex Deo, ipſe eſt & Angelus Dei". Et rursùs
ibidem poſt pauca: " Nunc primùm ad Abra-
Ibid. v. 12. „ ham *de Iſmael Deus* loquitur, ad Agar verò
„ *Angelus Dei* locutus eſt. Deus igitur eſt, qui
„ & Angelus Dei eſt: quia & qui Angelus
„ Dei, Deus eſt ex Deo natus. Dei autem
„ Angelus ob id dictus, quia *magni conſily eſt*
Angelus". Pulchrè & appoſitè Tertullianus,
cùm nondùm ebulliſſet hæreſis Arii, aiebat
V. Tertull. de carne Christi c. 14. de Chriſto: V. Dictus eſt quidem *Magni conſily*
„ *Angelus*, id eſt, Nuntius; officii, non natu-
„ ræ vocabulo. Magnum enim cogitatum
Vide Baſil. in cap. 9. Iſaiæ. „ Patris, ſuper hominis ſcilicet reſtitutione,
annuntiaturus ſæculo erat". Quibus verbis
rationem aſſignat cur Dei Filius dictus ſit
Angelus: quia nimirùm voluntatem Patris an-
Abdiæ v. 1. nuntiatum venit, unde & apud Abdiam *Le-*
PRÆOCCVPATIO. *gatus* appellatur. Quòd ſi fortè quem moveat,
quòd Jacob Patriarcha inter benedicendum
ſuis nepotibus invocaverit diſtinctim Deum,
Gen 48. 15. & 16. & Angelum: *Deus*, inquiens, *qui paſcit me ab*
adoleſcentia meâ uſque in præſentem diem: Angelus
qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis:
audiat Athanaſium huic ipſi ſcrupulo obyian-
W. Athan. Serm. 4. contra Arianos. tem: W. Non aliquem, ait ipſe, Angelorum
„ creatorum, & qui naturâ Angeli erant, in
„ unum copulavit Patriarcha cum Deo crea-
„ tore; neque omiſſo nutritio ſuo Deo be-
„ nedictionem ab Angelo ſuis nepotibus po-
„ ſtulavit: ſed quia disertè locutus eſt de *An-*
„ *gelo qui ipſum ab omnibus malis eruit*, ſatis præ
„ ſe tulit, non ex creatitiis Angelis aliquem,
„ ſed Filium fuiſſe Patris, quem eidem Patri
„ in ſuis precibus conſociavit, per quem Deus
„ liberat quos vult. Hunc enim *magni conſilii*
„ Patris *Angelum* noverat; nec alium niſi ipſum,
„ qui benedicit & liberat à malis, ſuis verbis
„ expreſſit. Non enim ille ſibi à Deo, nepo-
„ tibus autem ab Angelo benedictionem dari
„ voluiſſet: ſed eundem illum, quem inter-
„ pellat, *Non dimittam*, inquiens, *niſi benedixe-* Gen. 32. 26.
„ *ris mihi*: is enim erat Deus, ut verba Jacobi
„ clarè teſtantur, *Vidi Deum facie ad faciem*: il- Ibid. v. 30.
„ lum ipſum, inquam, precatus eſt, ut nepo-
„ tibus benediceret: Angelis enim proprium
eſt, "Dei mandatis inſervire". Ex hoc Atha-
naſii, & ſuperiori Hilarij teſtimonio obiter
notandum, falli quoſdam neotericos, qui con-
tendunt, Chriſtum nuſquam appellari ſimpli-
citer *Angelum*, ſed duntaxat cum additamento
quopiam, ut *magni conſilii*, vel *teſtamenti.* Et-
enim Hilarius & Athanaſius mox relati cen-
ſent, cum intelligi nomine *Angeli* in locis Scri-
pturæ per ipſos adductis; quibus tamen no-
men illud abſque additamento legitur ullo,
quo alienari vel ampliari videatur: X. Filium X. Iſidor. l. de Nativitate Domini cap. 1.
„ Dei, inquit Iſidorus, Rex ille impius in
„ Daniële aſpiciens, dixit: *Ecce video viros* Dan. 3 92.
„ *quatuor ſolutos, & ambulantes in medio ignis, &*
„ *nihil corruptionis in eis eſt; & ſpecies quarti, ſi-*
„ *milis Filio Dei*: quem fideliter credimus, &
„ nullatenus dubitamus, Dominum Salvato-
„ rem. Sed objicitur, quòd in Daniële iſte PRÆOCCVPATIO.
„ Filius Dei ſuperiùs etiam *Angelus* dicitur. Ibid. v. 49.
„ Adſentio: nam & Chriſtus Filius Dei An-
„ gelus dicitur, ſic enim ait Propheta de ipſo:
„ *Veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator* Mal. 3. 1.
„ *quem vos quæritis, Angelus teſtamenti quem vos*
„ *deſideratis.* Chriſtus enim in eo, quòd à Pa-
„ tre genitus eſt, *Filius Dei* vocatur: in eo, quòd
„ ſæpè à Patre miſſus ad annuntiandum Pa-
„ tribus legitur, *Angelus* nominatur. De quo
„ etiam ipſe Pater ad legiſlatorem ita prote-
„ ſtatur: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præ-* Exod. 23. 20. & 21.
„ *cedat, & cuſtodiat te in viâ, & introducat ad lo-*
„ *cum quem paravi: obſerva eum, & audi vocem*
„ *eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet*
„ *cum peccaveris; & eſt nomen meum in illo.* Quis
„ eſt ergo iſte *Angelus*, cui Deus & poteſtatem
„ ſuam dedit, & *nomen*? Quòd ſi dicatur, ali-
„ qua alia eſt poteſtas Angelica. Hoc nefas
„ eſt credere: *Quis enim in nubibus æquabitur* Pſal. 88. 7.
„ *Domino, aut quis ſimilis erit Deo inter filios Dei?*
„ Qui autem non æquabitur naturâ, non po-
„ teſt æquari & nomine. Ipſe eſt ergo Filius,
„ qui ſemper à Patre miſſus, viſibiliter appa-
„ rebat hominibus: ex ipſâ igitur miſſione,
rectè *Angelus* nuncupatur". Epiphanius item
varia

Digitized by Google

Y. Epiphan. Hæreſi 69. varia Chriſti nomina percenſens: Y. Vocatur, „ inquit, Sapientia, & Verbum, & Filius, & *Angelus*". Et paulò pòſt, aſſignans rationem poſtremi iſtius nominis: " Unigenitus, inquit, „ quoniam annuntiavit voluntatem Patris „ hominibus, *Magni conſilii Angelus* eſt, dum „ in Mundo magnum conſilium annuntiat". Eadem repetit penè verbatim in Anchorato. Z. Baſil. l. 2. contr. Eunom. Conſonat Baſilius Magnus: Z. Scriptum eſt, „ inquiens, quòd *viſus eſt Moyſi* ANGELVS Exod. 3. 2. juxta 70. „ *Dominus in rubo in flammâ ignis*: ubi cùm ANGELUM narrationi Scriptura præpoſuiſſet, „ DEI vocem mox adduxit, dicens Moyſi: Ibid. v. 6. „ *Ego ſum* DEUS *patris tui Abraham*. Et rurſùs Ibid. v. 14. „ poſt pauca, *Ego ſum qui ſum*. Quis igitur „ idem ipſe & *Angelus*, & *Deus*? Nonne ille de Iſa. 9. 6. juxta 70. „ quo didicimus, quòd *vocatur nomen eius Magni conſilii Angelus*? Ego quidem puto, non „ pluribus nos indigere ad demonſtrationem, „ ſed ipſam admonitionem iis ſufficere qui „ Chriſtum diligunt: his verò qui curari non „ poſſunt, nullam fore utilitatem ex multi„ tudine eorum quæ dicuntur, opinor. Nam „ etſi poſteriùs factus eſt *magni conſilii Angelus*: „ ſed tamen & priùs non repudiabat *Angeli* appellationem. Neque enim hìc ſolùm inve„ niemus Dominum noſtrum & *Angelum* & „ *Deum* à Scripturâ nominatum; verùm etiam „ & Jacob quùm mulieribus viſionem enarra„ ret, *Dixit mihi Angelus Dei*, inquit. Et poſt Gen. 31. 11. „ pauca de eodem: *Ego ſum Deus, qui viſus ſum* Ibid. v. 13. „ *tibi in loco quo unxiſti columnam*. Atqui illic „ apud columnam ad Jacob dictum eſt, *Ego* Gen. 28. 13. „ *ſum Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac*. „ Qui ergo hìc *Angelus* dictus eſt, hic ipſe ibi „ dicit Jacobo ſe manifeſtatum fuiſſe. Quare, „ patet cuilibet, ubicunque *Angelus* & *Deus* „ idem appellatur, unigenitum ſignificari; „ cùm ſeipſum per generationes hominibus „ manifeſtet, & Sanctis ſuis voluntatem Patris „ annuntiet. Quamobrem qui Moyſi, *Eum* Exod. 3. 14. „ *qui eſt* ſeipſum nominavit, nullus profectò „ alius præter Deum Verbum, *qui à principio erat* Joan. 1. 2. *apud Deum*, intelligetur".

CAPUT NONUM.

Secundus aperitur exitus devitandi Arianorum laqueos; juxta quem is qui Patriarchis olim Prophetiſque apparuit, Deus quidem fuerit, non tamen determinatè ulla quæpiam Trinitatis perſona, ſed Deitas communis tribus perſonis: quæ etſi in ſeipsâ humanis oculis inviſibilis ſemper extiterit, in aſſumptitio tamen corpore, quoties, & ubi, & quibus placuit, ſpectabilem ſe præbuerit. Tertius item aditus aperitur, & duce præſertim Auguſtino cæteris præfertur: juxta quem prædictæ apparitiones attribuuntur Angelico ſpiritui, perſonaliter quidem in aſſumptitio corpore ſpectandum audiendumque ſe præbenti, ſed Dei Majeſtatem repræſentativè exhibenti. Hoc evincere videtur prærogativa Euangelicæ legis præ Moyſaicâ, ab Apoſtolo Hebræis inculcata. Epiſtolæ ad Hebræos authoritas ab Arianis exploſa, & ab orthodoxis non conſentienter olim ſuſcepta. Inde factum, ut priſcorum Tractatorum vix pauci tertium hunc aditum tentarint: quem nihilominùs, præter Auguſtinum, amplexus eſt cum Theodoreto Cyrillus. Modus ſuggeritur conciliandi memoratorum trium exituum apertores & aſſertores.

XXVI. HÆc de primo illo, devitandi Arianorum laqueos, exitu ſufficere videntur: ſupereſt proinde ut de aliis exitibus devitandi eoſdem diſſeramus; quorum primus eſt, juxta quem is qui Patriarchis ac Prophetis apparuit, & *Deum* ſe nominavit, nequaquam Angelus è creatis ſpiritibus quiſpiam, ſed Deus ipſe increatus intelligitur: non quidem determinatè Dei Filius aut ulla ſingularis perſona Trinitatis; ſed ipſa Trinitas unus Deus, in corpore quodam adſcititio oculis conſpicabili. Hunc exitum tentat ſubinde Auguſtinus; atque ita diſcutit, ut quamvis non ei firmiter inſiſtat, ſaltem adverſariis inexpugnabilem monſtret: A. Nos, inquiens, qui nunquam A. Aug l. 2. de Trinitate cap. 9. „ apparuiſſe corporeis oculis Deum nec Pa„ trem nec Filium nec Spiritum Sanctum di„ cimus, niſi per ſubjectam ſuæ poteſtati crea„ turam; in pace catholica pacifico ſtudio re„ quiramus, parati corrigi ſi fraternè ac rectè „ reprehendimur; parati etiam ſi ab inimico,

D 3 vera

„ vera tamen dicente, mordemur: utrum indiſcretè Deus apparuerit Patribus noſtris „ antequam Chriſtus veniret in carne, an aliquâ ex Trinitate perſona, an ſigillatim quaſi per vices". Quam tripartitam quæſtionem ſubſequenter ibidem per reliqua ejuſdem libri capita idem author operosè ventilat, ac tandem ad calcem ſine firmâ deciſione relinquit: " Quapropter, inquiens, quoniam in illâ tripartitâ noſtrâ diſtributione, primùm quærere inſtituimus, utrum Pater, an Filius, „ an Spiritus Sanctus; an aliquando Pater, „ aliquando Filius, aliquando Spiritus Sanctus; an ſine ullâ diſtinctione perſonarum, „ ſicut dicitur, Deus unus & ſolus, id eſt, „ Trinitas ipſa, per illas creaturæ formas Patribus apparuerit: interrogatis quæ potuimus, quantùm ſufficere viſum eſt, Sanctarum Scripturarum locis, nihil aliud, quantùm exiſtimo, divinorum Sacramentorum „ modeſta & cauta conſideratio perſuadet, „ niſi ut temerè non dicamus quænam ex Trinitate perſona cuilibet Patrum & Prophetarum in aliquo corpore vel ſimilitudine „ corporis apparuerit, niſi cùm continentia „ lectionis aliqua probabilia circumponit indicia. Ipſa enim natura, vel ſubſtantia, vel „ eſſentia, vel quolibet alio nomine appellandum eſt id ipſum quod Deus eſt, quicquid „ illud eſt, corporaliter videri non poteſt: per „ ſubjectam verò creaturam non ſolùm Filium, vel Spiritum Sanctum, ſed etiam Patrem corporali ſpecie ſive ſimilitudine mortalibus ſenſibus ſignificationem ſui dare potuiſſe, credendum eſt". Nihil ergo Auguſtinus in Scripturis reperit, unde ullum tripartitæ illius diſtributionis membrum certò aſtrueret. Ex quo conſequens eſt, cujuſvis membri defenſorem non poſſe ab adverſariis poſitivè revinci, adeòque ſecundi hujus exitus amplexorem ab Arianorum laqueis immunem progredi: præſertim cùm ſuppetant Scripturarum teſtimonia, quibus in ſuo progreſſu valeat adjuvari. Unde idem Auguſtinus ibidem ſuperiùs cap. 10. & 11. ait: " Ubi ſcriptum
Gen. 3. 9. „ eſt, *Dixit Dominus Deus ad Adam*, cur non ipſa „ Trinitas intelligatur, nihil dici poteſt. Si-
Gen. 12. 1. „ militer etiam quod ſcriptum eſt, *Dixit Dominus ad Abraham: Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui*, non eſt „ apertum utrùm ſola vox facta ſit ad aures „ Abrahæ, an & aliquid oculis ejus apparuerit. Paulò pòſt autem aliquantò apertiùs di-
Ibid. v. 7. „ ctum eſt, *Et viſus eſt Dominus Abrahæ, & dixit illi: Semini tuo dabo terram hanc*. Sed nec ibi „ expreſſum eſt, in quâ ſpecie viſus ſit ei Dominus; aut utrum Pater, an Filius, an Spiritus Sanctus ei viſus ſit. —— Neque hìc „ ergo evidenter apparet, utrùm aliqua ex „ Trinitate perſona, an Deus ipſa Trinitas, „ de quo uno Deo dictum eſt, *Dominum Deum* Deut. 6. 13.
„ *tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*, viſus fuerit
„ Abrahæ. Sub ilice autem Mambre *tres viros* Gen. 18. 2.
„ *vidit*, quibus & invitatis, & hoſpitio ſuſceptis, & epulantibus, miniſtravit. Sic tamen „ Scriptura illam rem geſtam narrare cœpit, ut
„ non dicat, viſi ſunt ei tres viri, ſed *viſus eſt* Ibid. v. 1.
„ *ei Dominus*. Atque hinc conſequenter exponens quomodò ei viſus ſit Dominus, contexit narrationem de *tribus viris*, quos Abraham per pluralem numerum invitat, ut hoſpitio ſuſcipiat; & poſtea ſingulariter, ſicut „ unum, alloquitur. Et ſicut unum ei de Sarâ „ filium pollicetur is, quem *Dominum* dicit „ Scriptura: ſic in ejuſdem narrationis exordio, *viſus eſt*, inquit, *Dominus Abrahæ*. Invitat ergo, & pedes lavat, & deducit abeuntes, tanquam homines: loquitur autem tanquam cum Domino Deo, ſive cùm ei promittitur filius, ſive cùm ei Sodomæ imminens interitus indicatur. Non parvam neque tranſitoriam conſiderationem poſtulat „ iſte Scripturæ locus. Si enim vir unus illi „ viſus fuiſſet, jam illi qui dicunt, etiam priùs „ quàm de virgine naſceretur, per ſuam ſubſtantiam viſibilem fuiſſe Filium, quid aliud „ quàm ipſum eſſe clamarent, quoniam de Pa-
„ tre inquiunt dictum eſt, *Invisibili ſoli Deo?* Et 1. Tim. 1. 17.
„ tamen poſſem adhuc quærere quomodo ante
„ ſuſceptam carnem *habitu eſt inventus ut homo*, Phil. 2. 7.
„ quandoquidem ei *pedes loti ſunt*, & humanis Gen. 18. 4.
„ epulis *epulatus eſt?* Quomodò iſtud fieri po-
„ terat, cùm adhuc *in formâ Dei eſſet*, *non rapi-* Ibid. v. 9.
„ *nam arbitratus eſſe æqualis Deo?* Nunquid enim
„ jam *ſemetipſum exinanierat*, *formam ſervi acci-* Phil. 2. 6. & 7.
„ *piens*, *in ſimilitudinem hominum factus*, & *habitu inventus ut homo:* cùm hoc quando fecerit, per partum virginis noverimus? Quomodò igitur antequam hoc feciſſet, ut vir „ unus apparuit Abrahæ? An illa forma vera „ non erat? Poſſem iſta quærere, ſi vir unus „ apparuiſſet Abrahæ, idemque Dei Filius
„ crederetur: cùm verò *tres viri viſi ſunt:* nec Gen. 18. 2.
„ quiſquam in eis vel formâ, vel ætate, vel „ poteſtate major cæteris dictus eſt, cur non „ hìc accipiamus viſibiliter inſinuatam Trinitatis æqualitatem per viſibilem creaturam, „ atque in tribus perſonis unam eandemque ſubſtantiam". Et in Tractatu de eo quod di-
ctum eſt, *Ego ſum qui ſum:* " Si propterea Exod. 3. 14.
„ Chriſtus erat, cùm *Angelus* dictus fuit; quid Vide Aug. l. 3. contra
„ facimus, quando *Abrahæ tres apparuerunt?* Maximinum c. 25.
„ Quid hìc dicimus? Tres apparuerunt, & Ibid. v. 2.
„ Abraham tanquam ad unum loquens dixit, juxta 70.
„ *Domine*. Quid dicimus? Quare tres? An Gen. 18. 2.
„ ipſa Trinitas erat? Quare ergo, *Domine?* Ibid. v. 3.
„ Quia Trinitas unus Dominus, non ſunt tres „ Domini: & Trinitas unus Deus, non tres; una ſubſtantia, tres perſonæ".

XXVII. Nihil quidem hiſce locis Auguſti-

nus

Digitized by Google

nus certò reſolvit, ſed quæſtionis ventilatione quid Arianis reſponderi poſſit oſtendit; adeòque novum iſtum exitum evadendi eorum laqueos, patefecit. Ille enim laqueum ſibi expanſum evadit,, qui ita præmunitus eſt, ut eo irretiri nequeat, quamvis laqueum ipſum non omninò perfringat: ſicut in judicijs humanis reus condemnationem evadit, ſi actoris objecta diluat, tametſi eorundem falſitatem poſitivè non monſtret. Notorii quippe Juris eſt, [B] Actore non probante reum abſolvi". Cæterùm quæſtionem à ſe in locis proximo §. adductis ventilatam Auguſtinus alibi cum magnâ aſſeverantiâ decidit, & novum exitum non ſolùm evitandi, ſed & conterendi Arianorum laqueos aperuit, aſſerens eum qui Patriarchis & Prophetis apparuit non fuiſſe ullam è Trinitate perſonam, ſed Angelicam quampiam virtutem, à Deo conditam, in miniſterium miſſam, ac mittentis vice delegationeque perfunctam: [C] Illa omnia, ait ipſe, „ quæ Patribus viſa ſunt, cùm Deus illis „ ſecundùm ſuam diſpenſationem temporibus congruam præſentaretur, per creaturam „ facta eſſe manifeſtum eſt. Etſi nos lateat quomodò ea miniſtris Angelis fecerit, per Angelos tamen eſſe facta, non ex noſtro ſenſu dicimus, ne cuiquam videamur *plus ſapere quàm „ oportet ſapere, ſed ſapiamus ad temperantiam, „ ſicut Deus nobis partitus eſt menſuram fidei*; ſed „ *credimus, propter quod & loquimur*. Extat enim „ authoritas divinarum Scripturarum, unde „ mens noſtra deviare non debet, nec relicto „ fundamento divini eloquii per ſuſpicionum „ ſuarum abrupta præcipitari, ubi nec ſenſus „ corporis regit, nec perſpicua ratio veritatis „ elucet. Apertiſſimè quippe ſcriptum eſt in „ Epiſtolâ ad Hebræos, cùm diſpenſatio novi „ Teſtamenti ſecundùm congruentiam ſæculorum ac temporum diſtingueretur, non „ tantùm illa viſibilia, ſed ipſum etiam ſermonem per Angelos factum. Sic enim dicit: „ *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, Sede „ ad dexteram meam, quouſque ponam inimicos tuos „ ſcabellum pedum tuorum? Nonne omnes ſunt miniſtri ſpiritus ad miniſtrationem miſſi, propter eos „ qui futuri ſunt hereditate poſſidere ſalutem?* Hinc „ oſtendit illa omnia non ſolùm per Angelos „ facta, ſed etiam propter nos facta, id eſt, „ propter populum Dei, cui promittitur hæreditas vitæ æternæ: ſicut ad Corinthios „ etiam ſcriptum eſt, *Omnia hæc in figurâ contingebant illis, ſcripta ſunt autem ad correptionem „ noſtram, in quos finis ſæculorum obvenit*. Deinde „ quia tunc per Angelos, nunc autem per Filium ſermo factus eſt, conſequenter apertèque demonſtrans: *Propterea*, inquit, *abundantiùs oportet attendere nos ea quæ audivimus, ne „ fortè defluamus. Si enim qui per Angelos dictus eſt „ ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricatio & „ inobedientia juſtam accepit mercedis retributionem: „ quomodò nos effugiemus, tantam negligentes ſalutem?* Et quaſi quæreres, quam ſalutem? Ut „ oſtenderet ſe de novo Teſtamento jam dicere, id eſt, de ſermone qui non per Angelos, „ ſed per Dominum factus eſt: *Quæ cùm initium accepiſſet*, inquit, *ut enarraretur per Dominum, ab iis qui audierunt in nos confirmata eſt, „ conteſtante Deo ſignis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritûs Sancti diviſionibus, ſecundum ſuam voluntatem*". Ex hoc Auguſtini diſcurſu cernere inprimis licet, quàm certò idem Auguſtinus ſibi perſuaſum habuerit, apparitiones Patribus olim factas, interventu Angelorum fuiſſe peractas. Secundò ſub hac Angelorum appellatione nequaquam comprehendi Chriſtum, aut ullam Trinitatis perſonam: nullum enim proprii nominis Angelum cenſuit excipiendum ab illâ generali locutione Apoſtoli, *Nonne* OMNES *ſunt adminiſtratorij ſpiritus &c.* Præterea nulli omninò Angelorum dixit Deus, *Sede à dextris meis*: cùm tamen id dixerit Chriſto. Ex quo conſequens eſt hunc extra Angelorum numerum ſtatui: nam ſi inter Angelos cenſeretur, quod ipſi dictum eſt, Angelo utique dictum fuiſſet. Tertiò Epiſtolam ad Hebræos Auguſtino indubitatè habitam fuiſſe pro Scriptura divina: ſi quidem ex ea ſumpſit probationem ſuæ aſſertionis, adeò ſibi invictam, ut non cunctetur dicere: *Credimus, propter quod & loquimur*: tanquam diceret, corde credimus quod & ore profitemur. Quartò hanc Auguſtini fidem ac profeſſionem niti potiſſimè eo diſcrimine, quod eadem ad Hebræos Epiſtola ſtatuit inter vetus & novum Teſtamentum, quoad utriuſque reſpectivè publicationem. Illius quippe præcones fuêre Angeli, quanquam ex perſonâ Dei Authoris ſupremi loquentes: iſtius verò præco fuit Dei Filius, *Tanto melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.* Notanter dixi præcones veteris Teſtamenti fuiſſe *Angelos*, non Angelum: ſic enim pluraliter habetur in textu mox relato, uti & aliis locis §. 24. notatis: [D] Si diceret, Angelum, „ & non *Angelos*, non deerant illi qui dicerent, Chriſtus eſt: quia dictus eſt *Magni con„ ſilij Angelus*. Angelus Chriſtus, nunquid *Angeli* Chriſtus"? Quoniam igitur veterem legem Apoſtolus vocat *Sermonem per Angelos factum*, inde colligit Auguſtinus præconem ejus non fuiſſe Chriſtum, ſed *Angelos*. Quintò ex eo quòd promulgatio legis veteris attribuenda ſit non Dei Filio, ſed Angelis ei miniſtrantibus, colligit Auguſtinus, etiam reliquas apparitiones Patribus factas, pari ratione Angelis eſſe attribuendas. Nulla quippe earum magis expreſsè adſcribitur Deo, quàm legis publicatio: prout idem Auguſtinus partim locis hoc §. ſignatis, partim lib. 3. contra Maximinum

B. Cap. Cum Ecclesia, de cauſa Poſſeſ. & Prop.

C. Aug. l. 3. de Trinit. cap. 11.

Rom. 12. 3.

2. Cor. 4. 13.

Heb. 1. 5.

Pſal. 109. 1.

Heb. 1. 14.

1. Cor. 10. 11.

Heb. 2. 1. & ſeqq.

Ibid. v. 3. & 4.

Vide Cyril. Alexan. in Theſauro Aſſert. 20. aliàs lib. 8. cap. 2.

Heb. 1. 6.

D. Auguſt. Tract. de eo quod dictũ eſt. Ego ſum qui ſum.

Iſa. 9. 6. juxta 70.

num Arianorum Epiſcopum, ſingulatim oſtendit, ſignanter cap. 26.

XXVIII. Hæc cùm ita ſint, inquirit Auguſtinus quaſi ex adverſariorum perſona:

E. Auguſt. l. 3. de Trinit. cap. 11.

„ E Cur ergo ſcriptum eſt, *Dixit Dominus ad* „ *Moyſen*: & non potiùs, Dixit Angelus ad Moyſen"? Et continuò reſpondet: "Quia „ cùm verba Judicis præco pronunciat, non „ ſcribitur in geſtis, Ille præco dixit: ſed, „ Ille Judex. Sic etiam loquente Prophetâ „ Sancto, etſi dicamus, Propheta dixit, nihil „ aliud quàm Dominum dixiſſe volumus in„ telligi: & ſi dicamus, Dominus dixit, „ Prophetam non ſubtrahimus, ſed quis per „ eum dixerit admonemus. Et illa quidem „ Scriptura ſæpè aperit Angelum eſſe Do„ minum, quo loquente identidem dici„ tur, Dominus dixit: ſicut jam demonſtra„ vimus. Sed propter eos, qui quùm Scri„ tura illic Angelum nominat, ipſum per ſeip„ ſum Dei Filium volunt intelligi, quia pro„ pter annuntiationem paternæ ac ſuæ vo„ luntatis à Prophetâ dictus eſt *Angelus*; pro„ pterea volui ex hac Epiſtolâ (*ad Hebræos*) „ manifeſtius teſtimonium dare, ubi non di„ ctum eſt, per Angelum: ſed, *Per Angelos*".

Iſa. 9. 6.

Hebr. 2. 2.

Concludit demùm idem Auguſtinus tractationem iſtam hiſce verbis ad calcem ejuſdem libri & capitis: "Sed jam ſatis, quantùm exi„ ſtimo, pro captu noſtro diſputatum & DE„ MONSTRATUM eſt, quod in hoc li„ bro ſuſceperamus oſtendere: conſtititque „ & probabilitate rationis, quantùm homo, „ vel potiùs quantùm ego potui; & firmitate „ authoritatis, quantùm de Scripturis Sanctis „ divina eloquia patuerunt: quòd antiquis Pa„ tribus noſtris ante incarnationem Salvato„ ris, cùm Deus apparere dicebatur, voces „ illæ ac ſpecies corporales per Angelos factæ „ ſunt; ſive ipſis loquentibus vel agentibus „ aliquid ex perſonâ Dei, ſicut etiam Prophe„ tas ſolere oſtendimus: ſive aſſumentibus ex „ creatura quod ipſi non eſſent, ubi Deus fi„ guratè demonſtraretur hominibus. Quod „ genus ſignificationum nec Prophetas omi„ ſiſſe, multis exemplis docet Scriptura". Qui rurſùs lib. contra Adimantum, Manichæi diſcipulum cap. 9. "Sicut Verbum Dei, in„ quit, eſt in Prophetâ, & rectè dicitur: *Dixit* „ *Dominus*; quia Verbum Dei, quod eſt Chri„ ſtus, in Propheta loquitur veritatem: ſic & „ in Angelo ipſe loquitur, quando veritatem „ Angelus annuntiat; & rectè dicitur, *Deus* „ *dixit*, &, *Deus apparuit*; & item rectè, *An*„ *gelus dixit*, &, *Angelus apparuit*: cùm illud di„ catur ex perſonâ inhabitantis Dei, iſtud ex „ perſonâ ſervientis creaturæ. Ex hac regulâ „ etiam Apoſtolus ait, *An vultis experimentum* *eius accipere, qui in me loquitur*, *Chriſti*"? Et Tract. de eo quod dictum eſt, *Ego ſum qui ſum*:

Vide Hier. lib. 1. in caput 1. ad Galatas.

2. Cor. 13. 3.

"Cùm per Angelum, inquit, dignatur Do„ minus loqui, quomodò per Apoſtolum, „ quomodò per Prophetam, rectè dicitur & „ *Angelus* propter ſeipſum, & *Dominus* propter „ habitantem Deum. Certè enim Paulus ho„ mo erat, & Chriſtus Deus: & ait tamen ipſe „ Paulus, *An vultis experimentum eius accipere*, „ *qui in me loquitur Chriſtus?* Qui loquitur in „ homine, loquitur in Angelo: ideò *Apparuit* „ *Moyſi Angelus Domini*, & dixit, *Ego ſum qui* *ſum*. Habitatoris vox eſt, non templi". Et rurſùs ibidem poſt pauca: "Puto, inquit, „ quòd meliùs intelligimus, quia Patres no„ ſtri Dominum in Angelis agnoſcebant, ha„ bitantem in habitatione intelligebant; non „ portantibus, ſed inſidenti gloriam dabant. „ Quam ſententiam confirmat Epiſtola quæ „ ſcribitur ad Hebræos, ubi dicitur: *Si enim* „ *qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus*. „ Loquebatur enim de veteri Teſtamento; „ commendavit quòd ibi Angeli loqueban„ tur, ſed Deus in Angelis honorabatur, & „ per Angelos interior habitator audiebatur".

Exod. 3. 2. juxta 70. Ibid. v. 14.

Heb. 2. 2.

Scopum porrò Apoſtoli in loco ex Epiſtolâ ad Hebræos proximè relato, pulchrè ediſſerit Cyrillus Alexandrinus, omninò conſentaneè iis quæ §. 27. in quarto corollario expendimus, ita ſcribens: F. Propoſitum erat Paulo, „ oſtendere quæ per Chriſtum prædicabantur „ longè præſtantiora eſſe legalibus præceptis. „ Ut igitur id demonſtret, ad adminiſtratores „ ſe convertit, & ex eorum differentiâ ea quæ „ per ipſos ſunt adminiſtrata æſtimat. Angeli „ ergo adminiſtrarunt legem, & per ipſos pro„ nuntiata eſt: Filius verò notitiam eorum „ quæ per Euangelium annuntiantur prædica„ vit. Atqui melior, inquit, eſt Filius, quàm „ Angeli; quatenùs enim melior adminiſtra„ tio ei commiſſa eſt, eâ ratione excellentior „ eſt: adminiſtrantur namque res magnæ à „ magnis, & parvæ à parvis. Magnus autem „ eſt Filius, utpote *Splendor & character Patris*, „ cui dicitur, *Sede à dextris meis*: qui quatenùs „ eſt *Primogenitus*, *adoratur ab ipſis etiam Angelis*. „ Angeli verò nihil horum habent; ſed ut „ miniſtri circumſtant, ut ſervi adorant, *Mi*„ *niſteriumq; ſuum præſtant propter eos qui ſalutem* „ *ſunt conſecuturi*. Præſtantior itaque eſt admi„ niſtratio Servatoris, quàm Angelorum".

F. Cyrillus Alexan. in Theſauro Aſſert. 20. Vide Theodoret. in caput 1. ad Hebræos.

Hebr. 1. 3.

Hebr. 1. 13.

Ibid. v. 6.

Ibid. v. 14.

Hic Apoſtoli diſcurſus, à Cyrillo illuſtratus, enervari omninò videtur, niſi ſupponamus, & indubitatè fateamur, veterem legem miniſterio Angelorum, novam verò Chriſti Filii Dei operâ fuiſſe adminiſtratam. Si enim Chriſtum per ſeipſum immediatè utramque legem pariliter adminiſtraſſe contendamus, veterem legem novæ quantùm ad adminiſtratoris dignitatem coæquabimus, atque adeò diſparitatem ab Apoſtolo tantopere inculcatam evacuabimus, totumque Apoſtoli ſcopum fruſtrabimus.

Nunc

Digitized by Google

XXIX. Nunc breviter videndum, an, & quâ methodo authores ſuperiùs §. 20. in contrarium allegati conciliari queant cum authoribus poſtremæ hujus ſententiæ, quæ Apoſtoli ſcopo videtur omninò conformior. Ac inprimis obſervatu dignum fuerit, Epiſtolam Pauli ad Hebræos non fuiſſe olim pro Scripturâ canonicâ ab omnibus receptam; adeò quidem, ut Hieronymus de ea loquens ſcribat, G. Eam „ latina conſuetudo inter canonicas Scripturas non recipit": & Euſebius referat, H. Quoſ„dam eam reprobaſſe, aſſerentes contradici „ ei ab Eccleſiâ Romanâ, quaſi Pauli non ſit". Quoniam igitur potiſſima probatio ſententiæ mox ex Auguſtino & Cyrillo relatæ ſumitur ex hac Pauli ad Hebræos Epiſtolâ, mirum non eſt nonnullos veterum pro alterâ ſententiâ cap. 7. adductos alioſùm deflexiſſe, propter argumenta ibidem ſubjuncta: quandoquidem probationem ex hac Epiſtolâ, dubiæ apud ipſos authoritatis, ſumptam, reputarint refragabilem. Teſtatur quippe Philaſtrius, qui quarto poſt Chriſtum ſæculo floruit: I. Statutum eſſe ab Apoſtolis & eorum „ Succeſſoribus, non aliud legi in Eccleſiâ „ debere Catholicâ, niſi Legem, & Prophetas, „ & Euangelia, & Actus Apoſtolorum, & „ Pauli TREDECIM Epiſtolas, & ſeptem „ alias, Petri ſcilicet duas, Joannis tres, Judæ unam, & Jacobi unam". Ubi reſtringendo Paulinarum Epiſtolarum numerum ad *tredecim*, decimam quartam Epiſtolam, quæ ad Hebræos eſt, extra canonem reliquit. Unde & ſequenti capite, de eâ ſignatè diſſerens, ait: " Quia addiderunt in eâ quædam non benè „ ſentientes, inde non legitur in Eccleſiâ: & „ ſi legatur à quibuſdam, non tamen in Eccleſiâ legitur ad populum". Obſervat quoque Eſtius in Prolegomenis ad hanc Epiſtolam q. 1. " Non conſtare quemquam Latinorum „ in hanc Epiſtolam commentarios ſcripſiſſe, „ ante Anſelmum Cantuarienſem: ſi tamen ejus author eſt". Cæterùm quamvis in eâdem Epiſtolâ luculentis teſtimoniis aſtruatur divinitas Filii Dei, Patres tamen ſatis parcè eis utuntur adverſùs Arianos: ideò utique, quòd hi ipſam Epiſtolam pro apocryphâ reſpuerint: „ K. Nihil faciunt admirandum, inquit Theodoretus, qui morbo Arianico laborant, ſi „ adversùs litteras Apoſtolicas inſaniant, & „ Epiſtolam ad Hebræos à reliquis ſeparent. „ Qui enim adversùs Deum & Servatorem „ noſtrum linguas movent, quid non audeant „ adversùs ejus benevolos & grandiloquos „ veritatis præcones? Ipſius enim Domini „ vox eſt, *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*". Et Epiphanius de iiſdem Arianis loquens: L. Epiſtolam illam, inquit, quæ ad „ Hebræos ſcripta eſt, repudiant, & ab Apoſtolicis ſcriptis rejiciunt". Hinc itaque factum videtur, ut Patres in ſuis adverſùs Arianos diſputationibus minùs inſiſterent perpendendis aut urgendis teſtimoniis ex Epiſtolâ iſtâ ad Hebræos ſumptis, probè ſcientes ea ab adverſariis neutiquam admittenda fore: M. Fieri „ enim nunquam poteſt, inquit Baſilius, ut „ qui circa principia diſciplinarum contentio„ ſiùs velitantur, ad finem aliquando viâ & ordine provehantur aut pertingant". Et Tertullianus: N. Quid promovebis, inquit, exercitatiſſime Scripturarum, cùm ſi quid de„ fenderis, negetur ex diverſo; ſi quid negaveris, defendatur"? Cui conſonum eſt illud Philoſophi: O. Nulla eſt ad eum ratio, qui principia tollit". Ex quo ſumptum eſt iſtud in Scholis tritum, *Contra negantem principia non eſt artifici diſputandum*: ex ejuſmodi nimirùm principiis, quæ ab adverſario negantur. Hæc igitur eſſe potuit ratio, cur Patres in ſuis adverſùs Arianos diſceptationibus poſtremum hunc exitum evitandi eorundem Arianorum laqueos neglexerint, vel ſaltem non expreſsè adhibuerint; donec Auguſtinus authoritate Synodi III. Carthaginenſis, cui ipſe interfuit ac ſubſcripſit, fretus, eum aperuit, & validiſſimè munitum poſteris conſignavit. Etenim in præfatâ Synodo c. 47. Epiſtola ad Hebræos Canonicis Scripturis diſertè accenſetur, & Paulo Apoſtolo tanquam authori adſcribitur: uti & antea apud Orientales in Synodo Laodicenâ c. ultimo. Signanter dixi, *vel ſaltem non expreſsè adhibuerint*: quia veteres illi Tractatores, qui Filium Dei Patriarchis & Prophetis apparuiſſe aſſeruerunt, in hunc tertium exitum trahi, & Auguſtino ac Cyrillo conciliari, abſque incommodo poſſunt: dicendo nimirùm, Dei Filium Patriarchis & Prophetis apparuiſſe repræſentativè, Angelum verò perſonaliter. Etenim Angelus qui juxta Auguſtini ac Cyrilli ſententiam perſonaliter & immediatè in aſſumptitio corpore ſe oculis Patriarcharum vel Prophetarum ſpectandum exhibebat, Dei Filium olim incarnandum peculiariter repræſentabat: uſque adeò quidem, ut nonnulli exiſtiment eum tali corporis ſpecie apparuiſſe, qualem ſibi Filius poſteà homo factus aſſumpſit. Quorum exiſtimationi patrocinari videtur Leo Papa, cùm ait: P. Illæ imagines hujus hominis erant in„ dicia, cujus veritatem ex præcedentium Pa„ trum ſtirpe ſumendam ſignificationes myſticæ nuntiabant". Eugubinus certè, qui non Angelum, ſed ipſum Dei Filium in aſſumptitio corpore apparuiſſe cenſet, formam ei corporis attribuit omninò ſimilem ei, quam in plenitudine temporis poſtmodùm de virgine natus ſuſcepit: atque ad hanc imaginem putat formatum fuiſſe primum hominem: Q. Hanc „ ſpeciem, inquiens, divinamque pulchritu„ dinem, clementiſſimus formoſiſſimuſque

G. Hieron. in caput 8. Iſaiæ.

H. Euſeb. l. 3. Hiſt. c. 3.

I. Philaſt. l. de Hæreſibus p. 3. cap. 10. Vide Sixtum Senen. l. 1. Biblioth. Sect. 2. & l. 7. Hæreſi 8.

Eſtius.

K. Theodoret. Præfat. in Epiſt. ad Hebræos.

Joan. 15. 20.

L. Epiphan. Hær. 69. n. 37 editionis Petavianæ.

M. Baſil. in Pſalm. 115.

N. Tertull. l. de Præſcript. c. 17.

O. Ariſt. lib. 1. Phyſic. cap. 2.

Synodus Carthag. III.

Synod. Laodic. c. 59.

P. Leo Epiſtol. 13.

Q. Eugubin. in Coſmop.

 aſſumens,

Digitized by Google

num Arianorum Epiſcopum, ſingulatim oſtendit, ſignanter cap. 26.

XXVIII. Hæc cùm ita ſint, inquirit Auguſtinus quaſi ex adverſariorum perſona:

E. Auguſt. l. 3. de Trinit. cap. 11.

„ E Cur ergo ſcriptum eſt, *Dixit Dominus ad* „ *Moyſen*: & non potiùs, Dixit Angelus ad Moyſen"? Et continuò reſpondet: "Quia „ cùm verba Judicis præco pronunciat, non „ ſcribitur in geſtis, Ille præco dixit: ſed, „ Ille Judex. Sic etiam loquente Prophetâ „ Sancto, etſi dicamus, Propheta dixit, nihil „ aliud quàm Dominum dixiſſe volumus in„ telligi: & ſi dicamus, Dominus dixit, „ Prophetam non ſubtrahimus, ſed quis per „ eum dixerit admonemus. Et illa quidem „ Scriptura ſæpè aperit Angelum eſſe Do„ minum, quo loquente identidem dici„ tur, Dominus dixit: ſicut jam demonſtra„ vimus. Sed propter eos, qui quùm Scri„ tura illic Angelum nominat, ipſum per ſeip„ ſum Dei Filium volunt intelligi, quia pro„ pter annuntiationem paternæ ac ſuæ vo„ luntatis à Prophetâ dictus eſt *Angelus*; pro„ pterea volui ex hac Epiſtolâ (*ad Hebræos*) „ manifeſtius teſtimonium dare, ubi non di„ ctum eſt, per Angelum: ſed, *Per Angelos*".

Iſa. 9. 6.

Hebr. 2. 2.

Concludit demùm idem Auguſtinus tractationem iſtam hiſce verbis ad calcem ejuſdem libri & capitis: "Sed jam ſatis, quantùm exi„ ſtimo, pro captu noſtro diſputatum & DE„ MONSTRATUM eſt, quod in hoc li„ bro ſuſceperamus oſtendere: conſtititque „ & probabilitate rationis, quantùm homo, „ vel potiùs quantùm ego potui; & firmitate „ authoritatis, quantùm de Scripturis Sanctis „ divina eloquia patuerunt: quòd antiquis Pa„ tribus noſtris ante incarnationem Salvato„ ris, cùm Deus apparere dicebatur, voces „ illæ ac ſpecies corporales per Angelos factæ „ ſunt; ſive ipſis loquentibus vel agentibus „ aliquid ex perſonâ Dei, ſicut etiam Prophe„ tas ſolere oſtendimus: ſive aſſumentibus ex „ creatura quod ipſi non eſſent, ubi Deus fi„ guratè demonſtraretur hominibus. Quod „ genus ſignificationum nec Prophetas omi„ ſiſſe, multis exemplis docet Scriptura". Qui rursùs lib. contra Adimantum, Manichæi diſcipulum cap. 9. "Sicut Verbum Dei, in„ quit, eſt in Prophetâ, & rectè dicitur: *Dixit* „ *Dominus*; quia Verbum Dei, quod eſt Chri„ ſtus, in Propheta loquitur veritatem: ſic & „ in Angelo ipſe loquitur, quando veritatem „ Angelus annuntiat; & rectè dicitur, *Deus* „ *dixit*, &, *Deus apparuit*; & item rectè, *An*„ *gelus dixit*, &, *Angelus apparuit*: cùm illud di„ catur ex perſonâ inhabitantis Dei, iſtud ex „ perſonâ ſervientis creaturæ. Ex hac regulâ „ etiam Apoſtolus ait, *An vultis experimentum* *ejus accipere, qui in me loquitur, Chriſti*"? Et Tract. de eo quod dictum eſt, *Ego ſum qui ſum*:

Vide Hier. lib. 1. in caput 3. ad Galatas.

2. Cor. 13. 3.

"Cùm per Angelum, inquit, dignatur Do„ minus loqui, quomodò per Apoſtolum, „ quomodò per Prophetam, rectè dicitur & „ *Angelus* propter ſeipſum, & *Dominus* propter „ habitantem Deum. Certè enim Paulus ho„ mo erat, & Chriſtus Deus: & ait tamen ipſe „ Paulus, *An vultis experimentum ejus accipere*, „ *qui in me loquitur Chriſtus?* Qui loquitur in „ homine, loquitur in Angelo: ideò *Apparuit* „ *Moyſi Angelus Domini*, & dixit, *Ego ſum qui* *ſum*. Habitatoris vox eſt, non templi". Et rursùs ibidem poſt pauca: "Puto, inquit, „ quòd meliùs intelligimus; quia Patres no„ ſtri Dominum in Angelis agnoſcebant, ha„ bitantem in habitatione intelligebant; non „ portantibus, ſed inſidenti gloriam dabant. „ Quam ſententiam confirmat Epiſtola quæ „ ſcribitur ad Hebræos, ubi dicitur: *Si enim* „ *qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus*. „ Loquebatur enim de veteri Teſtamento; „ commendavit quòd ibi Angeli loqueban„ tur, ſed Deus in Angelis honorabatur, & „ per Angelos interior habitator audiebatur".

Exod 3. 2. juxta 70. Ibid. v. 14.

Heb. 2. 2.

Scopum porrò Apoſtoli in loco ex Epiſtolâ ad Hebræos proximè relato, pulchrè ediſſerit Cyrillus Alexandrinus, omninò conſentaneè iis quæ §. 27. in quarto corollario expendimus, ita ſcribens: F. Propoſitum erat Paulo, „ oſtendere quæ per Chriſtum prædicabantur „ longè præſtantiora eſſe legalibus præceptis. „ Ut igitur id demonſtret, ad adminiſtratores „ ſe convertit, & ex eorum differentiâ ea quæ „ per ipſos ſunt adminiſtrata æſtimat. Angeli „ ergo adminiſtrarunt legem, & per ipſos pro„ nuntiata eſt: Filius verò notitiam eorum „ quæ per Euangelium annuntiantur prædica„ vit. Atqui melior, inquit, eſt Filius, quàm „ Angeli; quatenùs enim melior adminiſtra„ tio ei commiſſa eſt, eâ ratione excellentior „ eſt: adminiſtrantur namque res magnæ à „ magnis, & parvæ à parvis. Magnus autem „ eſt Filius, utpote *Splendor & character Patris*, „ cui dicitur, *Sede à dexteris meis*: qui quatenùs „ eſt *Primogenitus*, *adoratur ab ipſis etiam Angelis*. „ Angeli verò nihil horum habent; ſed ut „ miniſtri circumſtant, ut ſervi adorant, *Mi*„ *niſteriumq; ſuum præſtant propter eos qui ſalutem* „ *ſunt conſecuturi*. Præſtantior itaque eſt admi„ niſtratio Servatoris, quàm Angelorum".

F. Cyrillus Alexan. in Theſauro Aſſert. 20. Vide Theodoret. in caput 2. ad Hebræos.

Hebr. 1. 3.

Hebr. 1. 13.

Ibid. v. 6.

Ibid. v. 14.

Hic Apoſtoli diſcurſus, à Cyrillo illuſtratus, enervari omninò videtur, niſi ſupponamus, & indubitatè fateamur, veterem legem miniſterio Angelorum, novam verò Chriſti Filii Dei operâ fuiſſe adminiſtratam. Si enim Chriſtum per ſeipſum immediatè utramque legem pariliter adminiſtraſſe contendamus, veterem legem novæ quantùm ad adminiſtratoris dignitatem coæquabimus, atque adeò diſparitatem ab Apoſtolo tantopere inculcatam evacuabimus, totumque Apoſtoli ſcopum fruſtrabimus.

Nunc

Digitized by Google

XXIX. Nunc breviter videndum, an, & quâ methodo authores ſuperiùs §. 20. in contrarium allegati conciliari queant cum authoribus poſtremæ hujus ſententiæ, quæ Apoſtoli ſcopo videtur omninò conformior. Ac inprimis obſervatu dignum fuerit, Epiſtolam Pauli ad Hebræos non fuiſſe olim pro Scripturâ canonicâ ab omnibus receptam; adeò quidem, ut Hieronymus de ea loquens ſcribat, G. Eam „ latina conſuetudo inter canonicas Scripturas non recipit": & Euſebius referat, H. Quoſ„dam eam reprobaſſe, aſſerentes contradici „ ei ab Eccleſiâ Romanâ, quaſi Pauli non ſit".

G. Hieron. in caput 8. Iſaiæ.

H. Euſeb. l. 3. Hiſt. c. 3.

Quoniam igitur potiſſima probatio ſententiæ mox ex Auguſtino & Cyrillo relatæ ſumitur ex hac Pauli ad Hebræos Epiſtolâ, mirum non eſt nonnullos veterum pro alterâ ſententiâ cap. 7. adductos aliorsùm deflexiſſe, propter argumenta ibidem ſubjuncta: quandoquidem probationem ex hac Epiſtolâ, dubiæ apud ipſos authoritatis, ſumptam, reputarint refragabilem. Teſtatur quippe Philaſtrius, qui quarto poſt Chriſtum ſæculo floruit: I. Statutum eſſe ab Apoſtolis & eorum „ Succeſſoribus, non aliud legi in Eccleſiâ „ debere Catholicâ, niſi Legem, & Prophetas, „ & Euangelia, & Actus Apoſtolorum, & „ Pauli TREDECIM Epiſtolas, & ſeptem „ alias, Petri ſcilicet duas, Joannis tres, Judæ unam, & Jacobi unam".

I. Philaſt. l. de Hæreſibus p. 3. cap. 40. Vide Sixtum Senen. l. 1. Bibliothec. Sect. 2. & l. 7. Hæreſi 8.

Ubi reſtringendo Paulinarum Epiſtolarum numerum ad *tredecim*, decimam quartam Epiſtolam, quæ ad Hebræos eſt, extra canonem reliquit. Unde & ſequenti capite, de eâ ſignatè diſſerens, ait: "Quia addiderunt in eâ quædam non benè „ ſentientes, inde non legitur in Eccleſiâ: & „ ſi legatur à quibuſdam, non tamen in Eccleſiâ legitur ad populum". Obſervat quoque Eſtius in Prolegomenis ad hanc Epiſtolam q. 1. "Non conſtare quemquam Latinorum „ in hanc Epiſtolam commentarios ſcripſiſſe, „ ante Anſelmum Cantuarienſem: ſi tamen ejus author eſt".

Eſtius.

Cæterùm quamvis in eâdem Epiſtolâ luculentis teſtimoniis aſtruatur divinitas Filii Dei, Patres tamen ſatis parcè eis utuntur adversùs Arianos: ideò utique, quòd hi ipſam Epiſtolam pro apocryphâ reſpuerint: „ K. Nihil faciunt admirandum, inquit Theodoretus, qui morbo Arianico laborant, ſi „ adversùs litteras Apoſtolicas inſaniant, & „ Epiſtolam ad Hebræos à reliquis ſeparent. „ Qui enim adversùs Deum & Servatorem „ noſtrum linguas movent, quid non audeant „ adversùs ejus benevolos & grandiloquos „ veritatis præcones? Ipſius enim Domini „ vox eſt, *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*".

K. Theodoret. Præfat. in Epiſt. ad Hebræos.

Joan. 15. 20.

Et Epiphanius de iiſdem Arianis loquens: L. Epiſtolam illam, inquit, quæ ad „ Hebræos ſcripta eſt, repudiant, & ab Apoſtolicis ſcriptis rejiciunt".

L. Epiphan. Hær. 69. n. 37 editionis Petavianæ.

Hinc itaque factum videtur, ut Patres in ſuis adversùs Arianos diſputationibus minùs inſiſterent perpendendis aut urgendis teſtimoniis ex Epiſtolâ iſtâ ad Hebræos ſumptis, probè ſcientes ea ab adverſariis neutiquam admittenda fore: M. Fieri „ enim nunquam poteſt, inquit Baſilius, ut „ qui circa principia diſciplinarum contentio„ ſiùs velitantur, ad finem aliquando viâ & "ordine provehantur aut pertingant".

M. Baſil. in Pſalm. 115.

Et Tertullianus: N. Quid promovebis, inquit, exer„ citatiſſime Scripturarum, cùm ſi quid de„ fenderis, negetur ex diverſo; ſi quid negaveris, defendatur"?

N. Tertull. l. de Præſcript. c. 17.

Cui conſonum eſt illud Philoſophi: O. Nulla eſt ad eum ratio, qui principia tollit".

O. Ariſt. lib. 1. Phyſic. cap. 2.

Ex quo ſumptum eſt iſtud in Scholis tritum, *Contra negantem principia non eſt artifici diſputandum*: ex ejuſmodi nimirùm principiis, quæ ab adverſario negantur. Hæc igitur eſſe potuit ratio, cur Patres in ſuis adversùs Arianos diſceptationibus poſtremum hunc exitum evitandi eorundem Arianorum laqueos neglexerint, vel ſaltem non expreſsè adhibuerint; donec Auguſtinus authoritate Synodi III. Carthaginenſis, cui ipſe interfuit ac ſubſcripſit, fretus, eum aperuit, & validiſſimè munitum poſteris conſignavit. Etenim in præfatâ Synodo c. 47. Epiſtola ad Hebræos Canonicis Scripturis disertè accenſetur, & Paulo Apoſtolo tanquam authori adſcribitur: uti & antea apud Orientales in Synodo Laodicenâ c. ultimo.

Synodus Carthag. III.

Synod. Laodic. c. 59.

Signanter dixi, *vel ſaltem non expreſsè adhibuerint*: quia veteres illi Tractatores, qui Filium Dei Patriarchis & Prophetis apparuiſſe aſſeruerunt, in hunc tertium exitum trahi, & Auguſtino ac Cyrillo conciliari, abſque incommodo poſſunt: dicendo nimirùm, Dei Filium Patriarchis & Prophetis apparuiſſe repræſentativè, Angelum verò perſonaliter. Etenim Angelus qui juxta Auguſtini ac Cyrilli ſententiam perſonaliter & immediatè in aſſumptitio corpore ſe oculis Patriarcharum vel Prophetarum ſpectandum exhibebat, Dei Filium olim incarnandum peculiariter repræſentabat: uſque adeò quidem, ut nonnulli exiſtiment eum tali corporis ſpecie apparuiſſe, qualem ſibi Filius poſteà homo factus aſſumpſit. Quorum exiſtimationi patrocinari videtur Leo Papa, cùm ait: P. Illæ imagines hujus hominis erant in„ dicia, cujus veritatem ex præcedentium Pa„ trum ſtirpe ſumendam ſignificationes myſticæ nuntiabant".

P. Leo Epiſtol. 11.

Eugubinus certè, qui non Angelum, ſed ipſum Dei Filium in aſſumptitio corpore apparuiſſe cenſet, formam ei corporis attribuit omninò ſimilem ei, quam in plenitudine temporis poſtmodùm de virgine natus ſuſcepit: atque ad hanc imaginem putat formatum fuiſſe primum hominem: Q. Hanc „ ſpeciem, inquiens, divinamque pulchritu„ dinem, clementiſſimus formoſiſſimuſque

Q. Eugubin. in Coſmop.

E aſſumens,

„ aſſumens, quam erat poſt multa tempora „ uſque ad carnem & oſſa aſſumpturus, creabat hominem, largiens ei ſpeciem hanc tantam, ipſe primus archetypus, ſpecioſiſſimus ipſe, ſpecioſiſſimæ prolis creator". Quam ſententiam etſi Pererius lib. 4. in Geneſim n. 33. temeritatis, ineptiæ, abſurditatis, & novitatis accuſet: Salianus tamen tomo 1. Annalium ad diem VI. Mundi n. 55. nihil habere abſurdi contendit. Sed quicquid de eâ ſit, noſtro impræſentiarùm ſcopo ſufficit, Angelum in eâ formâ priſcis Patriarchis ac Prophetis apparuiſſe, quæ repræſentationi intentæ congruebat: ut apparitiones ipſæ attribui poſſint & Angelo repræſentanti, & Filio Dei repræſentato. Hac namque ratione conciliari poterunt Scripturæ & Patres, quatenùs nunc *Angelum*, nunc *Dominum*, ſeu *Dei Filium*, à Patribus viſum, aut cum eis collocutum, vel colluctatum fuiſſe teſtantur.

Pererius. Salianus. Vide Serarium in caput 5. Joſue q. 40.

CAPUT DECIMUM.

Deciſio quæſtionis cap. 7. propoſitæ, & huc uſque protractæ. Author & inditor nominis ISRAEL, *in perſonâ fuit Angelicus ſpiritus, repræſentativè autem Deus, ac ſignanter Dei Filius. Petri Apoſtolorum Principis prærogativa præ ijs, quibus olim indita vel mutata fuerant nomina, Dei quidem authoritate, ſed Angelorum miniſterio. Chriſtus Dei Filius Petro novum indidit nomen per ſeipſum, cùm tamen Gabriëlis Angeli interventu nomen acceperit ipſe. Expenditur illa Chriſti ſententia*, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet. *Apoſtolis prædicantibus plures crediderunt in Chriſtum, quàm prædicante perſonaliter ipſo Chriſto. Quiſnam Angelicorum ſpirituum impenderit Deo miniſteriale obſequium in præfatis apparitionibus? Non improbanda videtur eorum conjectura, qui cenſent fuiſſe Archangelum Michaëlem: quem nunc cuſtodem ſuum ac patronum agnoſcit Eccleſia, ut olim Hebræorum Synagoga. Vnus idemque Angelus miniſtravit legem in Sina, qui apparuerat Moyſi in rubo, & Iacobo in Phanuël, & Iſaaco in Berſabee, & Abrahæ in Mambre, ac alibi.*

XXX. His ita diſcuſſis, ac ſecundùm Auguſtini mentem Paulinâ authoritate nixam deciſis, ſoluta videtur quæſtio initio capitis 7. propoſita, & huc uſque protracta; quâ inquirebatur, quis revera author & inditor nominis *Iſraël* extiterit? Author quippe & inditor extitit ille, qui cum Patriarchâ Jacob colluctatus eſt in *Phanuel* ad vadum *Iaboc*, & prævalenti benedictionem rogatus impertiit: R. Ubi etſi non abſurdè Chriſtus intelligitur „ figuratus, propter prophetiam futura nun„ tiantem; quia futurum erat ut Jacob in fi„ liis ſuis, qui crucifixerunt Chriſtum, præ„ valuiſſe Chriſto videretur; & in filiis ſuis „ videret Chriſtum facie ad faciem, & ſalva „ fieret anima Iſraëlitarum qui fideliter hoc „ viderent: tamen hunc hominem qui lucta„ tus eſt cum Jacob, Oſee Propheta evidenter „ *Angelum* dicit. Sic enim apud eum ſcriptum „ eſt de Jacob, *In utero ſupplantavit fratrem ſuum,* „ *& in labore prævaluit Deo, & confortatus eſt cum* „ *Angelo, & potuit.* Sicut ergo in Geneſi ille „ qui luctatus eſt cum Jacob, & *homo*, & *Deus* „ dicitur: ita & in hoc Prophetâ, & *Deus*, & „ *Angelus*. Ac per hoc ita qui erat *Angelus*, di„ ctus eſt *homo*, quomodò illi dicti ſunt *viri* „ qui apparuerunt Abrahæ, quando neſcientes „ & ipſe & Loth *hoſpitio receperunt Angelos*. Deus „ ergo erat in Angelo, ſicut eſt Deus in ho„ mine, maximè quando per hominem loqui„ tur. Ita verò per hunc Angelum figuratus eſt Chriſtus, ſicut per hunc hominem". Author itaque & inditor nominis *Iſraël*, in perſonâ quidem fuit Angelus, ſed in repræſentatione Chriſtus Dei Filius, *Adonai, & Dux domus Iſraël, qui Moyſi in igne flammæ rubi apparuit, & ei in Sinâ legem dedit.* Dedit utique, per miniſterium Angeli ſeſe repræſentantis; reſervans novæ legi eam prærogativam, ut eam per ſeipſum, perſonaliter apparentem, & cum hominibus homo factus converſantem, publicaret. Quæ quidem prærogativa multum conducit ad dignitatem, tametſi non augeat certitudinis

R. Aug. l. 3. contra Maximinum cap. 26. Oſee 12. 3. & 4. juxta 70. Gen. 32. 24. & 30. Gen. 18. 2. Heb. 13. 2. Vide ſuprà §. 21.

Digitized by Google

titudinis ſecuritatem: ſiquidem non minùs certus eſt Dei ſermo per interpoſitam Angeli vel hominis perſonam prolatus, quàm per ipſum Deum immediatè in propriâ perſonâ pronunciatus. Unde Cyrillus §. 28. relatus non dixit præcepta Euangelica legalibus eſſe certiora, ſed *præſtantiora*, *excellentiora*, hoc eſt, dignitate eminentiora. Cui conſonans Theodoretus in expoſitione diſcriminis ab Apoſtolo traditi inter legalem & Euangelicum ſermonem: S. Oſtendit Apoſtolus, inquit, „ quantò legis conſtitutiones ſuperet doctrina „ Euangelica: ferendæ enim legi miniſtrabant „ Angeli, hic autem ipſe Angelorum Domi- „ nus primus doctrinam ſalutarem attulit, ex- „ cipientibus iis qui Apoſtolicam gratiam acceperunt". Ubi non ait, certitudine ſuperet: ſed ſimpliciter, *ſuperet*; ut queas ſubintelligere, dignitate, præſtantiâ, excellentiâ. Nec aliud voluit Theophylactus, cùm illud ipſum utriuſque legis diſcrimen ab Apoſtolo traditum expendens, aiebat: T. Quia tanta eſt ex- „ cellentia Filii, qui locutus eſt nobis, quâ „ excellit Prophetas & Angelos veteris Te- „ ſtamenti miniſtros, majore curâ nobis ob- „ ſervanda ſunt quæ dicit, quàm quæ lex lo- „ quitur". Ubi non ait, majore certitudine nobis credenda ſunt: ſed, *maiore curâ nobis obſervanda ſunt*; ideò utique quia ex Filii excellentiâ præ Angelis, redundat in ſermones ejus quædam excellentia, præ ſermone illorum. Hanc quoque excellentiam tacitè ſubinnuit Euangeliſta Matthæus, cùm relaturus ſermonem Domini in monte, præmittit de eodem Domino, *Aperiens os ſuum docebat*. Ubi Auguſtinus admonet, V. Fortè non vacare, quòd „ nunc eum dictum eſt *aperuiſſe os ſuum*, quòd „ ipſe in lege veteri aperire ſoleret ora Pro- „ phetarum". Quid eſt, *Non vacare*, niſi myſterio non carere? Quo myſterio, niſi eo quod mox ex Theophylacto memoravimus, nimirum majore curâ nobis obſervanda eſſe quæ Dei Filius ore proprio dixit, quàm quæ olim miniſterio hominum vel Angelorum denuntiabat? Huc item ſpectat parabola Euangelica de patrefamilias, qui poſt occiſos ſervos, ad cultores vineæ ſuæ præmiſſos, *Noviſſimè miſit ad eos filium ſuum, dicens: Verebuntur filium meum.* Quo indicat, majorem de jure deberi à ſubditis reverentiam & obſervantiam filio perſonaliter comparenti, quàm delegato eundem repræſentanti. Quapropter quod de Judæis ait Chriſtus Apoſtolis à ſe delegatis, *Si ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt*, in hunc recidit ſenſum: Quandoquidem ſermonem non ſervarunt meum, qui ſum Dei Filius; quanto minùs ſervabunt veſtrum, qui eſtis mei ſervi ac delegati? In his tamen ipſe loquebatur, ſicut olim in Angelis & Prophetis: prout indicat Paulus, cùm ait Corinthiis: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus?* De Angelis porrò ac Prophetis ita ſcribit Hieronymus: W. Quod Apoſtolus ait, „ *Lex ordinata per Angelos*, hoc vult intelligi, „ quòd in omni veteri Teſtamento ubi *Ange-* „ *lus* primùm viſus refertur, & poſtea quaſi „ *Deus* loquens inducitur, Angelus quidem „ verè ex miniſtris pluribus quicunque ſit vi- „ ſus; ſed in illo Mediator loquatur, qui di- „ cit: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, &* „ *Deus Iacob.* Nec mirum ſi Deus loquatur in „ Angelis, cùm etiam per Angelos, qui in „ hominibus ſunt, loquatur Deus in Prophe- „ tis: dicente Zachariâ, *Et ait Angelus, qui lo-* „ *quebatur in me*; ac deinceps inferente, *Hæc* „ *dicit Dominus omnipotens.* Neque enim An- „ gelus, qui eſſe dictus fuerat in Prophetâ, ex „ ſuâ perſonâ audebat loqui, *Hæc dicit Domi-* „ *nus omnipotens*".

Vide Cyrill. ſuprà §. 28.

S. Theodoret. in caput 2. ad Hebræos.

T. Theophylact. in caput 2. ad Hebræos.

Matt. 5. 2.
V. Aug. l. 1. de Sermone Domini in monte c. 1.

Matt. 21. 37.

Ioan. 15. 20.

2. Cor. 13. 3.

W. Hieron. l. 3 in caput 3. ad Galatas.
Gal. 3. 19.

Exod. 3. 6.

Zach. 2. 3.
Ibid. v. 8. juxta 70.

XXXI. Ex his obiter notari poteſt prærogativa quædam Petri Apoſtoli, ſupra eos quibus olim ante Chriſti incarnationem indita vel mutata ſunt divinitus nomina: quales fuere *Abraham* & *Sara* Gen. 17. 5. & 15. item *Iſrael* Gen. 32. 28. & Gen. 35. 10. item *Ioſue* Num. 13. 17. & ſi qui alii ſimiles. Hi enim etſi divinitùs ea nomina acceperint, non tamen per ipſum Deum immediatè in propriâ perſonâ loquentem, ſed per Angelos aut puros homines à Deo afflatos illa obtinuerunt: Petrus autem ab ipſo Dei Filio perſonaliter præſente ac loquente nomen accepit, dicente ad eum Domino: *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis* CEPHAS, *quod interpretatur* PETRUS. Et alibi ad eundem: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus.* Tanquam diceret, Non Angelus quiſquam aut Propheta, meo nomine vel authoritate fungens; ſed, *Ego* Dei Filius ore proprio *dico tibi, quia tu es Petrus.* Cùm igitur Apoſtolus pro peculiari prærogativâ legis novæ præ veteri aſſignet, quòd data fuerit per Dei Filium perſonaliter loquentem, vetus autem per Angelos, eundem licèt repræſentantes: planum omnino eſt, conſimili prorſus conſecutione aſtrui prærogativam Petri ſupra veteres illos Patriarchas, quibus per Angelos vel Prophetas, divinitùs licèt afflatos ac Dei vice functos, indita vel mutata ſunt nomina. Ampliùs dico, Chriſtum, etſi omnibus ſpectatis incomparabiliter excellentior ſit cunctis creaturis tam Angelicis quàm humanis, voluiſſe tamen in hac prærogativâ Petrum ſibi ipſi quadantenùs præferre: ſiquidem ipſe ore proprio novum ei nomen indidit, cùm tamen idem ipſe per Angelum aut hominem divinitus inſpiratum nominatus ſit *Ieſus*, prout patet Matth. 1. 21. & Luc. 1. 31. & Luc. 2. 21. Sed quid hoc miremur, cùm aliunde noverimus eum dediſſe diſcipulis prærogativam quandam patrandi miracula, majora quàm ipſe patrarit?

Ioan. 1. 42.

Matt. 16. 18.

Joan. 14. 12. X. Auguſt. Tract. 72. in Joan. *Qui credit in me*, inquit, *opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet*. X. Quid ſibi „ velit, inquit Auguſtinus, & quomodò ac- „ cipiendum ſit, quod Dominus ait, *Qui cre-* „ *dit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet*, „ non eſt facile comprehendere: & cùm hoc „ ad intelligendum ſit difficillimum, adjecit „ aliud difficilius, *Et maiora horum faciet*. Quid „ eſt hoc? Qui faceret opera quæ Chriſtus fe- „ cit, non inveniebamus: qui etiam majora „ faciat, inventuri ſumus? Sed dixeramus Vide ibid. Tract. 71. Act. 5. 15. Matt. 9. 20. & 22. „ Sermone priſtino, quia majus fuit, *umbra ſua* „ *tranſitu*, quod diſcipuli fecerunt, quàm *fim-* „ *briæ ſuæ tactu*, quod ipſe Dominus fecit, *ſa-* „ *nare languentes*: & quia plures Apoſtolis, „ quàm ipſo Domino prædicante, crediderunt; „ ut hæc viderentur *opera* intelligenda eſſe *ma-* „ *iora*: non quòd major eſſet Magiſtro diſci- „ pulus, vel domino ſervus, vel adoptatus „ unigenito, vel homo Deo; ſed quòd per „ illos ipſe dignaretur eadem *maiora* facere, Joan. 15. 5. „ qui dicit illis alio loco, *Sine me nihil poteſtis facere*". Ex quo patet non derogari honori vel dignitati Chriſti, per hujuſmodi prærogativas ſive Petri ſive aliorum diſcipulorum Chriſti; quandoquidem hæ prærogativæ ſint quædam donationes Chriſti, atque ita redundent in majorem gloriam & honorem Chriſti. Sed vide adhuc aliam prærogativam diſcipulorum Chriſti, profluentem ex dignatione ipſius Luc. 22. 27. Chriſti: *Quis maior eſt*, ait ipſe, *qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat*. Ex quo reliquit colligendum, diſcipulos fuiſſe hac in parte ſeipſo quodammodò majores. Sed quia dignationis erat iſta miniſtratio, in ipſum redundabat impenſa diſcipulis prælatio. Cùm diabolus poſt tentationem abſceſſit à Chriſto, Matt. 4. 11. *Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei*. Magnus honor, habere Angelos ſibi miniſtrantes: ſed nunquid major, habere Dei Filium, Angelorum Dominum, ſibi miniſtrantem? Et tamen hunc honorem detulit ipſe diſcipulis; Joan. 13. 5. uſque adeò quidem, ut *linteo præcinctus laverit eorum pedes, & extergerit*. Miniſtrarunt Angeli Chriſto, miniſtravit ſuis diſcipulis Chriſtus. Cùm ergo pro dignitate miniſtrantis creſcat honor miniſtrati, plus honoravit diſcipulos Chriſtus eis miniſtrando, quàm Angeli Chriſtum ei ſimiliter miniſtrando; quantùm ſcilicet ad eum attinet honorem, qui provenit ex dignitate miniſtrantium: nam alioqui ex ſpecie ipſâ honoris potuit intervenire diſparitas, ut ſi unus fuiſſet latreuticus, alter duntaxat dulicus aut politicus. Loquendo itaque de eo præciſè honore qui provenit ex dignitate miniſtrantis, proculdubiò quædam prærogativa acceſſit diſcipulis ex miniſterio Chriſti, præ illâ quæ ex Angelorum mox memorato miniſterio obvenerat Chriſto: & ſimiliter quædam prærogativa accrevit Petro præ veteribus Patribus, quibus indita vel mutata fuerant nomina: ſiquidem Petro inditum fuit novum nomen ab ipſo Chriſto Angelorum Domino, illis autem ab Angelis ſubſervientibus eidem ſuo Domino. Gratuletur ergo ſibi Petrus, quòd in ſe etiam ipſo experiatur impletum illud Propheticum, *Vocabitur tibi* Iſai. 62. 2. *nomen novum, quod os Domini nominabit*: agnoſcat ſe hac in parte beatiorem *Iſraële*, cui Angelus Domini novum iſtud nomen impoſuit.

XXXII. Erit fortè qui cupiat particulariùs ſcire, quiſnam è cœtu cæleſtium ſpirituum fuerit Angelus iſte, qui Patriarchæ Jacob indidit nomen *Iſraël*? Hanc verò cupiditatem, niſi malis dicere curioſitatem, reprimere videtur ipſe Angelus, qui rogatus à Patriarchâ poſt luctam & nomenclationem, *Quo appella-* Gen. 32. 29. *retur nomine?*, Continuò reſpondit velut indignabundus, *Cur quæris nomen meum?* Ubi in quibuſdam codicibus additur, *quod eſt mirabile*: eamque additionem operosè propugnat Leo Caſtrius Comment. in Iſaiam, & rurſus Leo Caſtrius. in Apologia: contendens abraſam fuiſſe per Judæos. Sed cùm in Hebraicis, & melioris notæ Latinis editionibus, necnon apud 70. Interpretes, & Chaldæum Paraphraſten deſideretur; rectiùs ab aliis adulterina, atque ex Judic. 13. 18. in hunc locum tranſlata cenſetur. Etenim ſi Judæi eam in Geneſi abraſiſſent, nequaquam in libro Judicum intactam reliquiſſent: Ubi etiamnum in omnibus paſſim exemplaribus, Hebraicis, Græcis, Latinis, Chaldaicis cernitur. Porrò illa Angeli interrogatio ad Jacob, *Quid quæris nomen meum*, negationis ſeu prohibitionis vim habet: quaſi diceret, Non quæras nomen meum; vel, Noli quærere nomen meum. Qui putant Deum non mediante Angelo, ſed per ſeipſum in corpore aſſumptitio colluctatum fuiſſe cum Patriarchâ, facilè expedire ſe hîc poſſunt, dicendo, alludi hoc loco ad nomen *Adonai*, cujus propalandi tempus nondum advenerat, ſed in Moyſis uſque tempora fuerat occultandum: juxta illud Domini ad Moyſen: *Ego Dominus,* Exod. 6. 3. *qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente: & nomen meum ADONAI non indicavi eis*. Verùm hæc reſponſio non ſatisfacit difficultati in alterâ ſententiâ ſuperiùs à nobis prælatâ, quæ Angelo perſonam Dei repræſentanti præfatam apparitionem, luctationem; & nominis inditionem attribuit. Juxta hanc igitur ſententiam fatendum eſt non omninò conſtare quis fuerit iſte Angelus, qui Jacob nomen *Iſraël* indidit: Si tamen conjecturis uti liceat, ſuſpicari quis poſſet, fuiſſe Michaëlem Archangelum, de quo legitur in Officio Eccleſiaſtico *Apparitionis ipſius*, die VIII. Maii: *Eum ut olim Synagoga Iudæorum, ſic nunc* Breviar. Rom. *cuſtodem & patronum, Dei veneratur Eccleſia*.

Neque

Neque enim ob aliud videtur Synagoga ei, tanquam cuſtodi & patrono, venerationem impendiſſe, quàm quod perſuaſum habuerit, eum Patriarchis & Prophetis ſuis ex Dei nutu ac delegatione apparuiſſe, voluntatem Domini intimaſſe, Meſſiæ adventum prænuntiaſſe, legem promulgaſſe, populum per Deſertum duxiſſe, eundem in terram promiſſam induxiſſe, Joſue Principem populi in Chananæorum excidium ſuſcitaſſe, animaſſe, juviſſe. Etenim qui Joſue in agro Hierichontino armatus atque ad præliandum pro populo accinctus apparuit, *Principem exercitus Domini* ſe eſſe reſpondit. Inquirit illic Theodoretus, [Y] *Quis eſſe putandus eſt Princeps exercitus Domini?* Et continuò reſpondet in hunc modum: " Aiunt „ quidam, viſum fuiſſe Deum Verbum: ego „ autem arbitror fuiſſe Michaëlem Archan„gelum. Quando enim deliquerant, dixit „ Deus univerſorum, *Non aſcendam tecum, quia* „ *populus duræ eſt cervicis: ſed mittam Angelum* „ *meum ante faciem tuam, qui præcedet te.* Hunc „ modò puto conſpectum ab Jeſu, bono ani„ mo illum eſſe jubentem, & certiorem de ſuppetiis facientem". Theodoreto hac in re ſubſcribunt Pantaleon, Lyranus, Rabbini Hebræorum, Abulenſis, Caietanus, Blaſius Viegas, Villalpandus, Schererus: quos citat & ſequitur Serarius in caput 5. Joſue. Quâ ſententiâ admiſsâ licebit hunc in modum ratiocinari: Ille ipſe qui apparuit Joſue in agro Hierichontico, apparuerat pridem Moyſi in Sinâ & in Rubo, apparuerat Abrahæ ad ilicem Mambre, Iſaaco in Berſabee, & Jacobo in Phanuel: prout apertè agnoſcit Serarius ibidem q. 40. in Reſponſ. ad 2. " Concedo, „ inquiens, eundem eſſe, qui Moyſi & Joſuæ „ apparuit: ſed ille fuit perſonaliter verus An„ gelus, repræſentativè Deus, vel Chriſtus". Porrò ſi idem ſit Angelus, *Qui Moyſi & Ioſuæ apparuit*, idem quoque fuit qui Abrahæ, Iſaac, & Jacob apparuerat: nam in apparitione factâ Moyſi, profitetur ſe eſſe, *Qui apparuit Abraham, Iſaac, & Iacob.* Si ergo is qui apparuit Joſuæ fuit Michaël Archangelus, is quoque ipſe fuit qui apparuit Moyſi, qui Abrahæ, qui Iſaac, qui Jacob. Atqui is qui apparuit Jacob, indidit ei nomen *Iſraël*: Ergo ſi is qui apparuit Joſuæ fuit Michaël Archangelus, ut aſſerit Serarius cum iis quos ibidem q. 41. citat, conſequens eſt Michaëlem Archangelum indidiſſe Jacob nomen *Iſraël.* Cæterùm cui hæc conjectura non ſufficit, conſulat doctiores, ſed caveat præſumptores.

Ioſ. 5. 14.
Y. Theodoret. q. 5. in Joſue.
Exod. 33. 2. & 3.
Pantaleon. Lyranus. Rabbini. Abulenſis. Caietanus.
Viegas. Villalpandus. Schererus. Serarius.
Exod. 6. 3.

CAPUT XI.

Proceditur ad expeditionem quæſtionis initio capitis 6. propoſitæ, quâ petebatur cur Eccleſia in decimo Graduum Cantico dicta ſit ISRAEL: *& oſtenditur inprimis nomen iſtud aptè ei attribui juxta primam ejus interpretationem ibidem memoratam, quâ denotat* Directum cum Deo, *ſive* Rectum Dei. *Primi homines, è quibus Eccleſia ſecundùm carnem manavit, recti primitùs à Deo conditi ſunt. Rectitudo illa in quo principaliter conſtiterit, & quatenùs Eccleſia ad eam recuperandam ac fovendam niti debeat? De* Iſraële Dei, *&* Iſraële ſecundùm carnem: *item de Iſraële benedictionem participante, & Iſraële claudicationem hæreditante. Eccleſia congruenter appellatur* Recta *ac* Directa, *tametſi nonnulla ejus membra ſint in ſeipſis diſtorta. Iuxta Scripturæ ſtylum crebrò attribuitur communitati, quod reipsâ ineſt uni ejus duntaxàt parti.* Melior eſt unus timens Deum, quàm mille filii impii. *Recti diligunt Deum, adeoque diliguntur ab eo: ſi autem diliguntur, etiam diriguntur. Ac per hoc qui Recti ſunt Dei, directi ſunt à Deo, & cum Deo.*

XXXIII. NUnc tractanda eſt quæſtio illa, ſub initium ſexti capitis propoſita, quâ quærebatur, cur Eccleſia deſignetur nomine *Iſraël*, ſignanter ubi ſcriptum eſt, *Dicat nunc* ISRAEL: *Sæpè expugnaverunt me à iuventute meâ, etenim non potuerunt mihi.* Hujus enim verſiculi occaſione interſeruimus ea, quæ ſubſequenter eodem ſexto capite, & reliquis quatuor huc uſque diſſerta ſunt. Porrò cùm tres vocis *Iſraël* interpretationes illic §. 17. & duobus ſequentibus tradiderimus, videndum eſt de ſingulis quàm congruenter in Eccleſiam quadreant. Prima fuit ea, juxta quam *Iſraël*

Pſalm. 128. 1. & 2.

 ſonat

ſonat *Rectum cum Deo*, ſive *Rectum apud Deum*, ſeu *Rectum Dei*; vel item *Directum cum Deo*, ſive *Directum ad Deum*, ſeu *Directum Dei*: Secunda, juxta quam interpretatur *Vir videns Deum*: Tertia denique, juxta quam denotat *Fortem contra Deum*, ſive *Prævalentem in Deum*, vel *Principem cum Deo*. Ad primam interpretationem quod attinet, quin ea in Eccleſiam quadret nemo ambigere quit, qui ſanum ſapit. Eccleſiæ origo in terris ex illo manavit, de quo ſcriptum eſt, *Deus fecit hominem rectum*. Ubi quod ait *rectum*, altera Scriptura interpretatur, veſtitum virtute ſecundùm ipſum: *Secundùm ſe*, inquiens, *veſtivit illum virtute*. Et hoc ipſum aliis verbis ibidem præmiſſis innuit, dicens: *Secundùm imaginem ſuam fecit illum*: Z Creator itaque, inquit Cyrillus, cùm ſit bonus, bonos creavit". Et Rupertus Abbas: A Rectiſſimus Deus, inquit, hominem non niſi rectum feciſſe creditur". Et Leo Papa in quodam Sermone: B Primus homo, inquit, carnis ſubſtantiam è terrâ accepit, & rationali ſpiritu per inſufflationem creantis animatus eſt: ut ad imaginem & ſimilitudinem ſui authoris vivens, formam Dei bonitatis atque juſtitiæ in ſplendore imitationis tanquam in ſpeculi nitore ſervaret". Et Serm. 1. de Jejunio decimi Menſis: " Si fideliter, inquit, atque ſapienter creationis noſtræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideò *ad imaginem Dei conditum*, ut imitator ſui eſſet authoris: & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo divinæ benignitatis forma reſplendeat". Divina iſta *benignitas* ipſa eſt creatoris bona voluntas, quæ primum eſt omnis moralis rectitudinis exemplar: ut proinde homo vel Angelus tunc cenſeatur rectus, quando voluntatem ſuam huic primæ rectitudinis regulæ habet conformem. Unde Leo Papa ibidem poſt pauca ſubjungit: " Diligendo itaque nos Deus, ad imaginem ſuam nos reparat; & ut in nobis formam ſuæ bonitatis inveniat, dat unde ipſi quoque quod operatur operemur: accendens ſcilicet mentium noſtrarum lucernas, & igne nos ſuæ charitatis inflammans, ut non ſolùm ipſum, ſed etiam quicquid diligit, diligamus. Nam ſi inter homines ea demùm firma amicitia eſt, quam morum ſimilitudo ſociârit, cùm tamen parilitas voluntatum ſæpè in reprobos tendat affectus: quantùm nobis optandum atque nitendum eſt, ut in nullo ab iis quæ Deo ſunt placita diſcrepemus"? Hæc itaque voluntas hominis recta, id eſt, divinæ voluntati tanquam primæ regulæ coaptata, hominem facit rectum; adeoque hominem facit *Iſraëlem*, id eſt, *Rectum cum Deo*, vel *Rectum apud Deum*, vel *Rectum Dei*. Talis à Deo creatus eſt primus homo, à quo univerſa Eccleſia, quæ

Eccle. 7. 30.

Eccli. 17. 2.

Z Cyrillus Hieroſ. Catech. 2.

A. Rupert. l. 2. in Geneſim c. 40.

B. Leo Ser. 4. de Nativit. Domini cap. 2.

eſt *Iſraël*, originem carnis ſumpſiſſe noſcitur; ut hinc perdiſcat qualis eſſe debeat, ſi fideliter atque ſapienter creationis ſuæ contempletur exordium: C *Fecit* itaque *Deus*, inquit Auguſtinus, *hominem rectum*, ac per hoc bonæ voluntatis: non enim rectus eſſet, bonam non habens voluntatem". Et lib. de Correp. & Gratiâ cap. xi." Dederat Deus homini bonam voluntatem: cum illâ quippe eum fecerat, qui fecerat rectum". Et rurſus lib. 14. de Civit. cap. 27 loquens de primo homine: " Rectus, inquit, hoc eſt, bonæ voluntatis, creatus fuerat". Quibus verbis rectitudinem primi hominis prorſùs coincidere cum bonâ voluntate ſubindicat: quia nimirùm hæc erat radix & baſis reliquorum omnium, quibus rectitudo integrari cenſetur. Unde Angelicus Doctor cùm dixiſſet, D Erat rectitudo ſecundùm hoc, quòd ratio ſubdebatur Deo, rationi verò inferiores vires, & animæ corpus": continuò ſubdidit: " Prima autem ſubjectio erat cauſa & ſecundæ, & tertiæ. Quamdiu enim ratio Deo manebat ſubjecta, inferiora ei ſubdebantur: ut Auguſtinus dicit". Cæterùm ratio ſubditur Deo per voluntatem bonam, quam Auguſtinus alibi deſcribens ait: E Voluntas bona, id eſt, voluntas Deo fideliter ſubdita, voluntas ſanctitate ſuperni ardoris accenſa, voluntas quæ Deum diligit, & proximum propter Deum". Quoniam igitur primus ille parens à quo univerſa Eccleſia originem carnis ſumpſit, cum tali voluntate conditus extitit, *rectus* haud dubiè in ſuo conditu fuit, ſuique conditoris imaginem geſſit non ſolùm naturæ, ſed & gratiæ.

C. Auguſt. l. 14 de Civit. c. 11.

D. D. Thom. 1. p. q. 95. art. 1.

E. Auguſt. l. de Patientia c. 25.

OBIECTIO.

XXXIV. Dicet fortè aliquis, illa primi hominis rectitudo non facit Eccleſiam in poſteris ejus rectam, adeoque non præſtat ut in eam quadret nomen *Iſraël*, quod interpretatur *Rectus cum Deo*. Reſpondeo quòd etiamſi rectitudo illa non præſtet ut Eccleſia ſit recta, præſtat tamen ut noverit debere ſe eſſe rectam: F Fuit Adam, inquit Ambroſius, & in illo fuimus omnes: Periit Adam, & in illo perierunt omnes". Si in illo omnes fuimus, in illo eandem rectitudinem accepimus, & ſervare debuimus: ſed quia non ſervavimus, idcircò illo pereunte periimus. Ut ergo in perditione non maneamus, amiſſam voluntatis rectitudinem recuperare obſtringimur. Unde Leo Papa cùm jam Proximo §. relatus dixiſſet, *Hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo divinæ benignitatis forma reſplendeat*: continuò ſubdidit, " Ad quam quotidie nos utique reparat gratia Servatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in ſecundo". Ad hoc itaque Servator venit, ut divinæ imaginis reſplendentiam, quam in primo Adam habueramus, in ipſo recuperemus. Quod utique ipſe inceſſanter

SOLUTIO.

F. Ambr. l. 7. in cap. 15. Lucæ.

Leo Papa.

præſtat

Digitized by Google

præſtat, *Accendendo mentium noſtrarum lucernas, & igne nos ſuæ charitatis inflammans; ut non ſolum ipſum, ſed etiam quicquid diligit, diligamus.* Hanc adventûs ſui cauſam denotat ipſe cùm ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?* G. Ignis autem iſte, inquit Proſper, „ dilectio eſt Dei, quam amator Mundi corde „ captivo non poteſt concipere: plenus eſt enim amore vanitatum". Poterit tamen, corde per ejus gratiam liberato, qui ad hoc miſſus eſt, *Ut mederetur contritis corde, & prædicaret captivis indulgentiam, & clauſis apertionem:* cujus gratioſo imperio, & actuoſo auxilio, *Solvit vincula colli ſui captiva filia Sion.* Nec ſolùm colli, ſed & pedum vincula laxat: ſicut ſcriptum eſt, *Dominus ſolvit compeditos.* Taliter ſolutis ait Apoſtolus, *Greſſus rectos facite pedibus veſtris, ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur.* Ubi ſermo eſt non de corporis inceſſu, ſed de cordis affectu. Unde & idem Apoſtolus alibi ait, *Eſtote imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi: & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos.* Hoc eſt ergo imitari Deum, *ambulare in dilectione:* quâ nimirùm non ſolùm Deum, ſed etiam quicquid Deus diligit diligamus: ſic enim Deum dilexit Chriſtus, cujus exemplum nobis Apoſtolus propoſuit. Ipſius quippe de cæleſti ſuo Patre vox eſt, *Quæ placita ſunt ei facio ſemper.* Nemo Chriſtianus ſe hìc excuſet, nemo impotentiæ velamen obtendat: H. Crux „ enim Chriſti, inquit Leo, quæ ſalvandis eſt „ impenſa mortalibus, & ſacramentum eſt, & „ exemplum: ſacramentum, quo virtus impletur divina; exemplum, quo devotio incitatur humana: quoniam captivitatis jugo „ erutis etiam hoc præſtat redemptio, ut eam „ ſequi poſſit imitatio. Nam ſi mundana ſapientia ita in ſuis gloriatur erroribus, ut „ quem ſibi quiſque ducem elegerit, ejus opiniones & mores atque omnia inſtituta ſectetur: quæ nobis erit communio nominis „ Chriſti, niſi ut ei inſeparabiliter uniamur, „ qui eſt, ut ipſe inſinuavit, *Via, & veritas, & vita?* *Via* ſcilicet converſationis ſanctæ, *veritas* doctrinæ divinæ, & *vita* beatitudinis ſempiternæ". Qui ſic uniuntur Chriſto, & ſequuntur veſtigia Chriſti, incedentes per viam converſationis ſanctæ ex ductu ac dictamine doctrinæ divinæ ad metam beatitudinis ſempiternæ, ii proculdubiò ſunt veri nominis *Iſraëlitæ:* utpote *Recti cum Deo,* ſive *Recti apud Deum,* vel *Recti Dei.* Legimus Chriſtum viſo Nathanaële dixiſſe, *Ecce verè Iſraëlita:* & mox per modum interpretationis adjeciſſe, *in quo dolus non eſt.* Qui doloſus eſt, rectus non eſt, ſed diſtortus, curvus, obliquus. Talis fuit *Simon* ille Samaritanus, cognomento *Magus*; cui Simon Petrus ait, *Cor tuum non eſt RECTUM coram Deo.* Ex quo reliquit ſubinferendum, converſationem ejus nequaquam

Luc. 12. 49.
G Proſp. l. 1. de vocat. Gent. c. 8. in Additamento Cambronenſi.
Iſa. 61. 1.
Iſa. 52. 2.
Pſal. 145. 8.
Heb. 12. 13.
Eph. 5. 1. & 2.
Joan. 8. 29.
H. Leo Serm. 2. de Reſurrect. Domini c. 1.
Joan. 14. 6.
Vide Aug. in Pſal. 75. & 121.
Joan. 1. 47.
Act. 8. 21.

congruere profeſſioni Chriſtianiſmi, cujus profeſſores ſunt *veri Iſraëlitæ, in quibus dolus non ſit*; quorum idcircò cœtum Pſalmographus generationem rectorum nominat, benedicendamque pronuntiat, dicens: *Generatio rectorum benedicetur.* Quam hìc vocat *generationem rectorum*, ſuperiori Pſalmo appellaverat *congregationem juſtorum:* nec incongruè, ſiquidem *rectitudo* coincidit cum *juſtitiâ*; adeoque *recti* iidem ſunt, qui & *juſti.* Horum itaque ſive generatio, ſive congregatio, *benedicetur*; ab eo nimirùm, qui Jacob Patriarchæ nomen *Iſraël* indidit, *& ei in eodem loco benedixit:* ubi ſcilicet eum *Iſraëlem*, id eſt, *Rectum Dei* nominaverat. Nobis Chriſtianis loquens Apoſtolus, *Quicunque*, inquit, *hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſraël Dei.* Quorsùm attinuit ut adderet *Dei*, niſi quia novit eſſe alium *Iſraël*, de quo ipſe alibi ait, *Videte Iſraël ſecundum carnem:* I. Cui nimirùm exprobratur, ut ait Hilarius, quòd *nomen ſuum electis Dei relicturus ſit.* Quæro quod „ hoc nomen ſit? Nempe *Iſraël*, ad quem „ tum erat ſermo. Dehinc interrogo, qui ſit „ hodie *Iſraël?* Equidem teſtatur Apoſtolus: „ *Qui ſpiritu, non litterâ: qui in regula Chriſti procedentes, Iſraël Dei ſunt*". Regula namque Chriſti procedentes per ipſam rectificat Deo, hoc eſt, *Rectos Dei* facit, quæ eſt interpretatio nominis *Iſraël.* Ipſa quippe data eſt *ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis:* ipſa eſt lumen, quod *in tenebris exortum eſt rectis.* Cujus luminis quicunque de reliquiis veteris populi Iſraëlitici exortes ſunt, in tenebris cæcutiunt, carnales ſunt; *claudicationis*, non *benedictionis* Patriarchæ Jacob participes ſunt. Apoſtolus Paulus de carnali ſemine Jacob in communi loquens credentibus, non ſolùm diverſa, ſed & adverſa prædicare videtur, dum Judæos vocat *inimicos*, & *chariſſimos.* Sed Auguſtinus apparentem hanc antilogiam diluit, ita ſcribens adversùs Maſſilienſes: K. Nunquid illi *inimici*, „ qui in ſuis inimicitiis perierunt, & adverſantes Chriſto de ipſa gente adhuc pereunt, „ ipſi ſunt *electi* atque *dilecti?* Abſit: quis hoc „ vel ſtultiſſimus dixerit? Sed utrumque, „ licèt ſit inter ſe contrarium, id eſt, *inimici*, „ & *dilecti*, quamvis non in eoſdem homines, „ tamen in eandem gentem convenit Judæorum, & ad idem carnale ſemen *Iſraël*; aliis „ eorum ad *claudicationem*, aliis ad *benedictionem* Iſraël ipſius pertinentibus".

Pſal. 111. 2.
Pſal. 110. 1.
Gen. 32. 29.
Gal. 6. 16.
1. Cor. 10. 18.
I. Hilar. l. 5. de Trinit.
Vide Hieron. & Aug. in caput 6. ad Galatas & Auguſt. Orat. contra Judæos cap. 7.
Iſa. 65. 15.
2. Cor. 3. 6.
Gal. 6. 16.
Luc. 1. 79.
Pſal. 111. 4.
Gen. 32. 31. & 29.
Rom. 11. 28.
K. Aug. lib. de prædeſt. Sanct. c. 16. Vide Epiſt. 59 q. 6. & lib. 16. de Civit. c. 35. & lib. 12. cont. Fauſt. cap. 26.

OBJECTIO.

XXXV. Ex hoc Auguſtini loco elici poteſt ſolutio objectionis, quæ perturbare quempiam minùs peritum forſan poſſet. Objicitur enim quòd ingens numerus eorum qui in Eccleſiâ ac de Eccleſiâ exiſtunt, nequaquam eâ rectitudine polleant, quam nomen Iſraël in hac primâ interpretatione importat: unde apparet conſequens, Eccleſiam non poſſe dici

Iſraëlem,

Digitized by Google

Iſraëlem, prout iſta vox interpretatur *Rectus Dei*, ſeu *Rectus cum Deo*, ſive *Rectus apud Deum*: quandoquidem complures in eâ ſint, quibus ſingulariter applicari queat illa Apoſtoli Petri adversùs Simonem Magum proximo §. relata exprobratio, Act. 8. 21. *Cor tuum non eſt rectum coram Deo*. Quorum enim cor non eſt rectum coram Deo, ii alieni ſunt à nomine *Iſraël* juxta præ-

SOLUTIO. ſentem interpretationem ſumpto. Reſpondetur namque ex mox citato Auguſtini loco, multitudinem diſtortorum in Eccleſia non adimere eidem appellationem *Iſraëlis*, quandoquidem ſint in eâ non pauci ejuſdem appellationis verè capaces ac participes: quemadmodùm multitudo *inimicorum* in Judæis non obſtitit, quo minùs ab Apoſtolo dicerentur *dilecti*; propter alios ejuſdem plebis homines,

L. Auguſt. Epiſt. 59. q. 6. qui tales revera fuerunt: [L] Scripturæ mos „ eſt, ait alibi idem Auguſtinus, ita loqui de „ parte, tanquam de toto: ſicut Corinthios „ in primis Epiſtolæ ſuæ partibus ita laudat „ Apoſtolus, tanquam omnes tales ſint; cùm „ eſſent laudabiles quidam eorum: & poſteà „ in nonnullis Epiſtolæ iſtius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles eſſent, „ propter quoſdam qui tales erant. Iſtam divinarum conſuetudinem Scripturarum, per „ omne corpus litterarum ejus creberrimè „ ſparſam, quiſquis diligenter adverterit, multa diſſolvet, quæ inter ſe videntur eſſe contraria. *Inimicos* ergo alios dicit, alios *dilectos*: „ ſed quia in uno populo erant, velut eoſdem

PRAEOCCUPATIO. ipſos dicere videtur". Nec obſtat quòd in Eccleſia plures fortè reperiantur pravi, quàm recti. Etenim inter Judæos tempore Apoſtoli, plures fuere *inimici*, quàm *dilecti*: & tamen Apoſtolus utrumque epitethon eis promiſcuè attribuit. Deindè ipsâ Scripturâ teſtante, Eccli. 16. 3. *Melior eſt unus timens Deum, quàm mille filii impii*. Denique ſi quæ in Eccleſiâ reperiuntur pravitates aut diſtortiones, perſonales ſunt, non communes nec publicâ authoritate ſancitæ, imò potiùs ſancitis adverſæ: ſiquidem Eccleſia rectitudinem morum omnibus commendat, & ſeriò inculcat; prout Auguſtinus peculiari libro, de moribus Eccleſiæ inſcripto, ediſſerit, ſignanter cap. 30. & ſequentibus. Quæ cùm ita ſint, nullo modo audiendi ſunt, qui Eccleſiam vel ſolis *Rectis* conſtare contendunt, vel eidem ob permixtionem pravorum negandum nomen *Iſraëlis*, id eſt, *Rectæ coram Deo*, autumant. In Symbolo fidei profitemur nos *credere Eccleſiam Sanctam*. Cur ergo diffiteamur eam eſſe *coram Deo rectam*, adeoque *Iſraëlem* juxta præſentem vocis iſtius interpretationem? *Sanctitas* enim, & *rectitudo coram Deo*, vel prorsùs identificantur, vel ſaltem ſe invicem indivulsè concomitantur. Ac per hoc qui Eccleſiam profitemur *Sanctam*, inficiari nequimus eam eſſe *coram Deo rectam*. Ubi enim eſt ſanctitas, ibidem eſt & juſtitia: ubi verò juſtitia, ibi & rectitudo: adeoque ubi ſanctitas, ibi & rectitudo. Scriptum eſt, *Dominus diligit juſtos*: alibi item divi- Pſal. 145. 8. na Sapientia, quæ ipſe eſt, ait: *Ego diligentes* Prov. 8. 17. *me diligo*. Eidem denique Sponſa ait in Canticis, *Recti diligunt te*. Ipſe deniquè Sponſus Cant. 1. 3. apud Joannem Euangeliſtam ait, *Qui diligit me,* Joan. 14. 21. *diligetur a Patre meo, & ego diligam eum*. Ecce, Recti Deum diligunt, & rectos Deus diligit; quippe qui diligentes ſe diligit. Atque ut noverimus quid præmii retributurus eſt recto ſe diligenti, & conſequenter à ſe dilecto, ſubdit ibidem continuò, *Et manifeſtabo ei meipſum*. Ipſe quippe eſt, cui cantatur in Pſalmo, *Ha-* Pſal. 139. 14. *bitabunt recti cum vultu tuo*: [M] Hoc eſt, inquit M. Proſp. in „ Proſper, æternâ vultus tui viſione potien- Pſal. 139. „ tur: *Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum* Matth. 5. 8. *videbunt*". Triplicem diſtinguere poſſumus in hominibus rectitudinem, pro triplici eorum ſtatu: prima fuit in protoplaſtis pro ſtatu primæ integritatis, quâ ratio ita ſubdebatur Deo, ut ei ſubderetur portio hominis inferior: ſecunda, quâ ſubditur quidem illa Deo, ſed non ei ſubditur portio inferior, ſaltem deſpoticè; ſed *Lex in membris repugnat legi mentis*, Rom. 7. 23. etiam in iis *qui recto ſunt corde*: tertia demùm, Pſalm. 72. 1. quam pro præmio rectitudinis viæ expectamus in patriâ. Hæc tanto erit duabus prioribus felicior, quanto inamiſſibilior. Omnibus tribus commune eſt mentem ſeu ſuperiorem hominis portionem ſubdere Deo: ſed primæ & tertiæ peculiare, ſubdere inſuper portioni ſuperiori inferiorem. Quod quidem prima præſtabat amiſſibiliter, prout eventus monſtravit; tertia verò præſtabit inamiſſibiliter. Eccleſia itaque in ſuo progenitore habuit primam, quando nimirùm, juxta Ambroſium §. 34. relatum, *Fuit Adam, & in illo* Vide Ambr. *fuimus omnes*. Secundam habet pro ſtatu præ- ſuprà §. 34. ſentis peregrinationis, etſi non in ſingulis membris, ſaltem in ipſo corpore ſeu cœtu, atque in præcipuis ejus membris: de quorum unoquoque verificatur illud ex Eccleſiaſtico mox relatum, *Melior eſt unus timens Deum, quàm mille filii impii*. Tertiam denique, omnium perfectiſſimam, ſtabiliter poſſidebit in cæleſti patriâ: cæterùm quamdiu hìc exulat, [N] *Hanc* N. Ovid. l. 1. *cupit, hanc optat, ſolam ſuſpirat in illam*. Quæ Faſtorum. igitur tot titulis *recta* eſt, & quidem *coram Deo*, optimo jure nomen ſibi vendicat *Iſraël*, juxta hanc primam vocis etymologiam.

XXXVI. Addamus hìc aliquid de hujus primæ interpretationis parte altera, quâ *Iſraël* ſonat *Directum Dei*, vel *Directum ad Deum*, vel *Directum cum Deo*. Enimverò cùm ex mox dictis conſtet Eccleſiam bono jure dici *Rectam coram Deo*, & hanc Rectitudinem non aliunde ha- O. Aug. l. 2. de Gen. contra Manich. c. 15. beat quàm ab ipſo Deo; planum fit, eam bono titulo dici *Directam Dei*: [O] Non enim accepit

Digitized by Google

„ accepit hominis natura, inquit Auguſtinus, „ ut per ſuam poteſtatem Deo non regente, „ beata ſit: quia nullo regente, per ſuam po- „ teſtatem beatus eſſe, ſolus Deus poteſt". Ad hunc clamant ipſa Eccleſiæ membra, poſt Pſalmographum: *Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ; & rege eos, & extolle illos uſque in æternum:* P. ne remaneant utique, inquit idem Auguſtinus, ſi voluntate „ propriâ ſine Deo regantur, velut oves non „ habentes paſtorem: quod abſit à nobis. „ Nam proculdubiò plus eſt *agi*, quàm *regi*: „ qui enim regitur, aliquid agit; & à Deo re- „ gitur, ut rectè agat: qui autem agitur, agere „ aliquid ipſe vix intelligitur. Et tamen tan- „ tum præſtat voluntatibus noſtris gratia Sal- „ vatoris, ut non dubitet Apoſtolus dicere, „ *Quotquot Spiritu Dei aguntur, ij filii ſunt Dei*". In Eccleſiaſtico legimus de Deo ſcriptum: *In unamquamque gentem præpoſuit Rectorem, & pars Dei, Iſraël facta eſt manifeſta.* Ubi Tigurina editio habet, *In diſtribuendis totius terræ gentibus, Ducem cuique genti conſtituit, & Iſraël ſibi delegit peculiariter.* An fortè putandus eſt Deus ſubtraxiſſe Eccleſiæ modernæ curam ac directionem, quam impendere conſuevit antiquæ? Quis hoc niſi dementiſſimus & ignariſſimus ſuſpicetur? *Diligit Dominus*, inquit Pſaltes, *portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob.* Si diligit, proculdubiò etiam dirigit: neque enim ceſſat dirigere, quam pergit diligere; multò minùs, quam dignatur ſuperdiligere. Quænam porrò ſit iſta *Sion*, cujus portas diligit Dominus ſuper tabernacula Jacob, hoc eſt, ſuper veterem Hebræorum Synagogam, breviter & appoſitè ediſſerit Alredus: Q. Ipſa eſt, in- „ quiens, Eccleſia de gentibus SION, ſcilicet „ quam fundavit Dominus, & *Fundamenta eius in montibus ſanctis*". Et ante hunc Auguſtinus: „ R. *Sion* quaſi patria eſt Judæorum, vera *Sion* Eccleſia eſt Chriſtianorum". Hujus itaque *Vera Sion* portas diligere dictus eſt Dominus, & quidem *ſuper omnia tabernacula Iacob*: ut proinde ambigendum non ſit, quin eam dirigat, quam tantoperè diligit. Neque enim otioſus hæret Deus circa eos quos diligit, ſed ita eos dirigit ut rectos efficiat. Atque hæc connexio *dilectionis* ac *directionis* in cauſa fuiſſe videtur, cur 70. Interpretes verterint *dilectum* aut *dilectiſſimum*, ubi vulgatus Interpres vertit *rectum*, aut *rectiſſimum*: prout videre eſt Iſaiæ 44. 2. Ubi pro eo quod vulgata editio habet, *Rectiſſime*, Septuaginta Interpretum editio latinizata habet, *Dilectiſſime.* Similiter Deut. 33. 5. ubi vulgata editio habet, *Erit apud rectiſſimum Rex*, apud illos legitur, *Erit in dilecto Princeps*: Pagninus & Chaldæus Paraphraſtes vertunt, *Fuit in Iſraël Rex.* Nemo igitur cunctetur Eccleſiam dicere *Directam Dei*, quam conſtat eſſe dilectam Deo. Ipſa quippe eſt quam Sponſus

Pſal. 27. 9.

P. Auguſt. l. de Geſtis Palæſt. c. 3.

Rom. 8. 14.

Eccli. 17. 14.

Pſal. 86. 2.

Q. Alred. Serm. 22. in caput 14 Iſaiæ. Ibid. v. 1.

R. Aug. in Pſalm. 75. v. 3.

Deus Cant. 2. 7. & Cant. 3. 5. & Cant 8. 4. antonomaſticè appellat *Dilectam*: ipſa eſt quæ in eodem Cantico ait, *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*: & iterùm, *Ego dilecto meo, & ad me converſio eius*: hoc eſt, prout Theodoretus explanat: R. Illi meipſam addixi & conſecra- „ vi, & alienam omnem tùm Gentilium, tùm „ Judæorum, tùm Hæreticorum conſuetudi- „ nem contempſi: nam & ipſe quoque me „ cæteris omnibus antetulit, & ad me ſeſe convertit". Fieri nequaquam poteſt ut Sponſus negligat dirigere, quam præ cæteris omnibus dignatur diligere, ad quam ſeſe lubet convertere. Plus videtur inniti, quàm dirigi, & tamen de ſponſâ ſub typo Eccleſiæ legitur, *Innixa ſuper dilectum ſuum:*" Ab ipſo enim ait ibi „ idem Theodoretus, directa & quaſi manu „ ducta, aſcendit in cælum, & iter facit ad „ dilectum ſuum, per firmam in ipſum fidem". Hanc porrò directionem & quaſi manuductionem quotidianis precibus à Deo implorat Eccleſia: ut cùm ait in canonico officio ad primam, *Dirigere & ſanctificare, regere & gubernare dignare, Domine Deus Rex cæli & terræ, hodie corda & corpora noſtra, ſenſus, ſermones & actus noſtros:* & rursùs ibidem mox ex Apoſtoli magiſterio, *Dominus autem dirigat corda & corpora noſtra in charitate Dei, & patientiâ Chriſti.* Quibus innumera alia eòdem ſpectantia addi poſſent, niſi ſupervacaneum foret in rei tam exploratæ dilucidatione morari: magnam enim partem Breviarii, Miſſalis, & cæterorum Eccleſiæ Ritualium deſcribere oporteret, ſi omnes hujuſmodi precarias formulas percenſere lubere. Neque verò ipſa Oratio Dominica, quam fideles omnes quotidiè fundunt, hujuſce implorationis eſt expers; ſiquidem una ejus petitio eſt, *Ne nos inducas in tentationem*, hoc eſt, ita nos dirige tuâ protectione, ut non ſuccumbamus tentationi: S Poſci à ſe voluit „ Deus, inquit Auguſtinus, *Ne inferamur in ten-* „ *tationem*: quia ſi non inferamur, nullâ ab eo „ ratione diſcedimus. Quod poterat quidem „ nobis etiam non orantibus dare, ſed ora- „ tione noſtrâ nos voluit admoneri, à quo „ accipiamus hæc beneficia. A quo enim, niſi „ ab illo accipimus, à quo juſſum eſt ut peta- „ mus? Prorsùs in hac re non operoſas diſpu- „ tationes expectet Eccleſia, ſed attendat quotidianas orationes ſuas": maximè verò eam orationem, quam ore proprio præſcripſit is, qui *Viſitavit nos, oriens ex alto; illuminare his, qui in tenebris & umbrâ mortis ſedent: ad* DIRIGENDOS *pedes noſtros in viam pacis.* Quid eſt *via pacis*, niſi via recta ducens ad eam pacem *quæ exuperat omnem ſenſum*? Via ſalutis, quâ incedere avet Eccleſia, dum in vigilia Præcurſoris ſolenniter ad Deum directorem ſuum clamat: *Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut familia tua per viam ſalutis incedat?* Quibus

Cant. 6. 2.

Cant. 7. 10.

R. Theodoret. in cap 7. Canticor.

Cant. 8. 5.

Eccleſia.

2. Theſ. 3. 5.

Mat. 6 13.

S. Auguſt. lib. de dono perſev. c. 7.

Luc 1. 78. & 79. Phil. 4. 7.

Eccleſia.

F perpen-

perpenſis obviè quiſque perſpicit quàm liquido jure vendicet ſibi Eccleſia nomen *Iſraël*, juxta eam interpretationem quâ denotat *Directionem Dei*.

CAPUT XII.

Pergitur ad ſecundam interpretationem nominis Israel, *quâ denotatur* Vir videns Deum: *eaque Eccleſiæ adaptatur, non obſtante quòd maſculinè exprimatur; quia etſi Eccleſia propter parturam reputetur femina, eſt tamen virili pectore prædita. Multifariæ viſionum differentiæ perſtringuntur. Viſus principatu pollet in ſenſibus, & ideò reliquorum ſenſationes appellantur viſiones. Homo alius exterior, alius interior: & hic, perinde ac ille, ſuos habet oculos, ſuum viſum, ſuamque viſionem. Eccleſia pro parte quieſcit in patriâ, pro parte peregrinatur adhuc in via: illic Deum videt facie ad faciem, hìc per ſpeculum in ænigmate; illic per lumen gloriæ, hìc per lumen fidei. Cùm igitur ob pectoris virilitatem congruat ei nomen viri, & partim in patriâ partim hìc in viâ Deum videat; planum eſt congruere ei nomen* Israel, *quatenùs interpretatur* Vir videns Deum. *Prophetæ olim apud Hebræos per quandam velut antonomaſiam dicebantur* videntes, *quanquam non niſi obſcuræ fidei vel prophetiæ oculis, velut per ſpeculum in ænigmate, res prophetatas cernerent aut præcernerent.*

XXXVII PRÆCAVTIO. PErgamus ad ſecundam nominis *Iſraël* interpretationem, §. 18. relatam & compluribus Veterum ſuffragiis firmatam, quâ nimirùm denotat *virum videntem Deum*: videamuſque num hæc quoque interpretatio quadret in Eccleſiam. Ubi inprimis præmonendus eſt Lector ne ab hac etymologiâ Eccleſiæ accommodandâ alienetur ex eo, quòd maſculinè ſonet; cùm tamen *Eccleſia* feminini ſit generis: ſed meminerit potiùs Apoſtolici iſtius
Gal. 3. 28. oraculi, *Non eſt maſculus, neque femina: omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Ieſu:*
T. Aug. lib. de vera Relig. cap. 41. T. Fraterno „ jure, inquit Auguſtinus, in Chriſto nec „ maſculus nec femina ſumus. Habent enim „ & illæ virile quiddam, unde femineas ſubjugent voluptates, unde Chriſto ſerviant, „ & imperent cupiditati: quod in multis viduis & virginibus Dei, in multis etiam maritatis, ſed jam fraternè conjugalia jura ſervantibus, Chriſtiani populi diſpenſatione, manifeſtum eſt". Quoniam igitur mulier ſubinde quiddam virile gerit in pectore, non eſt prorſùs alienanda à *viri* nomine. Eccleſia quippe apud Salomonem in Proverbiis dicta
Vide infrà § 97. eſt *Mulier fortis*, prout infrà ſuo loco monſtrabimus. Quid autem ſit *mulier fortis*, indicat ipſa Eccleſia in hymno Eccleſiaſtico quo ait, *Fortem virili pectore laudemus omnes feminam.* Ideo ergo *fortis* dicta eſt, quia *virili pectore* prædita eſt. Non ergo à communione nominis virilis ſecludi debet; quæ virilitatem ipſam pectore gerit: quæ quidem virilitas pectore geſta hoc quibuſdam feminis præſtitit, ut humano etiam loquendi uſu etſi non *viri*, ſaltem *viragines* dicerentur. Hâc cautione præmiſsâ, ſupereſt oſtendendum, appellationem *Iſraëlis* in ſecundâ iſtâ ſignificatione congruere Eccleſiæ, perinde ac in primâ. Quod ut præſtetur, indagandum eſt, utrùm Eccleſia *videat Deum?* Si enim hoc evicerimus, res confecta eſt: præſertim cùm jam præcluſus ſit obex grammaticalis, quo mulier à nuncupatione *viri* prætendebatur arcenda. Ut igitur iſtud evincamus, prænotandum eſt ex Alredo, Auguſtinum ſecuto, plures eſſe viſionum differentias: V. Eſt „ quippe, ait ipſe, viſio ſenſualis, viſio imaginaria, viſio phantaſtica, viſio ſpiritalis, „ viſio rationalis, viſio intellectualis. Viſio „ ſenſualis eſt, quâ corporeis ſenſibus corporalia ſentiuntur: Viſio imaginaria, quâ earum rerum, quæ per corpus ſentiuntur, intùs imagines cernuntur; vel ex iis, quæ „ percepta ſunt, alia quæ non ſunt ſenſa finguntur: Viſio verò phantaſtica eſt, quâ „ corporalium rerum phantaſmata vel oculis „ vel animo obſiciuntur. Porro ſpiritalis viſio „ eſt, quâ viſibilium rerum imagines, aliquid ſignificantes, in ipſo ſpiritu hominis „ formantur. At viſio rationalis eſt, quâ vera

Vide Iſidor lib. xi. Originum c. 2

V. Alred. Serm. 2 in caput 13. Iſaiæ.

„ vera à falſis, vel virtutes à vitiis diſcernuntur. Intellectualis denique viſio eſt, quâ, non „dico vera à falſis diſcernuntur, ſed in ipſis veris veritas ipſa conſpicitur". Has viſionum differentias ſingulatim proſequitur idem author ſubſequenter ibidem, ſed multò prolixiùs ac pleniùs ante ipſum Auguſtinus lib. 12. de Geneſi ad litt. cap. 6. & ſequentibus per totum penè librum: ubi tamen omnes iſtas viſionum differentias ad tres redigit, corporalem ſcilicet, ſpiritalem, & intellectualem. Notat quoque alibi pluriès, *viſionem* oculis quidem eſſe propriam, per quandam tamen ampliationem extendi ad reliquas etiam ſenſationes; ne tactione quidem exceptâ, quæ omnium infima eſt. Cujuſmodi ampliatione ipſe Chriſtus Dominus interdum uſus legitur, ut quando Thomæ Apoſtolo poſt tactionem cicatricum ait: *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti:* W. Non „ ait, tetigiſti me, inquit Auguſtinus, ſed, „ *vidiſti me:* quoniam generalis quodammodò „ ſenſus eſt viſus, nam & per alios quatuor „ ſenſus nominari ſolet: velut cùm dicimus, „ Audi & vide quàm benè ſonet, Olfac & „ vide quàm benè oleat, Guſta & vide quàm „ benè ſapiat, Tange & vide quàm benè ca„ leat: Ubique ſonuit, *vide*; cùm viſus pro„ priè non negetur ad oculos pertinere. Unde „ & hìc ipſe Dominus, *Infer*, inquit, *digitum* „ *tuum huc, & vide manus meas.* Ubi quid aliud „ ait, quàm tange & vide? Nec tamen oculos ille habebat in digito". Huc item ſpectat, quòd Joannes Apoſtolus curioſitatem, quæ eſt inordinata ſciendi ſive experiendi cupiditas, appellet *concupiſcentiam oculorum*, ſub *oculorum* nomine omnes ſenſus complectens. Unde idem Auguſtinus alibi: X. Ineſt animæ, inquit, per „ ſenſus corporis quædam, non ſe oblectandi „ in carne, ſed, experiendi per carnem vana „ & curioſa cupiditas, nomine cognitionis & „ ſcientiæ palliata: quæ, quoniam & in appetitu noſcendi eſt, oculi autem ſunt ad co„ gnoſcendum in ſenſibus principes, *concupi*„ *ſcentia oculorum* eloquio divino appellata eſt. „ Ad oculos enim propriè *videre* pertinet: uti„ mur autem hoc verbo etiam in cæteris ſen„ ſibus, cùm eos ad cognoſcendum intendi„ mus. Neque enim dicimus, Audi quàm „ rutilet, aut olfac quàm niteat, aut guſta „ quàm ſplendeat, aut palpa quàm fulgeat: „ *Videri* enim dicuntur hæc omnia. Dicimus „ autem non ſolùm, vide quid luceat, quod „ ſoli oculi ſentire poſſunt; ſed etiam, vide „ quid ſonet, vide quid oleat, vide quid ſa„ piat, vide quàm durum ſit: ideoque gene„ ralis experientia ſenſuum, *concupiſcentia*, ſicut „ dictum eſt, *oculorum* vocatur; quia *videndi* „ officium, in quo primatum tenent oculi, „ etiam cæteri ſenſus ſibi de ſimilitudine uſur„ pant cùm aliquid cognitionis explorant".

Joan. 20. 29.
W. Auguſt. Tract. 121. in Joan.
Ibid. v. 27.
1. *Io.* 2. 16.
X. Idem l. 10. confeſſ. cap. 35.

XXXVIII. Meminit Apoſtolus duplicis hominis, unius *qui foris eſt*, alterius *qui intus*. Unde & alibi dicit ſe *condelectari legi Dei ſecundùm interiorem hominem:* orat quoque pro Epheſiis, ut *per Spiritum Dei corroborentur in interiorem hominem.* Habet porrò homo iſte interior oculos internos, perinde ac exterior externos. Ubi enim eſt viſio, ibi eſt & oculus: non ſola autem corpora vel corporeæ res vident, ſed etiam ſpiritus ſeu ſpiritales res: ac per hoc in his agnoſcendus eſt oculus. Quid Deo ſpiritalius? Et tamen ei dicit Propheta, *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum:* & alius pariter Propheta, *Oculi tui videant æquitates.* Nunquid Angeli poſt Deum maximè ſpiritales? Et tamen *Semper vident faciem Patris.* Si autem *vident*, oculos ergo habent. Porrò homo interior proximè Angelis accedit ſpiritalitate, ac per hoc ocularitate. Unde & Prophetæ paſſim in Scripturis dicti ſunt *videntes*, & ipſa eorum prophetia *viſio*: non utique externa ſive corporea, ſed interna ac ſupercorporea; ſiquidem ad res etiam incorporeas, itemque ad res loco & tempore diſſitas porrigebatur. Apoſtolus denique ex perſonâ fidelium per ſtadium hujus peregrinationis in ſupernam patriam gradientium: *Videmus nunc*, inquit, *per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ubi duplicem notitiam hominum de Deo pro diverſo ipſorum ſtatu diſtinguit, & utramque verbo *videndi* exprimit; unam ænigmaticam, alteram facialem: quæ cùm circa Deum incorporeum ambæ verſentur, proculdubiò non ab exterioris, ſed ab interioris hominis oculò eliciuntur. Proinde cùm Eccleſia utroque iſtò modo Deum videat, ænigmaticè quidem prò illâ ſui parte quæ peregrinatur in terris ambulans per fidem, facialiter autem pro eâ ſui parte quæ triumphat in cælis quieſcens per ſpeciem, abſque ullâ ambiguitate optimò jure *Iſraël* appellatur, juxta hanc ſecundam vocis iſtius interpretationem, quâ *videntem Deum* denotat. Hoc apertè docet Auguſtinus, cùm ad illam Pſalmographi parænesin, *Lætetur Iſraël in eo qui fecit eum*, ait: Y. Quid eſt „ *Iſraël?* Videns Deum: hoc enim interpre„ tatur nomen *Iſraël*. Qui videt Deum, *in ipſo* „ *lætetur, à quo factus eſt.* Quid eſt ergo quòd „ diximus, nos ad *Eccleſiam* pertinere *Sancto*„ *rum?* Nunquid jam videmus Deum? Quo„ modò ſumus *Iſraël*, ſi non videmus? Eſt „ quædam *viſio* hujus temporis, erit altera *viſio* „ futuri temporis: *viſio* quæ modò eſt, per „ fidem eſt; *viſio* quæ futura eſt, per ſpeciem erit: ſi credimus, videmus". Porrò quemadmodùm utraque iſta notitia communi vocabulo dicitur *viſio*, ita utriuſque principium communi nomine appellatur *lumen*: ſic enim dicimus *lumen fidei*, dicimus ſimiliter *lumen gloriæ*; illud quidem peregrinantium, iſtud com-

2. *Cor.* 4. 16.
Rom. 7. 22.
Epheſ. 3. 16.
Hab. 1. 13.
Pſal. 16. 2.
Matt. 18. 10.
1. *Cor.* 13. 12.
Pſal. 149. 2.
Y. Aug. in Pſal. 149. Vide in Pſ. 49. v. 7. & in Pſal. 75. v. 2. & in Pſal. 121. v. 4. & Epiſt. 200. & lib. 3. de Doct. Chriſtian. c. 34. & Orat. contra Judæos c. 7.
Ibid. v. 1.

comprehendentium. De priori monemur Col. 1. 12. *Gratias agete Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine:* alibi item do- 2. Cor. 4. 4. cemur, *Deum huius ſæculi excæcaſſe mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Euangelii.* De Pſal. 35. 10. poſteriori ait Pſaltes Deo, *In lumine tuo videbimus lumen.* Nemo verò ambigit, quin lumen ſit oculis medium *viſionis*, ſeu inſtrumentum *videndi*: ut proinde vel hinc planum ſit, non ſolùm beatos Deum facialiter contemplantes, ſed & fideles eundem ænigmaticè credentes, vendicare ſibi nomen *Iſraël*, quatenùs importat *Dei viſorem.* Unde & ipſa Eccleſia, in quâ utrique reſpectivè exiſtunt, communi nomine nunc *Sion*, nunc *Hieruſalem* nuncupatur; quorum nominum illud ſignificat *ſpeculationem*, iſtud *pacis viſionem*: Z. Aug. in Pſal. 64. Z Ipſa eſt *Hieruſalem*, „ inquit Auguſtinus, quæ *Sion*: & hujus nominis interpretationem noſſe debetis. Sicut *Hieruſalem* interpretatur *viſio pacis*, ita *Sion* interpretatur *ſpeculatio*, id eſt, *viſio*, & *contemplatio*". Nec prætereundum, quòd cùm Pſal- Pſal. 149. 2. mographus mox relatus dixiſſet, *Lætetur* ISRAEL *in eo qui fecit eum*: continuò ibidem ſubdiderit, *& filii Sion exultent in Rege ſuo.* Ubi A. Aug in Pſal. 149. Auguſtinus: A Ipſe *Iſraël*, inquit, ſunt filii „ Eccleſiæ: quia *Sion* fuit una quædam civitas, quæ cecidit; & in ejus reliquiis habitabant quidam ſancti temporaliter: ſed *Sion* vera, & *Hieruſalem* vera, quia ipſa eſt *Sion* Gal. 4. 26. quæ *Hieruſalem*, æterna eſt in cælis, *quæ eſt mater noſtra*: ipſa nos genuit, ipſa eſt *Ec-* Pſal. 149. 2. *cleſia Sanctorum*, ipſa nos nutrivit; ex parte Vide Aug. Enchiridii c. 56. peregrina, ex magna parte manens in cælo: ex parte quâ immanet in cælo, beatitudo Angelorum eſt; ex parte quâ peregrinatur in hoc ſæculo, ſpes juſtorum eſt: de illâ di- Luc. 2. 14. ctum eſt, *Gloria in excelſis Deo*; de hac dictum eſt, *& in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Qui ergo in hac vitâ gemunt, & deſiderant illam patriam, currant dilectione, non pedibus corporis: non quærant naves, ſed pennas; duas alas charitatis apprehendant, quæ ſunt dilectio Dei, & dilectio proximi. Peregrinamur enim, ſuſpiramus, gemimus: venerunt ad nos litteræ de patriâ noſtrâ, ipſas vobis recitamus: *Lætetur* ISRAEL *in eo qui fecit eum, & filii Sion exultent in Rege ſuo.* Quod dixit, *qui fecit eum*, hoc dixit, *in Rege ſuo*: quod audiſtis, *Iſraël*, id ſunt *filii Sion*; & quod audiſtis, *in eo qui fecit eum*, hoc eſt *in Rege ſuo.* Filius Dei qui fecit nos, factus eſt inter nos: & Rex noſter regit nos, quia creator noſter fecit nos; ipſe eſt enim per quem facti ſumus, qui eſt per quem regimur: & ideo Chriſtiani, quia ille Chriſtus". Hunc Auguſtini diſcurſum Beatus B. Proſp. in Pſal. 149. v. 2. Proſper velut in compendium redigens: B Qui „ ſunt veri *Iſraëlitæ*, inquit, ipſi ſunt *filii Sion*, ſive *Hieruſalem*: utrumque enim nomen unius eſt civitatis, quæ conſtat ex Angelis, & hominibus ad eandem ſocietatem per fidem & ſpem & charitatem de longinquâ peregrinatione tendentibus. Qui ergo ſperat, ſpe gaudeat: quia Deus eſt novi populi & creator, & redemptor, & rector".

XXXIX. His Auguſtini ac Proſperi documentis manifeſtè evincitur quòd §. 38. monſtrandum propoſueramus, nomen ſcilicet *Iſraël* congruere Eccleſiæ in hac ſecundâ interpretatione, perinde ac in primâ. Unde idem Auguſtinus alibi: C Si diſcutias, inquit, quid ſit C. Auguſt. in Pſal. 97. „ *Iſraël*, Iſraëli promiſſus eſt Chriſtus. *Iſraël* eſt *videns Deum*: videbimus per ſpeciem, ſi nunc videamus per fidem. Habeat oculos fides noſtra, & exhibebitur veritas fidei: credamus in eum quem non videmus, & gaudentes videbimus: deſideremus non viſum, & fruemur viſo. Ergo & modò *Iſraël* per fidem, tunc autem *Iſraël* per ſpeciem facie ad faciem; non jam *per ſpeculum*, non *in* 1. Cor. 13. 12. *ænigmate*; ſed quemadmodùm dictum eſt à Joanne, *Dilectiſſimi, filii Dei ſumus, & nondùm* 1. Ioan. 3. 2. *apparuit quid erimus. Scimus quia cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*". Qui rurſùs concione 1. in Pſal. 113. "Si gratiam Dei, inquit, quæ data eſt nobis, firmo corde retinemus, nos ſumus *Iſraël*, ſemen Abrahæ: nobis dicit Apoſtolus, *Ergo ſemen Abra-* Gal. 3. 29. *hæ eſtis*: quia ſicut alio loco dicit, *Non in cir-* Rom. 4. 10. & ſeqq. *cumciſione, ſed in præputio deputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam; & ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio, ut deputetur & illis ad iuſtitiam: ut ſit pater circumciſionis his qui non ſolùm ex circumciſione ſunt, ſed & his qui ſequuntur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ.* Non enim carnaliter circumciſæ genti tantummodò factus eſt pater, cui dictum eſt: *Patrem mul-* Gen. 17. 5. *tarum gentium poſui te. Multarum* autem, non quarundam, ſed omnium: quod apertè exprimitur, cùm ei dicitur, *Benedicentur in te* Gen. 22. 18. *omnes gentes.* Nullus itaque Chriſtianorum ſe à nomine *Iſraël* arbitretur extraneum: illis enim qui crediderunt ex Judæis, in quorum numero principaliter Apoſtolos invenimus, in *Angulari lapide* copulamur. Hinc Ephes. 2. 20. ait Dominus in alio loco, *Habeo alias oves,* Ioan. 10. 16. *quæ non ſunt ex hoc ovili: oportet me & illas adducere, ut ſit unus grex, & unus paſtor.* Populus ergo Chriſtianus magis *Iſrael* eſt, & ipſe potiùs *domus Iacob*: idem quippe *Iſrael*, qui Pſal. 113. 1. & *Iacob*". Huic Auguſtini concluſioni favere videtur ipſe Deus, cùm apud Iſaiam ait carnalibus Iſraëlitis: *Dimittetis nomen veſtrum in iuramentum electis meis*: Iſa. 65. 15. prout Hilarius ſuprà §. 34. relatus advertit. Qui & alibi ait: „ D *Iſrael* erit ille qui credit, Iſraël erit ille D. Hilar. in Pſalm. 13. qui Deum oculis cordis aſpiciet: quia *Iſrael*, Deum videns eſt". Et iterum in Pſal. 52. ad illa

Digitized by Google

Pſal. 32. 7. illa verba, *Exultabit Iacob*, *& lætabitur Iſrael:*
" Idem ipſe Patriarcha; inquit, utrumque
„ nomen ſortitus ex merito eſt: nam quia
„ manu calcem fratris continuiſſet in par-
„ tu; Jacob nuncupatus eſt; ſupplantaturus
„ deinceps & emendo primogenita, & bene-
„ dictionem occupando: & interpretationis
„ virtutem Geneſis expoſuit, *Iacob* eum,
„ qui ſupplantator fratris ſit, nuncupatum.
„ Per agnitionem autem confeſſi Dei, tum
„ cùm ſe ab eo homine, cujus in luctâ do-
„ minabatur, benedici popoſcit: quia Deum,
„ adversùs quem generis ſui populus ſecun-
„ dùm futuræ paſſionis Sacramentum in luctâ
„ carnis invaluit, fidei oculis conſpexiſſet in
„ corpore, *Iſrael*, quia *Iſrael* Deum videns ſit,
„ meruit nuncupari. Et ſecundùm ipſius Ge-
„ neſis Prophetiam, in *Iacob* juniorem popu-
„ lum, qui eſſet ex Gentibus crediturus, ſigni-
„ ficari abſolutum eſt. Hìc ergo *exultabit Ia-*
„ *cob*, *& lætabitur Iſrael.* Secundùm Eccleſiæ
„ ordinem hic unus eſt populus, duplicis &
„ profeſſionis & honoris: neque enim gemi-
„ natis ſententiis id ipſum cæleſtis ſermo ſigni-
„ ficat. Sed quia fides prima, quâ quis invo-
„ cari ſuper ſe Dei nomen precatur, fide an-
„ teriorem populum ſupplantat, quùm Judæo
„ infideli fidelem ſe optat eſſe Gentilis. Hic
„ ergo *Iacob* eſt, ſpe præoccupatæ benedictio-
„ nis inſultans. Jam verò ubi baptiſmo rege-
„ neratus, & fide conſummatus, Deum intel-
„ ligentiæ oculis & mente aſpexerit, tunc jam
„ *Iſrael lætabitur*, quòd jam ſupplantato ſe-
„ niore Deum fide videat, viſurus veriore
„ conſpectu ſecundùm illam beatitudinis ſpon-
„ ſionem, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum*
Mat. 5. 8. *videbunt*". Et rursùs in Pſalm. 120. ad illa ver-
ba, *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit*
Pſal. 120. 4. *Iſrael.* " Quis hic eſt, inquit, qui neque dor-
„ mit neque dormitat? Ille ſcilicet qui cuſtodit
„ Iſraël. *Iſrael* exponit Geneſis eum eſſe qui
„ *Deum viderit*: Jacob enim Patriarcha, poſt
„ luctam, quam cum Deò habuerat, hoc no-
„ men accepit: ultra humanam naturam Deum
„ contuens fidei ſuæ oculis, dignus hoc no-
„ mine eſt. Deum autem adeò vidit, ut be-
„ nedici ſe ab eo precaretur. Meminit & Pau-
„ lus eſſe nunc in plebe Gentium, id eſt, in
„ populo Eccleſiæ, *Iſrael*, dicens: *Pax ſuper*
Gal. 6. 16. „ *eum, & ſuper Iſrael Dei*, ne fortè nomen hoc
„ antiquæ tantùm illius plebis fuiſſe exiſtima-
„ retur. Ergo ſi ille *non dormit qui cuſtodit Iſrael*,
„ & proprium nomen *Iſrael* eſt Deum videntis,
„ ille neceſſe eſt cuſtodiatur, qui levatis ad
„ montes oculis vidit, & dixit: *Auxilium meum* *Pſ.* 120 2.
„ *à Domino, qui fecit cælum & terram.* Impendi-
„ tur ergo fidei huic cæleſtis cuſtodia, & æter-
„ næ vigiliæ munitionem confeſſio iſta ſorti-
„ tur, quæ perfectè ſectanda, obtinenda, re-
„ tinenda eſt; nunquam cuſtodiâ ejus in nos,
quem ſic confitebimur, dormiente". His tam
luculentis Sanctorum Patrum teſtimoniis non
habeo quod addam, niſi ut admoneam, non
deeſſe alium quendam modùm, quo Eccleſia
novi Teſtamenti Deum quotidie videat, adeò-
que ſibi peculiariter vendicet nomen *Iſrael.*
Ipſa Eccleſia in ſolemni Officio venerabilis
Sacramenti, quod ab Angelico Doctore con-
cinnatum eſt: [E] Immenſa divinæ largitatis *E. Breviar. Rom. in Feſto Corporis Chriſti. lect. 1 Nocturni 2.*
„ beneficia, inquit, exhibita populo Chriſtia-
„ no, inæſtimabilem ei conferunt dignitatem:
„ neque enim eſt aut fuit aliquando tam gran-
„ dis natio, quæ habeat Deos appropinquantes
ſibi, ſicut adeſt nobis Deus noſter". Sic enim
adeſt ipſe nobis, ut ſub ſenſibilibus Sacramenti
ſpeciebus latentem videamus, tangamus, gu-
ſtemus: & quamvis oculis corporeis nequa-
quam eum in ſeipſo cernamus, oculis tamen
mentis adeſſe ac ſubeſſe perſuaſiſſimum habe-
mus. Unde eadem Eccleſia in Hymno veſper-
tino ejuſdem Feſtivitatis canit: *Ad firman-*
dum cor ſincerum ſola fides ſufficit. Et in Sequen-
tiâ Miſſæ, *Quod non capis, quod non vides*, oculis
ſcilicet corporeis, *animoſa firmat fides*, quæ eſt
internus mentis oculus, longè certior oculo
carneo: ut proinde *viſionis* nomen ſibi vendi-
cet ejus actus: [F] Alia vis nulla; inquit Baſi- *F. Baſil. in cap. 1. Iſaiæ.*
„ lius, peræquè apprehendit quid potiſſimùm
„ expetere debeas, ſicut viſio. Hinc factum;
„ ut eorum quæ veritate nituntur ſpeculatio,
„ *viſio* appellata ſit, ob evidentiam ac ratam
„ certitudinem: idcircò Propheta appellaba-
„ tur *Videns*, ſimul & *Previdens*, aut *à fronte vi-*
dens". Patet igitur quàm rectè Eccleſia dica-
tur *Iſrael*, id eſt, *Deum videns*, ut quæ Deum
oculo fidei jugiter cernat, ſive in ſeipſo abſo-
lutè extantem, ſive inſuper ſub ſenſibilibus
Sacramenti Euchariſtici ſpeciebus realiter ac
præſentialiter ſubſtantem.

 CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Tertia nominis ISRAEL *interpretatio*, Fortem contra Deum, *ſive* Prævalentem Deo, *denotans*, *diſcutitur*; *atque in Eccleſiam ritè quadrare oſtenditur. Voluntas beneplaciti in Deo ſemper invicta, quia omnipotentiæ nunquam non conjuncta. Voluntas ſigni eatenùs vincitur, quatenùs Deus volenter eam vinci patitur. Quædam Eccleſiæ membra adversùs Deum fuère fortia, ut Moyſes, Phinees, Ioſue, Ezechias; & fideles omnes ritè pœnitentes, ac pœnitendo furorem Dei in favorem vertentes. Iudæi crucifixores Chriſti contra Deum iratum prævalere potuiſſent, ſi condignam pœnitentiam agere voluiſſent. Salomonis templum placando precibus Deo deſtinatum, Eccleſiæ adversùs Deum fortis geſſit typum. Expenditur Chriſti dictum* Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Miro & ineffabili modo non fit præter Dei voluntatem, etiam quod contra ejus fit voluntatem. Magis ſubinde placet Deo voluntas hominis ſibi materialiter diſcors, quàm concors. Oratio Stephani pro Saule Deum reddidit propitium de irato.*

XL. SUpereſt oſtendendum quàm congruenter in Eccleſiam quadret nomen *Iſraël*, juxta tertiam ejus interpretationem §. 19. relatam, quâ nimirum ſonat *Fortem contra Deum*, ſive
DIFFICVLTAS. *Invalentem in Deum*. Quæ quidem oſtenſio tanto videtur futura operoſior, quanto hominem, vel quemcunque hominum cœtum, Deo prævalere apparet incredibilius. Et quid dico prævalere? Etiam æquari, etiam aſſimilari. Scriptum quippe eſt,
Exod. 15. 11. tum quippe eſt, *Quis ſimilis tui in fortibus Domine? Quis ſimilis tui?* Quaſi dicat, nullus. Unde Anna
1. Reg. 2. 2. Samuelis mater in ſuo cantico ait, *Non eſt fortis ſicut Deus noſter*. Et regina Eſther ad ipſum ex-
Esth. 14. 19. clamat, *Deus fortis ſuper omnes*. Et B. Job de eo-
Job 9. 4. dem loquens: *Sapiens corde eſt*, inquit, *& fortis robore: quis reſtitit ei, & pacem habuit?* Nemo uti-
Esth. 13. 9. que; dicente ei Mardochæo, *Non eſt qui poſſit tuæ*
Isa. 28. 2. *reſiſtere voluntati*. Et Propheta Iſaias, *Validus & fortis Dominus*, inquit, *ſicut impetus grandinis, turbo confringens*. Et Hieremias eundem com-
Hier. 32. 18. pellans: *Fortiſſime*, inquit, *magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi*. Et Apoſtolus
1. Cor. 1. 25. Paulus, *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt homini-*
PRÆOCCVPATIO. *bus*. Nec ſatisfit dicendo, Deum ſemper quidem in ſeipſo fortiſſimum exiſtere, ſed non ſemper aut ubique ſuam fortitudinem exerere, vel oſtendere. Huic quippe reſponſioni obvia-
Exod. 6. 3. re videtur ipſe Deus, cùm ait Moyſi: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente*. Si in Deo omnipotente apparuit Jacob, omnipotentiam ergo oſtendit eidem Jacob. Ubi verò vel quando ei oſtendit, ſi in luctâ hic ei prævaluit? Nunquid qui prævalet, potentior eſt eo, cui prævalet? Quomodò ergo omnipotentiam ſuam oſtendit, qui in luctâ ſuccubuit? Accedit quòd Moyſes hiſtoriam colluctationis illius refe-
rens, dicat de Jacob: *Ecce vir luctabatur cum* Gen. 32. 24. & 25.
eo uſque manè: qui cùm videret quòd eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris eius, & ſtatim emarcuit. Non ait, cùm videret quòd eum non ſuperaret: ſed, *cùm videret quòd eum ſuperare non poſſet*. Nunquid ergo in eâ luctâ magis oſtendit ſuam impotentiam, quàm omnipotentiam? Nunquid impotentiæ eſt, *non poſſe?*
Si dicatur quòd hic colluctator non fuerit PRÆOCCVPATIO.
Deus ipſe, ſed Angelus: non equidem evacuatur difficultas. Nam inprimis etſi Angelus fuerit, Deum repræſentavit, & perſonam ejus geſſit; prout §. 27. & 28. vidimus. Secundò non apparet quomodò Jacob potuiſſet in luctâ prævalere Angelo, etiam citra Dei legationem propriis viribus colluctanti. Notum quippe eſt ex ſacra Regum hiſtoriâ, Angelum uſque adeò prævalere viribus homini, ut
temporibus Ezechiæ *Angelus Domini unâ nocte* 4. Reg. 19. 35.
percuſſerit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia virorum. Et verò quis ambigat Angelos lucis pari, vel majori poteſtate pollere, quàm Angelos tenebrarum? Et tamen
de uno quopiam horum ſcriptum eſt, *Non eſt* Job 41. 24.
ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei; qui factus eſt ut nullum timeret. Quomodò igitur de Angelo Domini, etiam ſolis ſuis viribus luctante, potuit veraciter prædicari, quòd *cùm videret quòd eum* (Jacobum) *ſuperare non poſſet, tetigerit nervum femoris eius?* Sed ut demus Patriar-
cham

Digitized by Google

cham Jacob ita auctum fuiſſe viribus à Deo, ut prævalere potuerit Angelo: quomodo equidem in hac prævalentiâ potuit figurare Eccleſiam prævalituram Deo? Nunquid enim Eccleſia, juxta primam nominis *Iſrael* interpretationem cap. XI. relatam & firmatam, regitur ac dirigitur à Deo? Quomodò ergo fortis eſt contra Deum, & prævalet Deo? An ita regitur à Deo ac dirigitur, ut ipſi rectori ſuo ac directori renitatur, reluctetur, adverſetur; imò ſic renitatur, ut prævaleat ac prædominetur? Quod ſi ita eſt, quomodò ſtabit illa Auguſtini ſententia, communi eruditorum ſermone trita, [G. Aug. l. de corrept. & grat. c. 14. Pſal. 134. 6. Iſa. 45. 11. juxta 70.] G. Non eſt dubitandum, „ voluntati Dei, qui *in cælo & in terrâ omnia* „ *quæcunque voluit fecit*, & qui etiam illa *quæ fu-* „ *tura ſunt fecit*, humanas voluntates non poſſe „ reſiſtere, quo minùs faciat ipſe quod vult: „ quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus faciat quòd vult, cùm vult"?

XLI. His non obſtantibus, dicendum omninò eſt, Eccleſiam congruenter appellari *Iſrael*, juxta hanc tertiam nominis iſtius interpretationem, perinde ac juxta duas priores per totidem jam capita ſtabilitas. Hoc non gravatè agnoſcet, qui ſecum perpenderit, quàm crebrò Eccleſia ſuis precibus ac pœnitentiis obſiſtat iræ ac comminationi Dei, ut hunc iratum reddat propitium, & loco maledictionis extorqueat benedictionem. De Deo adversùs veterem populum ſuum irato ſcriptum eſt: [Pſal. 105. 23.] *Dixit ut diſperderet eos: ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius; ut averteret iram eius, ne diſperderet eos.* Ubi alluſio eſt ad hiſtoriam quæ habetur Exod. 32. ubi populus in vitulolatriam fœdiſſimè prolapſus irritavit [Exod. 32. 10.] Deum uſque adeò, ut diceret Moyſi: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Porrò Moyſes nequaquam acquievit, ſed tanquam novus *Iſrael* fortiter Deo obſtitit, & tandem obſiſtendo prævaluit. Unde & ibidem, poſt commemoratam ejus deprecationem pro populo, ſubditur: [Ibid. v. 14.] *Placatus eſt Dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat adversùs populum ſuum.* Pulchrè Cyrillus Alexandrinus [Vide Cyrill. lib. 5. Glaphyr in Geneſim.] in Glaphyris comparat hanc obluctantiam Moyſeos adversùs Dominum, cum luctâ Jacob adversùs eundem: & obſervat, Dominum utrobique dixiſſe ſuo obluctatori, *Dimitte me.* Rursùs cùm idem populus Dominum exacerbaſſet fornicando cum filiabus [Pſal. 105. 30.] Moab, & ſacrificando Diis earum, *Stetit Phinees, & placavit: & ceſſavit quaſſatio.* Prævaluit ergo etiam iſte contra Deum, volentem diſperdere populum fornicarium. Unde Dominus ſe quaſi victum ab eo confitens, ait: [Num. 25. 11.] *Phinees, filius Eleazari filii Aaron ſacerdotis, avertit iram meam à filiis Iſrael.* Nonne ordinatione Dei ſol jugi curſu diem peragit? Et tamen huic ordinationi obluctatus eſt Joſue, quando ejus juſſu *Stetit ſol in medio cæli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei.* [Joſ. 10. 13.] Sed audi ſequentia, & mirare divini ſermonis inuſitantiam: [Ibid. v. 14.] *Non fuit antea*, inquit, *nec poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis.* Si Dominus *obedit* voci hominis, nunquid eo ipſo fatetur prævalere ſibi hominem? Sed nunquid plus eſt, ſolem retrorsùm ire, quàm in medio cæli ſubſiſtere? Et tamen hoc præſtitit Rex Ezechias, obſiſtens Deo mortem ſibi acceleranti. Miſerat quippe ad eum ægrotantem Dominus Iſaiam, decreti adversùs eum lati præconem, qui diceret ei nomine mittentis: [Iſa. 38. 1.] *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Ille preces cum lachrymis oppoſuit, quibus non ſolùm mortem ſibi denuntiatam evaſit, ſed & vitam ulteriùs in quindennium prorogavit: quinetiam ad ejus nutum, obediente ſcilicet Deo voci hominis, [Ibid. v. 8.] *Reverſus eſt ſol decem lineis per gradus quos deſcenderat.* Sed nonne etiam Ninivitæ obluctati ſunt Deo, & prævaluerunt ei? Conſtituerat quippe diſperdere eos, atque ad id denuntiandum miſit Jonam Prophetam ſuo nomine dicturum: [Jon. 3. 4.] *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur?* Quid ad hoc illi? Utique luctam cum Deo inierunt, jejunium indixerunt, ſaccis ſe operuerunt, ad Dominum in fortitudine clamaverunt, furorem ejus averterunt; atque his armis ei prævaluerunt, & nomen *Iſrael* ſibi vendicaverunt. Sequitur enim ibidem: [Ibid. v. 10.] *Vidit Dominus opera eorum, quia converſi ſunt de viâ ſuâ malâ: & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis: & non fecit:* [H. Amb. l. 7. in caput xi Lucæ.] H. Ninivitarum exemplo, inquit „ Ambroſius, & denuntiatur ſupplicium, & „ demonſtratur remedium. Unde etiam Ju- „ dæi debent non deſperare indulgentiam, ſi velint agere pœnitentiam". Hæc eſt itaque armatura *Iſraelitarum*, qui ſecundùm nomen ſuum fortes ſunt contra Deum, & luctantur cum Deo, & luctando prævalent Deo. De quâ armaturâ quidam pius Tractator ait: [I. Hugo Victor. in caput 2. Ioelis v. 12.] „ I. O fructuoſa pœnitentia! ô virago amplectenda, mediatrix peccatorum fidiſſima! „ ô ſecunda naufragii tabula! ô refugium pauperum, miſerorum auxilium, exulum ſpes, „ debilium fomes, lumen cæcorum, ſolamen „ orbatorum, petulantium virga, vitiorum „ ſerra, virtutum apotheca! Quæ ſola Judicem flectis, conditorem arguis, omnipotentem ſternis: dum vinceris vincis, dum „ cruciaris crucias, dum vulneras ſanas, dum „ ſalubriter ſuccumbis,glorioſè triumphas. „ Tu ſola, cæteris ſilentibus, thronum gratiæ „ audacter conſcendis: David manuducens „ reconcilias, Petrum reſtituis, Paulum illuminas, publicanum de teloneo ſumptum „ Apoſtolorum choro fidenter inſeris, Mariam de proſtibulo in æthera levas & Chri- „ ſto jungis, latronem affixum patibulo adhuc ſanguine

Digitized by Google

,, ſanguine vernantem inſeris paradiſo. Quid plura? Tui juris eſt cœleſtis curia". Cùm compleſſet Salomon templum Domini in Hieruſalem, & illic primas victimas immolaſſet: *Apparuit ei Dominus nocte, & ait: Audivi orationem tuam, & elegi domum iſtam mihi in locum ſacrificii. Si clauſero cælum, & pluvia non fluxerit, & mandavero & præcepero locuſtæ ut devoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum: converſus autem populus meus, ſuper quos invocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis ſuis peſſimis: ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum.* Quid hoc eſt aliud, quàm provocare peccatores ad ſecum luctandum precibus ac pœnitentiis, cùm ceſſione victoriæ ſi legitimè certaverint? Hac porrò victoriâ de Deo reportatâ, extorquebunt à victo cæleſtem benedictionem, cum nomine *Iſrael*, quatenùs iſtud ſonat *Fortem contra Deum*, ſive *Prævalentem Deo*..

2. Par. 7. 12. & ſeqq.

XLII. Quoniam verò templum illud Salomonicum figura fuit Eccleſiæ, quicquid de ipſo in prædictâ apparitione dictum à Domino memoravimus, eidem Eccleſiæ bono jure accommodari poteſt: [K] Domus Dei, inquit ,, Beda, quam ædificat Salomon in Hieru-,, ſalem, in figuram facta eſt ſanctæ univerſa-,, lis Eccleſiæ, quæ à primo electo, uſque ad ,, ultimum qui in fine Mundi naſciturus eſt, ,, quotidie per gratiam Regis pacifici, ſui vi-,, delicet Redemptoris, ædificatur: quæ par-,, tim peregrinatur adhuc ab illo in terris, ,, partim evaſis peregrinandi ærumnis cum illo ,, jam regnat in cælis; ubi peracto ultimo Judi-,, cio tota eſt regnatura cum ipſo. Ad hanc do-,, mum pertinent etiam electi Angeli, quorum ,, nobis ſimilitudo in futurâ vitâ promittitur, ,, dicente Domino: *Illi qui digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubunt, neque ducunt uxores: neque enim ultrà mori poterunt. Æquales enim Angelis ſunt, & filii ſunt Dei cùm ſint filii reſurrectionis.* Ad hanc perti-,, net ipſe *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus*, ipſo atteſtante cùm ait: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud:* quod ,, exponens Euangeliſta ſubjunxit, *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Dicit autem Apo-,, ſtolus de nobis, *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Si ergo ,, ille templum Dei per aſſumptam humanita-,, tem factus eſt, & nos templum Dei per in-,, habitantem Spiritum ejus in nobis effici-,, mur; conſtat utique quia figuram omnium ,, noſtrûm & ipſius, Domini videlicet & ,, membrorum ipſius quæ nos ſumus, templum illud materiale tenuit". Quod cùm ita ſit, proculdubiò quicquid à Deo impetrandum fuerat in illo templo figurativo, potiori ratione impetrari poterit in iſto templo per ipſum figurato. Ac per hoc cùm illic per preces & pœnitentiam obtineri potuerit victoria de Deo, poterit & iſtic iiſdem armis extorqueri victoria de Deo. Notat verò Rupertus, Deum, ſive Angelum vice ejus fungentem, inventum fuiſſe à Jacob priùs in *Bethel*, quæ interpretatur *domus Dei*, quàm luctaretur cum eo in *Phanuel*, quæ interpretatur *viſio Dei:* quia nimirùm priùs quærendus eſt in domo ſuâ Deus, quàm cum ſpe victoriæ ineatur lucta cum eo: [L] In *Bethel* ergo, ait ille, ,, invênit Jacob Angelum, cum quo luctatus ,, eſt poſtmodùm; qui & ei dixit, *Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis?* Interpretatur autem *Bethel* domus Dei. Ergo quiſquis invaleſcere ,, cupit ad talem Angelum, ut *fletibus* tan-,, quam victor obtineat remiſſionem peccato-,, rum; in *Bethel* quærat, ut inveniat eum, id ,, eſt, in domo Dei, quæ eſt Eccleſia". Præmiſerat quoque idem author paulò ſuperiùs ad illa ejuſdem Prophetæ de Jacob verba, *In fortitudine ſuâ directus eſt cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus eſt, & flevit, & rogavit eum:* " Notam hiſtoriam contigit, videli-,, cet cùm Jacob reverteretur de Meſopota-,, miâ, traductiſque omnibus quæ ad ſe per-,, tinebant, trans vadum Jaboc remanſiſſet ,, ſolus, *Ecce vir luctabatur cum eo uſque manè: qui cùm videret quòd eum ſuperare non poſſet, dixit ad eum: Dimitte me, jam enim aſcendit aurora. Reſpondit, Non dimittam te, niſi benedixeris mihi: & benedixit ei in eodem loco.* Ergo qui non ſo-,, lùm *Iacob*, verùm etiam *Iſrael*, veraciter dici ,, vel eſſe vult, ſimiliter in fortitudine ſuâ, id ,, eſt, in fide ſuâ, dirigatur cum Chriſto, *Magni conſilii Angelo*, & invaleſcat ad Angelum ,, hunc, videlicet agendo pœnitentiam, & ,, faciendo dignum pœnitentiæ fructum. Nam ,, quod ait, *confortatus eſt*, ſubjungens, *Flevit & rogavit eum*, rectè dicas de fortitudine pœ-,, nitentium: quia revera fortes ſunt, flendo ,, inſtanter, & rogando perſeveranter remiſ-,, ſionem peccatorum: juxta illud: *A diebus Ioannis regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Quiſquis taliter imitatur pa-,, trem Jacob, qui cum Angelo luctatus eſt, & ,, tanquam victor benedictionem exegit ab ,, eo; hic nimirùm, quâcunque ex gente vel ,, natione ſit, verè eſt jam *Iacob*, & dici meretur *Iſrael*". Notatu planè dignum eſt, tam præcurſorem Chriſti, quàm ipſum deinde Chriſtum, ſuas reſpectivè prædicationes exorſos fuiſſe ab inculcatione pœnitentiæ; ut quæ præcipua armatura ſit ad luctandum cum Deo peccatoribus infenſo, & ad prævalendum Deo in eorundem exitium accenſo; adeoque ad extorquendum ab eo benedictionem, & nominis *Iſraël* inditionem. Joannes enim præcurſor ita exorſus eſt,

Margin notes: K. Beda lib. de Templo Salom. c. 1. — Luc. 20. 34. & ſeqq. — 1. Tim. 2. 5. — Joan. 2. 19. — Ibid. v. 21. — 1. Cor. 3. 16. — L Rupert. l. 4. in caput 12. Oſee. — Gen. 32. 28. — Oſe. 12. 4. — Ibid. v. 3. & 4. — Gen. 32. 25. & 26. — Iſai. 9. 6. — Mat. 11. 12.

Digitized by Google

Ma. 3. 2. eſt, *Pœnitentiam agite*: Chriſtus poſteà ſic, *Ma. 4. 17.* *Pœnitentiam agite*. Ambo quoque conſonanter unam eandemque ſui dicti rationem continuò ſubjunxerunt iſtam, *Ma. 11.12.* *Appropinquavit enim regnum cœlorum*. Quantum autem ſuo illo exordio profectum fecerit Joannes, indi- *Ma. 3. 8.* cat Chriſtus eo loco ubi ait: *A diebus Ioannis Baptiſtæ, uſque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Quomodò rapiunt, niſi *faciendo fructus dignos pœnitentiæ*, prout ex Joannis prædicatione didicerant? Anteà quippe fuerant juſto judicio Dei à regno cœlorum excluſi, & regno tenebrarum addicti: ſed agentibus ipſis pœnitentiam, mutavit Judex ſententiam. Hoc quippe innuere voluit Hugo *Vide ſuprà §. 41.* Victorinus proximo §. relatus, in verbis: *Quæ ſola Iudicem flectis, conditorem arguis, omnipotentem ſternis*. Quid porrò aliud eſt *omnipotentem ſternere*, quàm Deo prævalere, fortem adverſùs Deum eſſe, adeòque nomen *Iſraël* juxta tertiam iſtam interpretationem jure ſibi vendicare?

XLIII. Nunc diluenda ſunt ea, quæ §. 40. accommodationi hujus tertiæ interpretationis objecta fuerunt. Sed eorum dilutioni prænotandum, ea non magis obſtare huic noſtræ accommodationi, quàm primæ nominis *Iſraël* impoſitioni: nam ſi obſtarent quo minùs Eccleſia poſſit dici *prævalens Deo*, vel *fortis contra Deum*, pari vel potiori jure obſtarent quo minùs Patriarcha Jacob potuiſſet appellari *Iſraël*, id eſt, *fortis contra Deum*, aut *prævalens Deo*: adeòque cùm iſtud ultimum non impediant, nec primum illud impedire queunt. Minor probatur, quia Deus nunquam ſuâ omnipotentiâ ſpoliatur, vel in eâ minuitur; & Eccleſia nunquam eſt debilior, aut viribus inferior, uno Patriarchâ Jacob. Si igitur hæc nequeat dici *Iſrael*, nec ille potuit veraciter dici *Iſrael*: & vice verſâ, ſi potuit ille ſic dici, poterit ſimiliter iſta ſic dici. Potuiſſe autem illum ſic dici, evincit authoritas dicentis, ſive is fuerit Deus in ſeipſo, ſive Angelus repræſentans ipſum: neque enim Deus etiam per alium errare vel in errorem inducere poteſt, alioquin tota Sanctarum Scripturarum authoritas vacillabit; ut quæ per homines vel Angelos à Deo ſubdelegatos conſignatæ nobis ſint. Igitur ea quæ §. 40. pro aſtruendâ omnimodâ divinæ voluntatis energiâ adduximus, de vo- *Vide l. 1. §. 351. 491. & 512.* luntate beneplaciti intelligenda ſunt, non de voluntate ſigni. Quarum duarum voluntatum notionem ac diſcrimen tradidimus præcedente Operis hujus volumine, ſignanter §. 351. & 512. Quibus addi poſſunt quæ de voluntate Dei antecedente & conſequente perſtrinximus ibidem §. 491. Cæterùm fortitudini & omnipotentiæ Dei nihil decedit per hoc, quòd creatura ſinatur motus ſuos etiam in adverſum agere: nam & hoc ipſum Deus vult, ſive affectivè, ut in bonis; ſive ſaltem permiſſivè, ut in malis: *M.* Nec dubitandum eſt, in- *M. Auguſt. Enchiridij c. 96.*
„ quit Auguſtinus, Deum facere benè, etiam
„ ſinendo fieri quæcunque fiunt malè: non
„ enim hoc niſi juſto judicio ſinit. Et pro-
„ fectò bonum eſt omne, quod juſtum eſt.
„ Quamvis ergo ea quæ mala ſunt, inquantùm
„ mala ſunt, non ſint bona: tamen ut non ſo-
„ lùm bona, ſed etiam ſint & mala, bonum
„ eſt. Nam niſi eſſet hoc bonum, ut eſſent
„ & mala, nullo modo eſſe ſinerentur ab
„ omnipotente bono: cui proculdubiò quàm
„ facilè eſt quod vult facere; tam facile eſt
„ quod non vult eſſe, non ſinere. Hoc niſi cre-
„ damus, periclitatur ipſum noſtræ fidei con-
„ feſſionis initium, quâ nos in Deum Patrem
„ omnipotentem credere confitemur: neque
„ enim veraciter ob aliud vocatur *omnipotens*,
„ niſi quia quicquid vult poteſt, nec volun-
„ tate cujuſquam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus". Et rursùs inferius cap. 100." Miro, inquit, & ineffabili
„ modo non fit præter ejus (*Dei*) voluntatem,
„ quod etiam contra ejus fit voluntatem: quia
„ non fieret, ſi non ſineret; nec utique nolens
„ ſinit, ſed volens. Nec ſineret bonus fieri
„ malè, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet benè". Et iterùm cap. 102." Quan-
„ tælibet ſint voluntates vel Angelorum vel
„ hominum, vel bonorum vel malorum, vel
„ illud quod Deus vel aliud volentes quàm
„ Deus, omnipotentis voluntas Dei ſemper
„ invicta eſt, quæ mala eſſe nunquam poteſt:
„ quia etiam cùm mala irrogat, juſta eſt: & profectò quia juſta eſt, mala non eſt". Illud verò magis mirum videri poſſet, nec tamen idcircò minùs eſt verum; creaturam ſcilicet bonâ aliquando voluntate velle contrarium ejus quod vult Deus, & rursùs malâ voluntate idipſum quod vult Deus. Unde idem Auguſtinus capite proximè ibidem præcedente præmiſerat: " Aliquando bonâ voluntate
„ homo vult aliquid quod Deus non vult, &
„ ipſe bonâ multò ampliùs multòque certiùs
„ voluntate, nam ipſius mala voluntas nun-
„ quam eſſe poteſt: tanquam ſi bonus filius pa-
„ trem velit vivere, quem Deus bonâ volun-
„ tate vult mori. Et rursùs fieri poteſt, ut hoc
„ velit homo voluntate malâ, quod Deus vult
„ bonâ: velut ſi malus filius velit mori pa-
„ trem, velit hoc etiam Deus. Nempe ille
„ vult quod non vult Deus, iſte verò id vult
„ quod vult & Deus. Et tamen bonæ volun-
„ tati Dei pietas illius potiùs conſonat,
„ quamvis aliud volentis, quàm hujus idem volentis impietas". Hinc facilè cernitur quemadmodum Eccleſia poſſit dici & eſſe *Iſraël*, id eſt, *fortis contra Deum*, vel *invaleſcens in Deum*; abſque eo quòd diſpliceat Deo, imò cum eo quòd perplaceat Deo. Sicut enim

G non

Digitized by Google

non diſplicet, ſed placet Deo filius, qui pietatis affectu optat Patrem vivere, quem vult Deus mori: ita eidem non diſplicet, ſed placet Eccleſia, quando ſimili pietatis affectu orat ne aliquid fiat, quod tamen fieri ipſe vult. Ubi quidem ſi ipſe id velit voluntate beneplaciti, proculdubiò fiet, quantumvis Eccleſia bono voto obſiſtat: & tunc Eccleſia non prævalebit Deo, ſed Eccleſiæ potiùs prævalebit Deus; cui utique dictum eſt,
Sap.12.18. *Subeſt tibi, cùm volueris, poſſe.* Si verò id velit ipſe voluntate duntaxat ſigni, Eccleſia poterit non ſolùm obluctari, ſed etiam prævalere; atque adeò nomine, ac re, *Iſraël* fieri. Salvâ proinde Dei omnipotentiâ, poteſt ei obluctari ac prævalere Eccleſia: imò placet ei ut taliter obluctetur & prævaleat Eccleſia; & ipſe eſt qui obluctandi affectum inſpirat Eccleſiæ, & prævalendi effectum præſtat Eccleſiæ: N. Obtineri nequaquam poſſunt, inquit „ Gregorius Papa, quæ prædeſtinata non fue- „ rant; ſed ea quæ ſancti viri orando effi- „ ciunt, ita prædeſtinata ſunt, ut precibus obtineantur". Si autem *prædeſtinata*, proculdubiò à Deo præſcita, præparata, prævolita. Si *precibus obtinentur*, ſecluſis precibus forſan denegarentur: juxta tritam iſtam Auguſtini ſententiam, O. *Si Sanctus Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Nunquid ergo Eccleſia ſuis precibus ac pœnitentiis fortem ſe adverſus Deum exhibet, eique quadantenùs prævalet? Ita planè, quia maledictionem ejus vertit in benedictionem, indignationem in propitiationem, furorem in favorem, alienationem in dilectionem, iram in benevolentiam.

N. Greg. l. 1. Dialog. c. 8.

O August. Serm. 1. de Sanctis. c. 4.

CAPUT XIV.

Occaſione noviſſimæ interpretationis nominis ISRAËL, *in Eccleſiam tranſcriptæ, diſſeritur de* Muliere forti, *quam Parœmiaſtes prædicat inventu difficilem, non utique impoſſibilem. Fortem ſolus eam præſtitit, qui perditam quæſivit, quæſitam invenit, inventam humeris impoſitam reportavit, & in monte cunctis conſpicuam ſtatuit. Hæc illuſtre fortitudinis ſuæ ſpecimen in hoc præbuit, quòd ab initio Mundi hactenus invicta perſtiterit, toties concuſſa, nunquam decuſſa. Ejus ſtabilitas illuſtratur exemplo Inſulæ S. Helenæ, mole exiguæ, Oceani Indici vaſtitate circumſeptæ; quæ immanibus fluctibus jugiter incurſata perſtat incolumis, impactas undas diſſolvens in ſpumas. Tota viraginis hujus fortitudo ab eo profluxit, qui eam* portis inferi *non ſuccubituram promiſit, & columnam firmamentumque veritatis conſtituit. De eâ primitùs denuntiatum fuit colubro tortuoſo,* Ipſa conteret caput tuum: *ex quo didicimus, eam portis inferi non modò non ſuccubituram, ſed & prævalituram.*

XLIV. Occaſione hujus noviſſimæ interpretationis nominis *Iſraël*, fortitudinem ſonantis, opportunè ſe ingerit illa ſententia ſapientiſſimi Salomonis; qui aſſumpto nomine *Lamuëlis*, quod interpretatur *Cum quo Deus*, per
Prov. 31.10. formam interrogationis ait in Proverbiis: *Mulierem fortem quis inveniet?* Ubi per *mulierem fortem* plerique Tractatores tam veteres quàm recentiores Eccleſiam intelligunt; quam ſuperiùs §. 37. diximus uſqueadeò fortitudine pollere, ut maſculinum nomen jure ſibi vindicaverit, nuncupata *Iſraël*, id eſt, *Vir videns Deum*: ideò nimirùm *Viri* vocabulo donata, quia *virili pectore* prædita. Inde quoque accidit, quòd Pſaltes eandem nomine *filiorum Sion*
Pſal. 149. 2. ſubinde expreſſerit, dicens: *Lætetur Iſrael in eo qui fecit eum, & filii Sion exultent in Rege ſuo.* Ubi ſicut per *Iſrael* in priori parte, ita & per *filios Sion* in poſteriori denotatur hæc *mulier fortis*, prout §. 38. viſum eſt: P Niſi ipſa, inquit „ Ambroſius, fortis eſſet, ejus pignora in „ paſſione defeciſſent. Ait ergo, *Mulierem for-* „ *tem quis inveniet?* Difficile eſt invenire eam: „ imò difficile neſcire eam. Nonne ipſa eſt „ *Civitas ſupra montem poſita, quæ abſcondi non* „ *poteſt?* Quare ergo dictum eſt, *Quis inveniet?* „ cùm dici debuerit, Quis non inveniet? Ve- „ rùm tu civitatem ſupra montem poſitam vi- „ des: ſed ut ſupra montem poneretur, in- „ venta eſt, quæ perierat. Quando illuſtrata „ eſt, quis eam non videt? Quando latebat, „ quis eam inveniſſet? Ipſa enim civitas eſt „ illa *Ovis una, quam perditam Paſtor quæſivit, &* „ *inventam gaudens in humeris reportavit.* Ipſe „ Paſtor, mons eſt: ovis autem in humeris ejus, „ civitas eſt ſupra montem. Facile eſt ut vi- „ deas collocatam in monte. Quando eam inve-

P. Ambroſ. Sermon. de Machabæis Martyribus in caput 31. Proverb. cap. 2.

Matt. 5. 14.

Luc. 15. 4. & ſeqq.

Digitized by Google

„ inveniſſes cùm lateret in vepribus, in ſpinis „ utique delictorum ſuorum? Ibi eam quæ- „ ſiſſe, magnum eſt: ibi eam inveniſſe, mira- „ bile eſt. Hæc difficilis ejus inventio com- „ mendatur, cùm dicitur: *Mulierem fortem quis* „ *inveniet?* *Quis* enim, quia unus; non quia nec „ unus: nam dixit Joannes Apoſtolus, *Nemo* „ *dignus inventus eſt neque in cælo, neque in terrâ;* „ ſed reſponſum eſt tandem, *Vicit Leo de tribu Iuda*. Hic ſolus invenit eam". Ubi obiter admonendus eſt Lector, Sermonem iſtum, ſub Ambroſii jam nomine citatum, extare quoque inter Opera Auguſtini tomo 10. in Sermonibus *de Diverſis*, ordine 45. & ſub ejuſdem Auguſtini nomine citari à Beda in caput 8. ad Romanos v. 25. & in caput 12. poſterioris Epiſtolæ ad Corinthios v. 14. & in caput 3. ad Galatas v. 26. referri quoque à Poſſidio in Indiculo Operum Auguſtini §. *Tractatus diverſi*, ſub hac inſcriptione: *De lectione Proverbiorum Salomonis, ab eo loco ubi dictum eſt, Mulierem fortem quis inveniet? uſque ad finem libri.* Extant prætereà apud eundem Auguſtinum eodem tomo duo alii Sermones, de eadem *Muliere forti*, inter Sermones de Tempore, ordine 217. & 218. quorum poſterior apparet imperfectus, & pro magnâ ſui parte conflatur ex verbis ſub Ambroſii nomine jam relatis. Prior autem, aliquanto prolixior, ſic incipit: „ Q. Eccleſia Catholica non ſolùm poſt adventum Domini & Salvatoris noſtri prædicata eſt, ſed etiam ab initio Mundi multis figuris & ſacramentis ſecretioribus deſignata: nam in Sancto *Abel* Eccleſia Catholica fuit, & in *Noe*, & in *Abraham*, & in reliquis uſque ad adventum Domini Salvatoris. De ipſa etiam dicit Salomon, *Mulierem fortem quis inveniet?* Quod dixit, *Quis inveniet?* difficultatem inveniendi, non impoſſibilitatem oportet intelligi. *Mulier iſta fortis*, Eccleſia eſt. Quomodò non eſt *fortis*, quæ ab initio Mundi tantis tribulationibus fatigatur, & tamen non vincitur? *Mulierem fortem quis inveniet?* Quis alius, niſi Chriſtus? Non autem eam *fortem* invenit, ſed inveniendo *fortem* fecit: nam ut eam inveniret, *Nonaginta novem oves dimiſit in montibus, & quæſivit unam quæ erraverat, & humeris ſuis impoſitam ad ovile proprium revocavit*". Ubi pro eo quod apud Matthæum legitur, *In montibus*, Lucas habet, *In deſerto*: cujus textum ediſſerens Gregorius Papa: R. Ecce, inquit, „ mirâ pietatis diſpenſatione ſimilitudinem „ Veritas dedit, quam in ſeipſo homo recognoſceret, & tamen hæc ſpecialiter ad ipſum „ authorem hominum pertineret. Quia enim „ centenarius perfectus eſt numerus, ipſe *centum oves habuit*, cùm Angelorum ſubſtantiam & hominum creavit: ſed una ovis tunc „ periit, quando peccando homo paſcua vitæ „ dereliquit. *Dimiſit* autem *nonaginta novem oves* „ *in deſerto*, quia illos ſummos Angelorum „ choros reliquit in cælo. Cur autem cælum „ vocatur *Deſertum*, niſi quòd *deſertum* dicitur „ *derelictum*? Tunc autem cælum homo deſeruit, cùm peccavit. *In deſerto* autem *nonaginta novem oves remanſerant*, quando in terrâ „ Dominus *unam quærebat*: quia rationalis „ creaturæ numerus, Angelorum videlicet & „ hominum, qui ad videndum Deum conditus fuerat, pereunte homine erat imminutus; & ut perfectè ſumma ovium redintegraretur in cælo, homo perditus quærebatur in terrâ. Nam quod hic Euangeliſta „ (*Lucas*) dicit, *in deſerto*; alius dicit, *in* „ *montibus*, ut ſignificet, *in excelſis*: quia nimirùm oves quæ non perierant, in ſublimibus ſtabant".

Apoc. 5. 3.
Ibid. v. 5.
Auguſtinus. Beda.
Poſſidius.
Q. Auguſt. Serm. 217 de Tempore.
Matt. 18. 12. & 13.
R. Gregor. Homil. 34. in Euangelia. Vide Bedam l. 4 in Luc. cap. 62.

XLV. Hanc itaque ovem centeſimam, à reliquo grege exitialiter errantem, ipſoque ſuo errore exulantem, languentem, pereuntem, imò perditam; bonus paſtor quæſivit, invenit; nec tam reduxit, quàm revexit, quia *humeris impoſitam* reportavit: S. Nunquam, „ inquit Fulgentius, redire velle poteſt ovis „ errans, niſi fuerit boni paſtoris inquiſitione „ præventa, & humeris reportata. Proptereà „ bonus paſtor venit quærere & ſalvam facere „ ovem perditam: quæ paſtorem ſuum quærere non poteſt, priùſquam ab eo quæratur: ſed à quærente prævenitur, ut quærat". Quinam poteſt excogitari major ægroti languor, quàm quo ita opprimitur & ſternitur, ut non ſolùm redire, ſed & velle redire in priſtinum ſtatum ſeipſo nequeat? Talis quippe non modò eſt *Spiritus vadens, & non rediens*; verumetiam ſpiritus vadens, & redire velle impotens. In hujuſmodi igitur deploratiſſimo ſtatu jacentem invenit bonus paſtor *ovem erraticam*, & ſtupendâ metamorphoſi transformavit eam in *mulierem fortem*: de qua Auguſtinum proximo jam §. dicentem audivimus, *Quomodò non eſt fortis, quæ ab initio Mundi tantis tribulationibus fatigatur, & tamen non vincitur?* „ T. Stat hoc fundamentum, inquit Hilarius, „ validum & immotum, adverſùs ventos, „ pluvias, torrentes: non flatibus pellendum, „ non ſtillicidiis penetrandum, non inundationibus ſubluendum. Et optimum eſt quicquid à pluribus incurſatum, à nullo tamen potuerit impelli". Miratur ſanè, nec immeritò, Ludovicus Granatenſis, extare in hæc uſque tempora in Oceano Indico, nullâ bolide menſurabili, exiguam quandam inſulam, fluctibus, æſtibus, tempeſtatibus expoſitam, nullâ tamen ſui parte imminutam, ſed ipſis quodammodò concuſſionibus ac impetitionibus induratam, firmatam, roboratam: V. In „ oceano medio, ait ipſe, ubi fundum non „ reperitur, ad inſulam quandam parvam

Luc. 15. 5.
S. Fulg. l. de Incarnat. & Grat. c. 22.
Pſal. 77. 39.
Vide Aug. ſuprà §. 44.
T. Hilar. l. 2. de Trinit.
V. Ludov. Granat. l. 1. Introd. in Symbolum fidei cap. 8.

„ aditur ab iis, qui de Luſitaniâ ad Indias „ Orientales navigant, quæ diſtat 1500, „ paſſuum millibus, & vocatur *S. Helena.* „ Hæc penitùs deſerta eſt, & à nullis colitur: „ eſt tamen tum dulci aquâ, tum piſcibus, „ venationibus, fructibus, ſine ullâ vel cul- „ turâ vel aliâ hominum arte, ita copioſa & „ referta, ut videatur quoddam commune „ navigantibus eſſe refugium, à Deo omnium „ Creatore conſtitutum. Hinc enim tum „ aquam, tum piſces, & animalia venatu ca- „ pta ſuſcipiunt: & nullam præterea aliam „ commoditatem hominibus affert. Qui illam „ ibi collocavit, hoc fruſtrà facere non de- „ buit. Et quod nobis majori admirationi eſt, „ quâ ratione illa terræ portiuncula, in illo „ profundiſſimo loco, de mari emergat, & „ emineat; neque tot retrò jam ſæculis à tan- „ tâ maris vi abſorpta, & penitùs ad nihilum „ redacta ſit. Præterea cùm hæc ad oceanum „ collata vix parvum nucis putamen ſit, im- „ mobilis tamen in tantis maris procellis ita „ permanet, ut nulla illius pars ullum detri- „ mentum patiatur. Quis autem hanc Dei „ omnipotentiam & providentiam, quâ quic- „ quid vult firmat ac tuetur, non venerabitur"? Cùm hæc inſula inſtar columnæ proceriſſimæ in medio profundiſſimi ac turbulentiſſimi oceani fixa & inconvulſa perſiſtat, non malè quis dixerit eam nobis exhibere ſpecimen quoddam Eccleſiæ, quam Apoſtolus appellat *Columnam & firmamentum veritatis.* Intereſt tamen, quòd Eccleſia mundanis perſecutionibus & ſæculi fluctibus non modò detrimentum non ſit paſſa, ſed etiam ex adverſo ubertim augmentata, prout cap. 2. & 3. vidimus: inſula verò illa columnaris, ſive columna inſularis, uti non imminuta, ita nec aucta ſit; ſed in eâdem perpetuò mole perſiſtat. Si ergo miranda ac ſuſpicienda ſit Dei providentiſſima omnipotentia in firmando & tuendo hanc columnam inſularem, in mediis fluctibus oceani ſpumantis; quanto magis in erigendo, & ſtabiliendo, atque inſuper augendo illam columnam vitalem, in mediis perſecutionibus Mundi arietantis? W. In hoc ſæculo, in- „ quit Auguſtinus, in his diebus malis, non „ ſolùm à tempore corporalis præſentiæ Chri- „ ſti & Apoſtolorum ejus, ſed ab ipſo Abel, „ quem primum juſtum impius frater occidit, „ & deinceps uſque ad hujus ſæculi finem, „ inter perſecutiones Mundi, & conſolatio- „ nes Dei, peregrinando procurrit Eccleſia". Qui rurſùs Tract. 124. in Joannem, loquens de eâdem Eccleſia: "In hoc ſæculo, inquit, „ diverſis tentationibus, velut imbribus, flu- „ minibus, & tempeſtatibus quatitur; & non cadit". Imò verò, ut lib. de catechizandis rudibus cap. 24. perhibet idem Auguſtinus, "Tanto pullulat ampliùs, quanto uberiore

1. Tim. 3. 15.

Vide ſuprà cap. 2. & 3.

W. Aug. l. 18. de Civit. cap. 51.

„ Martyrum ſanguine rigatur: quibus per „ omnes terras innumerabiliter pro fidei veri- „ tate morientibus, etiam ipſa perſequentia „ regna ceſſerunt; & ad Chriſtum cognoſcen- „ dum atque venerandum, fractâ ſuperbiæ cervice, converſa ſunt". Et Hieronymus: „ X. Fundendo ſanguinem, inquit, & patiendo „ magis quàm faciendo contumelias, Chriſti „ fundata eſt Eccleſia: perſecutionibus crevit, martyriis coronata eſt". Et in caput 9. Amos, ad illud, *Non evellam eos ultrà de terra ſua:* " Ex „ quo intelligimus, inquit, Eccleſiam uſque „ ad finem Mundi concuti quidem perſecu- „ tionibus, ſed nequaquam poſſe ſubverti: „ tentari, non ſuperari. Et hoc fiet, quia „ Dominus Deus omnipotens, ſive Dominus „ Deus ejus, id eſt, Eccleſiæ, ſe facturum eſſe „ pollicitus eſt: cujus promiſſio, lex naturæ eſt": juxta illam ſcilicet *naturæ* notionem, quam attendit qui ait: Y Deus Creator & „ conditor omnium naturarum, nihil contra „ naturam facit: id enim erit cuique rei natu- „ rale, quod ille fecerit, à quo eſt omnis modus, numerus, & ordo naturæ".

X. Hieron. Epiſt. 62.

Amos 9. 15.

Y. Aug. l. 26. cont. Fauſt. cap. 3. Vide l. 6. de Gen. ad litt. cap. 13.

XLVI. Juxta hanc igitur *naturæ*, vel *legis naturæ* notionem, ab Auguſtino & Hieronymo uſurpatam, *Mulier* illa Salomonica inventu difficilis, id eſt, Eccleſia, naturaliter quodammodò *fortis* eſt: quia etſi priuſquam quæreretur & inveniretur jacuerit infirma, imò & perdita; quæſita tamen, inventa, & humeris reportata, languorem excuſſit, vigorem ſumpſit, quæſitori & inventori ſuo fortiſſimo nupſit & cohæſit. Unde & Salomon ibidem de ea poſt pauca ſubtexuit, *Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum:* & rurſùs de eadem, *Fortitudo & decor indumentum ejus.* Porrò ne fortitudinem iſtam ſibi ipſi ſuperbè & ingratè arrogaret, ſed ſuo potiùs quæſitori inventorique acceptam referret, audit ipſius vocem à Moyſe in Deuteronomio expreſſam: *Ne dixeris in corde tuo, Fortitudo mea & robur manus meæ hæc mihi omnia præſtiterunt: ſed recorderis Domini Dei tui, quòd ipſe vires tibi præbuerit, ut impleret pactum ſuum, ſuper quo iuravit patribus tuis, ſicut præſens indicat dies.* Nec otioſè aut perfunctoriè auſcultat illud recentioris Prophetæ oraculum: *Deus ſempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit, nec eſt inveſtigatio ſapientiæ eius: qui dat laſſo virtutem, & his qui non ſunt fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri & laborabunt, & iuvenes in infirmitate cadent: qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Sperando itaque in Domino, & in potentiâ virtutis ejus, ex languidâ evaſit ita fortis, ut acquiſierit ſibi virile nomen *Iſraël*, prout proximo capite vidimus. Acquiſito autem tanto nomine, audiit Deum ſibi dicentem: *Si contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis?* Et quid dico,

Prov. 31. 10.

Ibid. v. 17.

Ibid. v. 25.

Deut. 8. 17. & 18.

Iſa. 40. 28. & ſeqq.

Gen 32. 28.

Digitized by Google

dico, *contra homines?* Utique etiam contra dæmones, quia contra omne quod Deo inferius eſt atque imbecillius: nam qui fortis fuerit contra fortiſſimum, proculdubiò fortis erit contra quoſque minùs robuſtos. Unde & huic mulieri prærogata eſt fortitudo contra *portæ inferi*, ſive eâ phraſi dæmones intelligas, ſive homines improbos, dæmonum in Eccleſiæ infeſtatione adminiſtros: his enim devictis, etiam illi profligantur: Z. Per *inferi portas*, ait quidam, divinus ſermo intelligit „ impiorum hominum cœtus, atque hæreſum „ blaſphemias. Quibus omnibus obſiſtens Dei „ Eccleſia, eas quidem frangit, & expugnat: ab iis autem vinci non poteſt". Qui rursùs lib. 3. Epiſt. 5. ait: "Non tanquam nemo „ Eccleſiæ bellum indicturus, eamque extin„ guere adniſurus eſſet, ſed quòd multi qui„ dem adversùs eam pugnaturi, ſed tamen „ vincendi ac profligandi forent, dictum eſt, „ *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, ſub„ audi *Eccleſiam*. Sic quippe contigit: oppu„ gnata enim eſt, ſed non oppreſſa; verùm iis „ ipſis, qui eam extinguere tentaverunt, ſplendidior emicuit". Cæterum cùm *portæ* ſint potiſſima munimenta propugnationis civitatum, non oppugnationis hoſtium eaſdem invadentium; prædicta Chriſti promiſſio tacitè indicat Eccleſiam univerſis dæmonum poteſtatibus non modò non ſuccubituram, ſed prorsùs prævalituram. Senſus quippe eſt, Portæ inferi reſiſtere Eccleſiæ non valebunt, ſed ipſa eas expugnabit, diruet, ſubvertet. Quem ſenſum ſatis apertè amplectitur Hilarius, dum ad Petrum novo nomine à Chriſto donatum exclamat: A. O in nuncupatione „ novi nominis felix Eccleſiæ fundamentum; „ dignaque ædificatione illius petra, quæ in„ fernas leges, & tartari portas, & omnia „ mortis clauſtra diſſolveret"! Non ſolùm ergo non vincent eam, ſed vincet ipſa eas: quippe quæ *diſſolutura* eſt eas. Unde quidam neotericus Euangeliorum Explanator eum locum ediſſerens: B. Significatur ſecundò, in„ quit, quòd non tantùm non ſubvertetur „ (*Eccleſia*) verùm etiam ſubvertet ipſa om„ nes diaboli machinationes & munitiones; „ non tantùm non vincetur, verùm etiam „ vincet; nec poterit ipſi reſiſtere quicquid „ tandem ad ipſam oppugnandam ex inferis prodierit". Ab initio, poſt humani generis in primis parentibus lapſum, prænuntiavit Deus bellum hujus *mulieris fortis* adversùs eum qui *portis inferi* præſidet; & victoriam à muliere reportandam: *Inimicitias*, inquiens, *ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius.* Ecce bellum denuntiatum: ſequitur continuò victoriæ prædictio, ſeu rectiùs promiſſio: *Ipſa conteret caput tuum.* An dubitabimus eum fore vincendum, cujus prænoſcimus caput conterendum? C. Mulier, inquit Rabanus, „ conterit caput ſerpentis, quum Eccleſia „ ſancta inſidias diaboli, & ſuaſiones vene„ noſas, in ipſo mox initio deprehenſas abi„ git, & quaſi conculcans ad nihilum dedu„ cit: conterit caput ſerpentis, quum ſuper„ biæ, per quam Eva decepta eſt, ſeſe ſub potenti manu Dei humiliando, reſiſtit".

Matt. 16. 18.

Z Iſidor. Peluſ. lib. 1. Epiſt. 238.

A Hilar. Can. 16. in Matt.

B. Franciſc. Lucas in caput 16. Matthæi v. 18. Vide Maldonatum ibidem.

Gen. 3. 15.

Ibid.

C. Raban. L. 1. in Geneſim cap. 18.

Digitized by Google

CAPUT XV.

Quæ in Parœmijs Mulier fortis, *eadem in Canticis dicitur* Sponſa; *illic à viro & prolibus, iſtic à ſponſo laudibus cumulata. Sub* Lamuëlis *nomine Salomon ei metricum panegyricon nuncupavit, ex ſingulis Hebraici alphabeti litteris verſiculatim inchoatum: quarum interpretatio diſiunctim & conjunctim traditur ex Hieronymo. Salomonis imitatione Sedulius alphabetico hymno panxit encomia Chriſti: ut latini characteres perinde famularentur marito, ac Hebraici ejus uxori. Cùm Chriſtus de ſe ait,* Ego ſum Alpha & Omega, *ſub extremis Alphabeti characteribus intermedios voluit comprehenſos. Recitantur acroſthici Sibyllæ Erythreæ verſus de Chriſto ad extremum judicaturo, quorum initiales litteræ hanc conſtant acroſtichidem,* Jeſus Chriſtus Dei Filius Servator crux. *Veterum diverſæ & adverſæ de Sibyllarum afflatu opiniones commemorantur, & indeciſæ dimittuntur.*

XLVII. LUbet aliquantò diffuſiùs immorari contemplationi hujus viraginis, quam non ſolùm ad reſiſtendum, ſed etiam ad vincendum, & vincendo prævalendum, pronuntiavimus verè *fortem*. Exemplo nobis hac in re præivit Salomon in Parœmiis, ut initio ſuperioris capitis vidimus. Præiverunt quoque filij & maritus ipſius, de quibus idem
Prov. 31. 28. ipſe Salomon ſubſequenter interſerit: *Surrexerunt filij ejus, & beatiſſimam prædicaverunt: vir ejus, & laudavit eam.* Et ad virum quidem quod attinet, multis ille atque eximiis præconiis ſponſam ſuam extollit ſparſim in Canticis, ſignanter cap. 4. 6. & 7. Quo poſtremo loco
Cant. 7. 1. *Sulamitem*, id eſt, pacificam, nominat: & equidem *choris caſtrorum* comparare non dubi-
D. Theodoret. in cap. 7. Cant. v. 1. tat: [D] Sponſa, inquit Theodoretus, multis ,, è Sanctis conflata, tum propter fortitudi- ,, nem atque excelſi animi robur armaque mi- ,, litaria, *caſtris* eſt ſimilis: tum etiam *chorus*
Pſ. 117. 15. ,, exiſtit, divinas laudes in ore gerens: *Vox*, ,, inquiens, *exultationis & ſalutis in tabernaculis*
Ibid. v. 21. ,, *juſtorum*: & rursùs, *Conſtituite diem ſolemnem* ,, *in condenſis, uſque ad cornua altaris.* Caſtra verò
2. Cor. 10. 4. & 5. ,, declarat Beatus Paulus: *Arma*, inquiens, ,, *noſtra non carnalia, ſed potentia Deo, ad de-* ,, *ſtructionem munitionum: conſilia deſtruentes, &* ,, *omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcien-* ,, *tiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem*
Eph. 6. 13. ,, *intellectum in obſequium Chriſti*: & alibi, *Acci-* ,, *pite*, inquit, *armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere* ,, *in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.* Ac velut ,, Imperator quidam arma quoque militibus
Ibid. v. 14. & ſeqq. ,, ſubminiſtrat, inquiens: *State ergo ſuccincti* ,, *lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſti-* ,, *tiæ, & calceati pedes veſtros in præparatione Evan-* ,, *gelij pacis; in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in* ,, *quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere;* ,, *& galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus,* ,, *quod eſt verbum Dei.* Quòd autem non ſolùm ,, *caſtris*, ſed etiam *choris* Sancti ſint ſimiles,
,, audiamus Dominum id explicantem: *Tunc,* Mat. 25. 1.
,, inquit, *ſimile erit regnum cælorum decem virgi-* ,, *nibus, quæ accipientes lampades ſuas exierunt ob-*
,, *viam Sponſo.* Jure igitur Sponſus ait, *Quid* Cant. 7. 1.
,, *videbitis in Sulamitide, quæ venit ſicut chori ca-* ,, *ſtrorum?* Neque verò dixit, caſtra choro- ,, rum, ſed *chori caſtrorum*: ex caſtris enim fiunt ,, chori. Cùm enim in caſtris vicerint virtutis ,, milites, Pæana canentes revertuntur, & ,, choros ducentes victoriæ præconium laudibus concelebrant". Nec verò multùm ab hoc præconio differt alterum iſtud ab eodem ſponſo ſuperiùs de eâdem viragine premiſſum:
Pulchra es amica mea, ſuavis & decora ſicut Hieru- Cant. 6. 3.
ſalem: terribilis ut caſtrorum acies ordinata. In
quem locum Beda Venerabilis: [E] Quia una, E. Beda l. 5. in cap. 6. Cantic.
,, inquit, eademque Chriſti Eccleſia partim jam ,, cum ſuo Rege gaudet in cælo, partim adhuc ,, pro ipſo militat in Mundo, poteſt hoc quod ,, ait, *Pulchra es amica mea, ſuavis & decora ſicut* ,, *Hieruſalem*, de illâ ejus parte intelligi, quæ ,, confecto ſuo certamine, & curſu conſum- ,, mato, coronam juſtitiæ jam percepit: quod ,, verò ſubdidit, *Terribilis ut caſtrorum acies or-* ,, *dinata*, de eis convenienter accipi, qui adhuc ,, retenti, inſidianti circum ſe adverſario in ,, modum leonis rugientis, forti fide reſiſtunt". Atque hæc de *mulieris* hujus *fortis* encomijs à viro ſuo decantatis ſufficere pro ſpecimine impræſentiarùm videntur. Nunc de filiis, in matris ſuæ laudes prorumpentibus, aliquid addamus. Prodeat ergo *Lamuël* ille, ſive *Salomon*,

qui

qui loco quem præ manibus habemus, Sanctæ Eccleſiæ, de quâ ſpiritaliter natus fuerat, encomia, ſub *mulieris fortis* ænigmate, integro Alphabeto decantavit. Quâ de re idem Beda in Præfatiunculâ eidem Alphabeto præfixâ ſic ait: F. Sapientiſſimus Regum Salomon lau-

F. Idem in cap. 31. Proverbiorum.

„ des Sanctæ Eccleſiæ verſibus paucis, ſed „ pleniſſimâ veritate, decantat. Conſtat nam- „ que idem carmen verſibus viginti duobus, „ juxta ordinem videlicet Hebræorum, ac „ numerum litterarum; ita ut ſinguli verſus „ à ſingulis litteris incipiant. Cujus ordine „ perfectiſſimo Alphabeti typicè innuitur, „ quàm pleniſſimè hìc vel animæ cujuſque „ fidelis, vel totius Sanctæ Eccleſiæ, quæ ex „ omnibus electis animabus una perficitur „ Catholica, virtutes ac præmia deſcribantur". Quæ Præfatiuncula, cum ſubſequente totius iſtius alphabetici carminis Commentario, extat apud Rabanum Maurum in caput 31. Proverbiorum; imò etiam apud Hieronymum longè vetuſtiorem non ſolùm Rabano, ſed & ipſo Bedâ. Verùm Hieronymi non eſſe eum commentarium, uti nec integrum commentarium in librum Proverbiorum, ſatis inde liquet, quòd illius author citet ipſum Hieronymum, & quidem cum epitheto *Sancti*, prout patet cap. 30. ad eum locum, *Lepuſculus plebs invalida*. Hinc Marianus Victorius eum commentarium tomo 8. Operum Hieronymi inſertum prænotavit hac epigraphe: *Commentarii Bedæ in Parabolas Salomonis, falsò attributi Hieronymo.* Fortè tamen nec Bedæ ſunt, ſed Rabani, apud quem integri extant verbatim tomo 3. Etenim Beda peculiarem libellum edidit, *de Muliere forti* inſcriptum, qui extat tomo 7. Operum ejus versùs finem, & verbatim coincidit cum commentario capitis 31. Proverbiorum à v. 10. extante apud eundem tomo 4. Superfluum autem videtur, bis eandem materiam iiſdem verbis ediſſerere. Quapropter alterutrum Scriptum videtur abjudicandum Bedæ, ne ſuperfluitatis eum videamur arguere. Nihilominùs ſive unius, ſive alterius, ſive partim unius partim alterius ſint ea ſcripta, magno conſenſu à ſequentibus Tractatoribus ſuſcepta, ac penè verbatim exſcripta ſunt: ſignanter à Lyrano, Carthuſiano, Hugone Cardinale, & aliis, qui in Proverbia commentarios ediderunt. Hi igitur omnes, tanquam filii Eccleſiæ, *Surrexerunt, & beatiſſimam prædicaverunt* eandem Eccleſiam matrem ſuam, ſub ænigmate *Mulieris fortis*. Idem præſtiterunt & alii eorum fratres, qui pro ipſa vel contra hæreticos, vel contra Judæos aut paganos decertarunt; vel aliâ quavis occaſione tam ſtrenuæ viragini panegyricos nuncuparunt.

Vide Sixt. Senenſem lib. 4. Biblioth. in *Hieronymo* & Bellarm. l. de Script. Eccleſ. in eodem. Prov. 30. 26.

Prov. 31. 28.

Ibid. v. 10.

XLVIII. Quamvis autem Hieronymus alphabeticum illud Salomonis de *Muliere forti* carmen proprio commentario nequaquam illuſtrârit, ejus tamen expreſsè meminit in quadam Epiſtolâ, quam *de Alphabeti Hebraici interpretatione* ſcripſit ad Paulam Urbicam: G. Pro- „ verbia Salomonis, inquiens, extremum clau- „ dit Alphabetum, quod tetrametro jambi- „ co ſupputatur, ab eo loco ubi ait, *Mulierem fortem quis inveniet*". Addit mox inferiùs ſingularum litterarum interpretationem latinam hujuſmodi: " *Aleph* doctrina, *Beth* do- „ mus, *Gimel* plenitudo, *Daleth* tabularum, „ *He* iſta, *Vau* & *Zain* hæc, *Heth* vita, *Theth* bo- „ num, *Iod* principium, *Caph* manus, *Lamed* „ diſciplinæ, ſive cordis, *Mem* ex ipſis, *Nun* „ ſempiternum, *Samech* adjutorium, *Ain* fons, „ ſive oculus, *Phe* os (ab ore, non ab oſſe di- „ ctum intellige; ne litterarum ambiguitate „ fallaris) *Zade* juſtitia, *Coph* vocatio, *Res* capitis, *Sin* dentium, *Thau* ſigna". Sed nec in hac ſimplici interpretatione litterarum ſolitariarum ſiſtit Hieronymus, quin pergit ad earundem connexiones, ſubdens ibidem eveſtigiò: " Poſt interpretationem elementorum, „ intelligentiæ ordo dicendus eſt: *Aleph, Beth,* „ *Gimel, Daleth*, prima connexio eſt, doctrina „ domus plenitudo tabularum: quòd vide- „ licet doctrina Eccleſiæ, quæ domus Dei „ eſt, in librorum reperiatur plenitudine divi- „ norum. Secunda connexio eſt, *He, Vau,* „ *Zain, Heth*, iſta & hæc vita: quæ enim alia „ poteſt eſſe vita, ſine ſcientiâ Scripturarum; „ per quam etiam ipſe Chriſtus agnoſcitur, „ qui eſt vita credentium? Tertia connexio „ habet, *Theth, Iod*, bonum principium: quia „ quamvis nunc ſciamus univerſa quæ ſcripta „ ſunt, tamen ex parte cognoſcimus, & ex „ parte prophetamus; & nunc per ſpeculum in „ ænigmate videmus, cùm autem merueri- „ mus eſſe cum Chriſto, & ſimiles Angelis „ fuerimus, tunc librorum doctrina ceſſabit; „ & tunc videbimus facie ad faciem bonum „ principium, ſicuti eſt. Quarta connexio eſt, „ *Caph, Lamed*, manus diſciplinæ, ſive cordis: „ Manus intelliguntur in opere, cor & diſci- „ plina in ſenſu: quia nihil facere poſſumus, „ niſi priùs quæ facienda ſunt ſciverimus. „ Quinta connexio eſt, *Mem, Nun, Samech*, ex „ ipſis ſempiternum adjutorium: hoc explana- „ tione non indiget, ſed omni luce manifeſtius „ eſt, ex Scripturis æterna ſubſidia miniſtrari. „ Sexta connexio habet, *Ain, Phe, Zade*, fons „ ſive oculus oris juſtitiæ, ſecundùm illud quod „ in quarto numero poſuimus. Septima conne- „ xio eſt, quæ & extrema, quò & in ipſo quo- „ que ſeptenario numero ſit myſticus intel- „ lectus, *Coph, Res, Sin, Thau*, vocatio capitis „ dentium ſigna: per dentes articulata vox „ promitur, & in his ſignis ad caput omnium, „ qui eſt Chriſtus, pervenitur, per quem venitur ad regnum ſempiternum". Ecce quid importat Alpha-

G Hieron. Epiſt. 155. Vide Rabanum in Proœmio ad Threnos Hieremiæ. Prov. 31. 10.

Alphabetum illud, cujus ex elementis ordine digeſtis inchoavit Salomon initiales voces omnium verſuum, quibus concinnavit panegyricum *Mulieris fortis!* Quo quidem artificio innuere nobis voluit, totius Alphabeti myſteria uni illi viragini congruere. Salomonem imitari ſatagens noſter Sedulius, ſimili artificio ex Alphabeto Latino concinnavit hymnum encomiaſticum de Chriſto, *Mulieris* iſtius *fortis* viro ſeu ſponſo; quo hymno etiamnum utitur Eccleſia, partim in Nativitate & Circumciſione Domini ad Laudes, partim in Epiphaniâ ejuſdem ad Veſperas. Quia tamen non pauci verſus illic prætermittuntur, exhibebo hìc integrum ex Bibliotheca SS. Patrum editionis Pariſienſis Anni 1644. ubi tomo VIII. pag. 679. & ſequenti

Sedulius.

extat in hunc tenorem: A *Solis ortus cardine ad uſque terræ limitem, Chriſtum canamus principem, natum Mariâ virgine. Beatus auctor ſæculi ſervile corpus induit, ut carne carnem liberans, ne perderet quos condidit. Clauſæ parentis viſcera cæleſtis intrat gratia, venter puellæ baiulat ſecreta quæ non noverat. Domus pudici pectoris templum repentè fit Dei, intacta neſciens virum virgo concepit filium. Enixa iam puerpera eſt, quem Gabriel prædixerat, quem matris alvo geſtiens clauſus Ioannes ſenſerat. Fœno iacere pertulit, præſepe non abhorruit, parvoq́; lacte paſtus eſt, per quem nec ales eſurit. Gaudet chorus cæleſtium, & Angeli canunt Deo, palamq́; fit paſtoribus paſtor creator omnium. Herodes hoſtis impie, Chriſtum venire quid times? non eripit mortalia qui regna dat cæleſtia. Ibant magi, quam viderant ſtellam ſequentes præviam, lumen requirunt lumine, Deum fatentur munere. Katerva matrum perſonat colliſa deflens pignora, quorum tyrannus millia Chriſto ſacravit victimam. Lavacra puri gurgitis cæleſtis agnus attigit, peccata quæ non detulit, nos abluendo ſuſtulit. Miraculis dedit fidem habere ſe Deum Patrem, infirma ſanans corpora, reſuſcitans cadavera. Novum genus potentiæ, aquæ rubeſcunt hydriæ, vinumq́; iuſſa fundere mutavit unda originem. Orat ſalutem ſervulo flexus genu centurio, credentis ardor plurimus extinxit ignes febrium. Petrus per undas ambulans Chriſti levatur dexterâ, natura quam negaverat, fides paravit ſemitam. Quartâ die iam fœtidus vitam recepit Lazarus, cunctiſq́; liber vinculis factus ſuperſtes eſt ſibi. Rivos cruoris horridi contacta veſtis obſtruit, fletu rigante ſupplicis arent fluenta ſanguinis. Solutus omni corpore iuſſus repentè ſurgere, ſuis viciſſim greſſibus æger vehebat lectulum. Tunc ille Iudas carnifex auſus magiſtrum tradere, pacem ferebat oſculo, quam non habebat pectore. Verax datur fallacibus, pium flagellat impius, cruciq́; fixus innocens coniungitur latronibus. Xiromirrham poſt ſabbatum quadam vehebant corpori, quas allocutus Angelus, vivum ſepulchro non tegi. Ymnis venite dulcibus, omnes canamus ſubditum Chriſti triumpho tartarum, qui nos redemit venditus. Zelum draconis invidi, & os leonis peſſimi, calcavit unicus Dei, ſeſeq́; cælis reddidit.*

Quemadmodum igitur Salomon perduxit laudes Sponſæ Chriſti per omnes litteras Hebraici Alphabeti, ab *Aleph* uſque ad *Thau*: ita conterraneus ille noſter, Cœlius Sedulius, perduxit encomia ipſius Chriſti per omnia elementa Latini Alphabeti, ab *A.* uſque ad *Z.* fortaſſis inde incitatus, quòd ex Apocalypſi didicerit Chriſtum dixiſſe, *Ego ſum Alpha & Omega*, quæ ſunt extrema duo elementa Græci Alphabeti; ſub quibus rectè quis comprehenderit reliqua intermedia: ſicut Gen. 1. 1. ſub *cæli & terræ* nomine etiam interjacentia corpora ſolent comprehendi, quæ ſimul creata creduntur. Unde Baſilius: H. Quicquid iſto„rum medium eſt, inquit, id unà cum ipſis „omnino finibus exortum eſt: ita ut etiamſi „nihil de cæteris dixerit elementis, igne, „inquam, aquâ, atque aëre, tuopte tamen ſolerti ingenio capere velis".

Apoc. 1. 8. Vide Aretham in caput 1. Apocal. v. 8.

Gen. 1. 1.

H. Baſilius Homil. 1. Hexam. Vide Ambroſ. lib. 1. Hexam. c. 6.

XLIX. Quandoquidem huc devoluti ſimus, non erit à ſcopo alienum, nec Lectori injucundum ſi mox relatis Salomonis de Muliere forti, & Sedulii de ejus viro, carminibus ſubjiciamus hoc loco acroſthicos Sibyllæ Erythreæ verſus de Chriſto noſtro Salvatore, poſt aliquot tunc ſæcula in Mundum venturo, ſignatè verò ad finale judicium redituro: quorum verſuum initiales litteræ collectim diſpoſitæ hanc reddunt acroſtichidem, JESUS CHRISTUS DEI FILIUS SERVATOR CRUX. Refert eos Conſtantinus Magnus in Oratione ad Senatum habitâ, apud Euſebium lib. 4. vitæ ipſius: refert item Auguſtinus lib. 18. de Civit. cap. 23. & Orat. ad Catechumenos contra Judæos, Paganos, & Arianos cap. 16 ubi eis præmittit hanc periodum: " Ut teſtimonium veritatis omni ex „parte roboretur, quid Sibylla vaticinando „etiam de Chriſto clamaverit, in medium „proferamus: ut ex uno lapide utrorumque „frontes percutiantur, Judæorum ſcilicet, „atque Paganorum; atque ſuo gladio, ſicut „*Golias*, Chriſti omnes percutiantur inimici". Quâ præmiſſâ, ſubinſerit ipſos acroſthicos, ſed non ſatis accuratè aut plenè ab Interprete latinizatos. Referuntur quoque tomo XIV. Bibliothecæ Patrum pag. 76. editionis Pariſienſis anni 1644. & alibi crebrò apud Varios. Nos hìc eos exhibebimus ex editione Petri Opmeeri lib. 4. operis chronographici, ubi ſic digeruntur: *Judicii ſignum tellus ſudoribus edet, Exq́; polo veniet rex tempus in omne futurus; Scilicet ut carnem omnem, ut totum iudicet orbem, Ut ſpectare Deum pia gens, atque impia poſſit, Summum cum ſanctis in ſæcli fine ſedentem, Corporeorum animas hominum quò iudicet olim, Horrebit totus denſis cùm vepribus orbis. Reiicient ſimulachra homines, aurumq́; repellent, Incendentq́; avida terram more ſydera flammæ, Stabunt functorum ſub apertum*

Conſtantinus. Euſebius.

Auguſtinus.

1. Reg. 17. 6.

Opmeerus. Sibylla Erythrea. Vide Sixt. Senenſem lib. 2. Biblioth. litt. S.

Digitized by Google

apertum corpora lumen, *Tetraq; mens & ſancta illo ſplendore patebunt*, *Utque quis occultè peccaverit omnia dicet*, *Subdolaq; humani pandentur pectoris antra. Dira mali ſacies, pavor undique, & undique luctus; Et iubar involvent ſolis, ſtellaſq; tenebræ. Jam vaga labetur phœbe, ruet arduus æther, Feſſas attollet, iuga deprimet ardua cuncta, Impedietq; nihil mortales ampliùs altum, Lataq; planicies montes æquabit, & æquor Intactum rate ſtabit, & urent fulmina terras, Unaq; deficiet flagrans cum ſontibus amnis: Sydereiſq; ſono triſti tuba clanget ab oris, Supremumq; orbi canet exitiabile carmen, Et ſubitò ſtygium chaos apparebit hiatu, Regeſq; ad ſolium ſiſtentur Numinis omnes, Undaq; de cælo fluet ignea ſulphure mixto: Afflabit mortale genus inſigne coruſcans, Trabs ſancta in rectis animis optabile robur, Omnibus una piis vitæ melioris origo, Rursùs veſani dolor atque offenſio mundi. Colluſtrans undis duodeno in fonte fideles Regnans rex, gentes compeſcet ferrea virga: Unus & æternus Deus hic, ſervator & idem, Xenophilus noſtri cauſâ cruciamina paſſus.* Initialem cujuſque verſiculi litteram grandiori formâ depinximus, ut lector ad oculum cernat quid ex omnium coordinatione reſultet. Verſiculi univerſim ſunt XXXIV. adeoque totidem litteræ initiales; quarum quinque primæ conſtant vocem *Ieſus*, ſequentes octo vocem *Chriſtus*, ſequentes tres vocem *Dei*, ſequentes ſex vocem *Filius*, ſequentes octo vocem *Servator*, reliquæ quatuor vocem *Crux*: atque ita ex tota earum coordinatione reſultat integra illa ſententia ſuperiùs commemorata, *Ieſus Chriſtus Dei Filius Servator crux.* Non me quidem fugit, Sibyllarum oracula à quibuſdam explodi, tanquam à diabolo patre mendacii ſuggeſta: ut ab Ambroſiaſtro, qui ait: „ [I.] *Spiritus Mundi huius* eſt, per quem arripiuntur phanatici, qui ſine Deo ſunt: eſt enim „ inter mundanos ſpiritus potior; unde ſolet „ conjecturis quæ Mundi ſunt divinare, quem „ *Pythonem* appellant. Hic eſt qui per veriſimilia fallitur & fallit: hic eſt qui per SIBYLLAM locutus eſt, ſenſum noſtrorum ſecutus, locum volens inter cæleſtes habere". Verùm cùm hic author multis ſcateat erroribus, non apparet cur præferatur aliis, qui Sibyllas divinitùs afflatas volunt. Etenim Conſtantinus Magnus loco mox citato loquens de Sibyllâ Erythreâ: "Illa, inquit, „ aliquando mediis adytis importuno ſuperſtitioſæ religionis ritu intermiſſo, AFFLATA „ PROCULDUBIÒ CÆLITUS, edidit „ apertè futura de Deo verſibus: in quorum „ ſerie litteræ quæque primores (acroſtichis à „ Græcis appellatur) adventus Jeſu hiſtoriam „ ſignificant. Acroſtichis hæc eſt: *Ieſus Chriſtus Dei Filius Servator crux*". Dudum quoque ante Conſtantinum Juſtinus Martyr: [K.] Viri „ Græci, inquit, ſi falſam de Diis putatitiis „ imaginationem ſalute veſtrâ antiquiorem „ non habetis, credite antiquiſſimæ & priſcæ „ admodùm Sibyllæ, cujus libri in univerſo „ extant orbe, de iiſdem Diis mirifico quodam PRÆPOTENTIS NUMINIS „ AFFLATU vos ſortibus datis docenti; „ de futuro autem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti adventu apertè & liquidò vaticinanti"! Clemens quoque Alexandrinus eandem Sibyllam diſertè appellat [L.] *Prophetiſſam*, & quidem *divinè locutam*. Rursùs lib. 1. Stromatum laudat Heraclitum, aſſerentem, *Non humanitùs, ſed potiùs divinitùs apparuiſſe Sibyllam.* Quid plura? Tanti fiebant à veteribus Chriſtianis oracula Sibyllina, ut ipſi à Gentilibus agnominarentur, *Sibylliſtæ*, prout innuit Origenes lib. 5. contra Celſum, & fuſiùs Spencerus ejus Scholiaſtes in ſuis Annotationibus pag. 70. & 71. nuperæ editionis Cantabrigienſis, ubi complures citat, ut præter veteres etiam Baronium in Apparatu ad Annales n. 19. Sed de his ſatis pro præſenti.

I. Ambroſ. in caput 2. prioris ad Corinth. v. 12. 1. Cor. 2. 12.

Conſtantinus.

K. Juſtin in Paræneſi ad Græcos, prope finem. Vide Theophilum Antioch l. 2. ad Autolicum.

L. Clem. Alex. in Proterptico.

Heraclitus.

Origenes. Spencerus.

Baronius.

H CAPUT

CAPUT XVI.

Sub Lamuëlis *nomine Rex Salomon, Sibyllis indubitatior cæli diſcipulus, primum ſui encomiaſtici carminis verſiculum inchoat à primâ Hebraici alphabeti litterâ* Aleph, *quæ latinè interpretatur* Doctrina; *ſecundum, à ſecundâ*, Beth, *quæ* Domus. *Eccleſia ab ipſo* Mulier *dicta, ob ſpiritalem filiorum genituram*: fortis, *ob æquanimem utriuſque ſortis uſuram; ut quæ nec ſuperefferatur proſperâ, nec frangatur adverſâ. Unde Mulieri tam virile pectus, ſupra morem ſexus? Eam maximoperè pretioſam fecit, qui à ſummo cælo egreſſus pro eâ ſeipſum pretium dedit. Hæreſiarchæ cujuſpiam inſulſa blateratio*, Non invideo Chriſto Deo facto, quoniam ſi volo poſſum & ipſe fieri. *Qualiter intelligenda cordialis confidentia mariti, ſupererogata huic ſuæ Uxori? Hæc ab initio humani generis vocata, ac deſponſata, nullis poſteà generationibus defuit.* Spoliis non indiget; *non quòd, aliundè dives, abſtineat ſpolijs; ſed quòd ubertim partis abundet ſpolijs: undique rapiens, trahens, acquirens; virum ſuum imitans, ſub cujus typo filius Prophetæ juſſus eſt nominari*, Accelera ſpolia detrahere, Feſtina prædari. *Non omnis ſpoliatio eſt culpanda, ſed quædam laudanda; cùm ſcriptum ſit*, Juſti tulerunt ſpolia impiorum. *Quibuſnam ſpolijs Eccleſia abundet, & quibus hoſtibus eadem abripiat?*

L. SEd dimiſſis Sibyllis redeamus ad Salomonem, quem certiſſimè novimus à Deo fuiſſe afflatum, ut alphabetico carmine *Mulierem fortem* deprædicaret: & particulariùs intueamur quid de eâ cecinerit: intueamur autem, non tam noſtra ſenſa ingerendo, quàm veterum Tractatorum meditamina proferendo: M. *Mulier* „ *fortis*, inquit Beda, Eccleſia Catholica voca„ tur: *Mulier* videlicet, quia ſpiritales Deo „ filios gignere conſuevit: *Fortis*, quia cuncta „ ſeculi adverſa ſimul & proſpera pro Con„ ditoris ſui fide contemnit: quam ipſe in „ carne apparens infirmam quidem invênit, „ ſed inventione ſuâ, hoc eſt, viſitatione piâ, „ fortem reddidit. Unde poſt ejus redemptio„ nem ad cælos rediens, ſupernis civibus gau„ dens aiebat: *Congratulamini mihi, quia inveni* „ *ovem, quæ perierat.* Videns ergo Salomon ge„ nus humanum innumeris implicatum erro„ ribus, quodque ad ejus ſalvationem nullus „ Patriarcha, nullus Propheta, nullus omni„ nò electorum, præter ſolum Mediatorem „ Dei & hominum, ſufficeret, ait: *Mulierem fortem quis inveniet*"? Quòd ſi fortè quis obtendat, non tam laudari hìc *Mulierem fortem*, quàm ejus inventorem & fortificatorem. Reſpondetur, laudari ambos, ſed cum ſubordinatione: mulierem quidem, ut laude dignam præſtitam; inventorem verò, ut laude dignam præſtantem. Unde de ipſo ſcriptum eſt, *Laus ejus in Eccleſiâ Sanctorum*: & ipſa animitùs cantat, *In domino laudabitur anima mea*: & Salomon in extremo penè verſiculo ſui carminis alphabetici *Mulier timens Dominum*, inquit, *ipſa laudabitur*. Laudanda igitur eſt *ipſa*, ſed *in Domino*; qui nimirùm præſtitit ei, ut timeret ipſum; quemadmodùm ipſe alibi ait de fidelibus, quibus ipſa conſtat, *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me.* Cùm ergo ex inventoris ſui dono habeat Eccleſia hunc timorem, quo continetur in obſequio Dei, non recedens ab ipſo, ſed jugiter adhærens ipſi; proculdubiò ab ipſo habet fortitudinem, quâ non frangitur adverſis; ab ipſo habet humilitatem, quâ non extollitur proſperis; ab ipſo habet omnes dotes, quibus redditur laudabilis. Nec hoc ipſa ignorat: & ideò dicit ei cum Pſalmographo, *Tu es Deus fortitudo mea*: & iterùm, *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam*, hoc eſt, N De me omninò nihil præſumam". Unde ait Gregorius Papa: O. Scit Sancta Eccleſia „ in paſſionibus creſcere, atque inter oppro„ bria honorabilem vitam tenere: ſcit nec „ adverſis dejici, nec de proſperis gloriari: „ novit contra proſpera mentem ſuam in de„ jectione ſternere, novit contra adverſa ani„ mum ad ſpem ſuperni culminis exaltare. „ Scit bona ſua miſericordiæ Redemptoris, „ mala ſua juſtitiæ tribuere Iudicis; quòd & bona

Prov. 31. 10.

M. Beda lib. de *Muliere forti* litt. *Aleph.*

Vide Aug. Serm. 217. de Tempore.

Luca 15. 6.

PRÆOCCUPATIO.

Pſal. 149. 1.

Pſal. 33. 3.

Prov. 31. 30.

Hier. 32. 40.

Pſal. 42. 2.

Pſal. 58. 10.

N. Aug. in Pſalm. 58. Concion. 1.

O. Greg. lib. 20. Moral. c. 17. alias 18.

Digitized by Google

„ bona illo largiente habeat, & mala illo per-
mittente patiatur". Sequitur apud Salomo-
Prov. 31. 10.
nem de eadem Muliere forti, *Procul & de ulti-*
mis finibus pretium ejus : P. *Procul*, inquit Beda
P. Beda lib. de Muliere forti litt. Aleph.
„ ibidem, videlicet ſtatu temporis, quod à die-
„ bus Salomonis uſque ad partum virginis in-
Pſal. 18. 7.
„ tererat : *De ultimis* autem *finibus*, quia *à ſummo*
„ *cælo egreſſio ejus* : qui non aliud pro noſtra re-
„ demptione *pretium*, quàm ſeipſum obtulit.
Eph. 5. 2.
„ Unde Apoſtolus, *Qui dilexit nos*, inquit, *&*
„ *tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & ho-*
ſtiam Deo, in odorem ſuavitatis". Ut igitur noſ-
camus quàm pretioſa res ſit iſta *mulier fortis*,
id eſt, Eccleſia, attendamus magnitudinem
Q. Breviar. Roman. in Officio Corporis Chriſti in 2. Noctur. Lect. 1.
pretii pro eâ oblati : Q. Immenſa, inquit ipſa
„ in Officio Eccleſiaſtico, divinæ largitatis
„ beneficia, exhibita populo Chriſtiano, in-
æſtimabilem ei conferunt dignitatem". Quid
eſt *populus Chriſtianus*, niſi Eccleſia, de qua ait
Ibid. v. 25.
Apoſtolus : *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum*
tradidit pro eâ ? Alibi quoque idem Apoſtolus,
Act. 20. 28.
quoſdam Eccleſiæ Hierarchas alloquens : *At-*
tendite vobis, inquit, *& univerſo gregi, in quo vos*
Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam
Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Unde & Au-
guſtinus Chriſtianos hoc tanto pretio acquiſi-
R. Auguſt. Tract. 47. in Joannem.
tos compellans : R. Quia oves Chriſti eſtis, in-
„ quit, Sanguine Chriſti comparati eſtis.
„ Agnoſcitis pretium veſtrum, quod non à
„ me datur, ſed per me prædicatur : ille quip-
„ pe emit, qui pretioſum ſanguinem fudit;
„ pretioſus ſanguis eſt illius ſine peccato : fecit
„ tamen ipſe etiam ſuorum ſanguinem pretio-
„ ſum, pro quibus dedit ſanguinem pretium.
„ Nam ſi ſuorum ſanguinem non faceret pre-
Pſ. 115. 15.
„ tioſum, non diceretur : *Pretioſa in conſpectu*
Domini mors Sanctorum ejus". Rectè igitur di-
ctum eſt de Muliere forti, *De ultimis finibus*
pretium eſt : quia ſolus is, *cujus à ſummo cælo*
egreſſio, potuit condigno pretio oblato eam
emere. Quapropter procul ab auribus cordis
& corporis arcendus eſt Neſtorianus ille bla-
tero, qui auſus eſt dicere ſe poſſe ſuis me-
ritis æqualitatem cum Chriſto acquirere. Cui
Job 28. 19.
obvians Beatus Job, *Non æquabitur ei*, inquit,
S. Greg. lib. 18. Moral. c. 27. aliàs 45.
topazius de Æthiopia : S. Ac ſi apertè dicat, in-
„ quit Gregorius, Nullus Sanctorum quibuſ-
„ libet virtutibus plenus, ex iſtâ tamen nigre-
„ dine Mundi collectus, æquari ei poteſt de
Luc. 1. 35.
„ quo ſcriptum eſt, *Quod naſcetur ex te Sanctum,*
„ *vocabitur Filius Dei.* Nos quippe etſi ſancti
„ efficimur, non tamen ſancti naſcimur; quia
„ ipsâ naturæ corruptibilis conditione con-
Pſal 50. 7.
„ ſtringimur, ut cum Prophetâ dicamus, *Ecce*
„ *in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis peperit*
„ *me mater mea* : ille autem ſolus veraciter
„ ſanctus natus eſt, qui ut ipſam conditionem
„ naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtio-
„ ne carnalis copulæ conceptus non eſt. Huic
„ ſe quaſi quoddam *topazium de Æthiopiâ æquari*
„ voluit hæreſiarcha quidam cùm dixit : *Non*
„ *invideo Chriſto Deo facto, quoniam ſi volo, & ipſe*
poſſum fieri".

LI. Pergit Salomon ad ſecundam Alpha-
beti ſui litteram, *Beth* dictam, quæ interpre-
tatur *domus*; unde *Bethel* domus Dei, *Betaven*
domus vanitatis, *Bethania* domus obedientiæ,
Bethabara domus tranſitûs, *Bethſaida* domus
frugum, *Bethſabee* domus juramenti, *Bethſames*
domus Solis, *Bethlehem* domus panis. Ab hac
itaque litterâ inchoat ille verſum iſtum, *Con-* Prov 31. 11.
fidit in ea cor viri ſui, & ſpoliis non indigebit. Ubi
pro eo quòd vulgatus noſter interpres, con-
ſentientibus Pagnino & Vatablo, vertit, *in eâ*,
ſeptuaginta Interpretes tranſtûlerunt, *ſuper*
eam, quomodò etiam legit Auguſtinus Serm.
45. de Diverſis cap. 4. Verùm cùm Dominus PRÆOCCUPATIO.
apud Hieremiam dicat, *Maledictus homo qui con-* Hier. 17. 5.
fidit in homine, mulier autem iſta nihil aliud
quàm homo ſit, ſed hominum cœtus : non
apparet quomodò Salomon rectè hìc dixerit,
Confidit in eâ cor viri ſui. Hæc apparens antilo-
gia fundatur in æquivocatione verbi *confidit*,
quod apud Hieremiam ſonat ſpem, ſeu veriùs
præſumptionem, & quidem talem, quæ præ-
ſumptorem à Deo abducat. Unde ſubditur,
Et ponit carnem brachium ſuum, & à Domino rece- Ibid.
dit cor ejus : apud 70. Interpretes legitur, *Male-*
dictus homo qui ſpem habet in homine, & firmabit
carnem brachii ſui ſuper ſe, & à Domino diſcedet
cor ejus. Apud Salomonem verò idem verbum
non ſignificat hujuſmodi ſpem, ſed duntaxàt
fiduciam quandam ſive ſecuritatem viri de in-
tegritate, caſtitate, ac probitate ſuæ uxoris.
Unde Beda : T. Quod ergo dicit, inquit, T. Beda lib. de Muliere forti litt. Beth.
„ *Confidit in eâ cor viri ſui*, ab humanâ conſue-
„ tudine tractum eſt : ſicut omnis qui fortem
„ fidelemque & caſtam habet conjugem, con-
„ fidit in ea certiſſimè, quòd nihil contra ſuam
„ voluntatem agere, nullâ adulterâ ſaltem co-
„ gitatione poſſit attaminari, cuncta pro ſuo
„ amore adverſa libenter toleret, & quoſcun-
„ que valet ad ſuam amicitiam convertere de-
„ ſiderat : ſic nimirùm Dominus & Redem-
„ ptor noſter, in Eccleſiâ *confidit*. Novit enim
„ ſpiritum gratiæ, quem dedit : novit virtu-
„ tem charitatis, quam præcordiis ejus infu-
„ dit : ideòque non dubitat eam à ſuâ non
„ ſolùm fidei integritate nequaquam poſſe
„ corrumpi, ſed etiam perſeveranter inſiſtere
„ ut plures ad ejuſdem fidei congreget unita-
„ tem". Et Arboreus : V. Non ex eo, inquit, V. Arboreus in caput 31. Prov. v. 11.
„ hic *vir* ſanctiſſimus, ſive ſponſus omnium
„ excellentiſſimus, *confidit Eccleſiæ*, quòd ejus
„ fiducia pendeat ab Eccleſiâ, ejuſque præſidio
„ indigeat : ſed quòd exiſtimet, & planè in-
„ telligat, Eccleſiam ſanctam nolle quidpiam
„ agere contra ſuam voluntatem, nec quòd
„ jactata tempeſtatibus & perſecutionibus,
„ à ſincerâ fide & religione unius veri Dei
H 2 deficiet".

Digitized by Google

deficiet". Falluntur quidem alii mariti fre-
quenter circa ſuas uxores, quas putant ſub-
inde caſtas, probas, integras, fidei conju-
galis obſervantiſſimas; cùm ex adverſo illæ
ſint impudicæ, improbæ, corruptæ, perfidæ:
ſed non ſic hujus Salomonicæ viraginis Spon-
ſus, utpotè oculatiſſimus, perſpicaciſſimus,
Heb. 4. 12. penetrans uſque ad interiora velaminis, *Diſcre-
tor cogitationum & intentionum cordis*: cujus pro-
inde *confidentia* certiſſimum integritatis argu-
mentum eſt. Hinc Auguſtinus de hac ipſa *Mu-
W. Auguſt. Serm. 45. de Diverſis c. 4. liere forti*, id eſt, Eccleſiâ, diſſerens: W. Hæc,
„ inquit, ſi non uſque ad finem perſeverave-
„ rit, non ſuper eam cor viri ejus confidit.
„ *Confidit* autem *ſuper eam cor viri eius*: præſcius
„ confidit, falli non poteſt qui confidit. Non
„ dictum eſt, confidit ſuper eam cor filiorum
„ ejus: poterant enim filii ejus parvuli falli.
„ Illius verò cor nullum mendacium fallit:
verum eſt ergo, quod confidit". Paulò aliter
Ambroſius, eodem tamen ſenſu ac ſcopo:
X. Ambroſ. in c. 31. Proverb. Serm. de Machabæis. „ X. Hæc, inquit, ſi non uſque ad finem per-
„ ſeveraret, in eâ cor viri ejus non utique con-
„ fideret. Confidit verò ut præſcius futuri,
„ & qui falli non poteſt. Non dictum eſt, con-
„ fidit in eâ cor filiorum (poſſunt enim filii
„ parvuli falli) ſed *cor viri eius*, cujus cor nul-
Rom. 3. 4. „ lum mendacium recipit: *Eſt enim Deus verax*,
„ ut inquit Apoſtolus, ſeduci non poteſt. Per-
ſeverabit ergo Eccleſia ſine fine". Porrò ſicut
hinc habemus, Eccleſiam in finem uſque per-
ſeveraturam: ita ex Auguſtini verbis §. 44.
relatis habemus, eandem jam inde ab initio
Vide Aug. hìc ſuprà §. 44. perſeveraſſe: "*Mulier* iſta *fortis*, aiebat ipſe
„ illic, Eccleſia eſt. Quomodò enim non eſt
„ fortis, quæ ab initio Mundi tantis tribula-
„ tionibus fatigatur, & tamen non vincitur"?
Pſ. 118. 152. Ex ejus perſonâ Pſaltes ait Deo, *Initio cognovi
Y. Aug. in Pſalm. 118. Concione 29. de teſtimoniis tuis*. Ubi Auguſtinus: Y. Unde
„ hoc, inquit, iſte *initio* cognovit, niſi quia
„ Eccleſia loquitur, quæ terris non defuit ab
Vide in Pſ. 56. & 128. & Conc. 2. in Pſal. 90. „ initio generis humani, cujus primitiæ Abel
„ ſanctus eſt, immolatus & ipſe in teſtimo-
„ nium futuri ſanguinis Mediatoris ab impio
Mat. 19. 4. & 5. „ fratre fundendi? Nam & illud *ab initio di-
„ ctum eſt*, *Erunt duo in carne una*: quod ma-
„ gnum Sacramentum Apoſtolus Paulus ex-
Eph. 5. 32. „ ponens, *Ego*, inquit, *dico in Chriſto & in Ec-
Z. Proſp. in Pſalm. 118. v. 152. cleſiâ*". Cui conſonans Proſper: Z. Eccleſia,
„ inquit, ab initio humani generis exorta,
nullis generationibus defuit". Caſſiodorus
A. Caſſiod. in Pſal. 118. litt. Coph. Vide Ambr. in eundem Pſalm. & Litteram. pro *initio* legit *ab initio*: A. Significat autem, in-
„ quit, à rudimentis ſæculi, quando à juſto
„ Abel nomen cœpit eſſe juſtorum: qui inno-
„ cens à nefario fratre in exemplum Domini
Salvatoris occiſus eſt". Huc quoque ſpectat
Pſalm. 73. 2. illa Pſalmographi deprecatio ad Deum, *Memor
eſto congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio*. Quæ-
nam enim eſt illa Dei congregatio, niſi po-
pulus ejus, cœtus ſcilicet fidelium ei ſervien-
tium? Hunc igitur cœtum poſſedit ipſe *ab
initio*, hoc eſt, interprete illic Genebrardo,
„ B. Ab omni ævo, vel ab orbe condito: nam B. Genebr. in Pſal. 73. v. 2.
Eccleſia cœpit ab Adam & Abel". Unde &
Gregorius Papa disertè ait: C. Ab Abel ſan- C. Greg. Homil. 15 in Ezechiel. Vide Homil. 19. in Evangel.
„ guine, paſſio jam cœpit Eccleſiæ: & una
„ eſt Eccleſia electorum præcedentium, atque
ſequentium".

LII. Cùm ergo ex jam dictis liqueat, Ec-
cleſiam ab initio Mundi jugiter perduraſſe, &
in finem uſque perſeveraturam eſſe; procul-
dubiò immaniter exorbitant, qui ut licentiùs
novitates ſuas rudioribus perſuadeant, & *Mu-
lieri* huic *forti*, è cujus ſinu evolarunt, inſul-
tent; eandem petulanter, tanquam viro ſuo
infidam, inceſſunt, & ſpiritalis adulterii cum
hoſte ejus diabolo commiſſi incuſant. Teſta-
tur Salomon *confidere in eâ cor viri ſui*. Si falsò Prov. 31. 11.
confidit, utique fallitur. Sed quia falli non
poteſt Veritas, proculdubiò mentitur ſibi ini- Vide infrà §. 78.
quitas. Atque utinam ſibi ſoli mentiretur, ac
non etiam alios ſeducere, atque à ſinu piæ
matris abducere niteretur. Sed non eſt quòd
miremur ſeduci quoſdam, atque abduci: cùm
legamus nonnullos diſcipulatum ipſius Chri-
ſti, perſonaliter præſentis ac docentis, deſe-
ruiſſe. Quibus abire permiſſis, aiebat ipſe cæ-
teris apud ſe remanentibus, *Nunquid & vos vul-* Ioan 6. 68.
tis abire? D. Petrus tamen, inquit Cyprianus, D. Cyprian. Epiſt. 55. Vide Epiſt. 69.
„ *Super quem ædificata ab eodem Domino fuerat
„ Eccleſia*, unus pro omnibus loquens, & Ec-
„ cleſiæ voce reſpondens, ait: *Domine, ad quem* Mat. 16. 18. Ioan. 6. 69. & 70.
„ *ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus,
„ & cognovimus quoniam tu es Filius Dei vivi*: ſigni-
„ ficans ſcilicet & oſtendens, eos qui à Chriſto
„ receſſerint, culpâ ſuâ perire: Eccleſiam ta-
„ men quæ in Chriſtum credat, & quæ ſemel
„ id quod cognoverit teneat, nunquam ab eo
„ omninò diſcedere; & eos eſſe Eccleſiam, qui
„ in domo Dei permanent: plantationem verò
„ plantatam à Deo Patre non eſſe, quos vide-
„ mus non frumenti ſtabilitate ſolidari, ſed
„ tanquam paleas diſſipantis inimici ſpiritu
„ ventilari: de quibus & Joannes in Epiſtolâ
„ ſuâ dicit, *Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex* 1. Io. 2. 19.
„ *nobis; ſi enim ex nobis fuiſſent, manſiſſent utique
nobiſcum*". Et ante Cyprianum Tertullianus,
tunc orthodoxus: E. Avolent quantùm vo- E. Tertull. lib. de Præſcript. c. 3.
„ lent, inquit, paleæ levis fidei quocunque
„ afflatu tentationum, eò purior maſſa fru-
„ menti in horrea Domini reponetur. Nonne
„ ab ipſo Domino quidam diſcentium ſcanda-
„ lizati diverterunt? Nec tamen proptereà cæ-
„ teri quoque diſcedendum à veſtigiis ejus pu-
„ taverunt; ſed qui ſcierunt illum vitæ eſſe
„ verbum, & à Deo veniſſe, perſeverarunt
„ in comitatu ejus uſque ad finem: quùm illis,
„ ſi vellent & ipſi, diſcedere, placidè obtu-
„ liſſet. Minus eſt ſi & Apoſtolum ejus aliqui
„ Phygellus, & Hermogenes, & Philetus, &
Hyme-

Digitized by Google

„ Hymenæus reliquerunt: ipſe traditor Chriſti „ de Apoſtolis fuit. Miramur de Eccleſijs „ ejus, ſi à quibuſdam deſeruntur; cùm ea „ nos oſtendunt Chriſtianos, quæ patimur ad „ exemplum ipſius Chriſti: *Ex nobis*, inquit, *pro-* „ *dierunt, ſed non fuerunt ex nobis: ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum*". Hi ſunt, qui ut ſuam inſtabilitatem juſtificent, *mulieri forti* imbecillitatem improperant: atque adeò *viro in eâ confidenti* inſultant. Qualibus obvians Cyprianus Martyr, F. Adulterari, inquit, non „ poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt & pudi- „ ca, unam domum novit, unius cubiculi „ ſanctitatem caſto pudore cuſtodit: hæc nos „ Deo ſervat, hæc filios regno quos genera- „ vit aſſignat. Quiſquis ab Eccleſiâ ſegregatus „ adulteræ jungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſe- „ paratur; nec perveniet ad Chriſti præmia, „ qui reliquit Eccleſiam Chriſti: alienus eſt, „ profanus eſt, hoſtis eſt; habere jam non po- „ teſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem". De eadem & Auguſtinus: G. Pu- „ gnare poteſt, inquit, expugnari tamen non „ poteſt. Omnes hæreſes de illâ exierunt, tan- „ quam ſarmenta inutilia de vite præciſa: ipſa „ autem manet in radice ſuâ, in vite ſuâ, in „ charitate ſuâ: Portæ inferorum non vincent eam". Qui rurſus lib. 2. ejuſdem Operis cap. 13. tantæ matris filios alloquens: "Filii boni, „ inquit, amate tantam matrem: filii boni „ nolite deſerere quotidie vos requirentem. „ Rependite vicem, amate amantem. Tanta „ eſt, talis eſt, nobilis eſt, regiâ prole fœcun- „ da eſt: non eam patiamini aut filiorum ma- „ lorum, aut peſſimorum ſervorum injuriis „ atque inſidiis macerari; exerite ejus am- „ pliſſimam dignitatem, ſervus malus non in- „ ſultet dominæ, hæreticus non inſultet Ec- „ cleſiæ: lupus eſt, agnoſcite; ſerpens eſt, „ ejus caput conquaſſate. Blanditur, ſed fallit: multa promittit, ſed decipit". Eoſdem quoque ſanctæ matris filios alloquens Epiphanius: H. Vos, inquit, ſapientis illius ac for- „ tiſſimæ mulieris eſtis filii, cujus decus & „ gloriam Salomon his verbis expreſſit, *Mulierem fortem quis inveniet*? Quare cùm raram „ illam eſſe, vel potiùs ſingularem indicet, vos „ quod melius eſt eligite, & quod utile eſt „ adamate. *Fortem* verò *mulierem* ad Eccleſiam „ Dei matremque veſtram pertinere putate, „ quâ nihil poteſt eſſe fortius; ut quæ ſingu- „ lis quibuſque perſecutionibus pro viri ſui „ nomine, mortem oppetat: eadem verò „ candidiſſima mulier de ſponſo ſuo diligenter „ ſciſcitatur in canticis, *Ubi quieſcis in meridie*"? Nunquid ergo quæ talis eſt, & tanto tempore talis inter tot ac tantas tentationes perſeveravit, jure meritò id aſſecuta eſt, ut *confidat in eâ cor viri ſui*?

F. Cyprian. L. de Unit. Eccleſiæ.

G. Auguſt. lib. 1. de Symbolo ad Catech. c. 6.

H. Epiphan. in Anchorato n. 103. & 104. editionis Petavianæ.

Prov. 31. 10.

Cant. 1. 6.

LIII. Obſcurius forſan & expeditu difficilius cuipiam videbitur illud quod apud Salomonem in textu ſubnectitur, ubi cùm præmiſſum fuiſſet de muliere forti, *confidit in eâ cor viri ſui*, additur eveſtigiò, *& ſpoliis non indigebit*: quod perinde ſonare videtur, ac ſi diceretur: *Spoliis abundabit.* Non apparet autem, quomodò cor ſponſi tam ſancti ac juſti confidere queat in muliere, quantumvis pudicâ, quæ vivat ex rapto, quæ diteſcat de alieno, quæ abundet ſpolio. Neſcio an ad præamputandum hunc ſcirpum Joannes Maldonatus aliam hujus loci interpretationem adhibuit, quàm veteres Tractatores adhibere conſueverant, dicens, „ I. *Et ſpoliis non indigebit*, id eſt, habebit domi „ omnem ſupellectilem, ut non opus illi ſit „ ſpoliare alios, ut ſe veſtiat: ejus enim uxor ſuppeditabit illi omnia". Ubi inprimis non de muliere ipſâ, ſed de viro ejus cenſet dici, *ſpoliis non indigebit*: deinde exiſtimat eandem clauſulam non importare ſpoliorum ſufficientiam, nedum abundantiam; ſed potiùs ab eis abſtinentiam, idque ob domeſticæ ſupellectilis affluentiam. At profectò in utroque puncto author videtur ſingularis: unde nec ipſe ullum prorsùs ſuæ interpretationis authorem vel fautorem profert. Cæterùm quoad priorem partem ei adverſatur non ſolùm veterum Tractatorum expoſitio, ſed & Scripturæ ipſius à 70. Interpretibus digeſta tranſlatio, quæ in Regiis Bibliis Latinè ſic exhibetur, *Quæ talis eſt, pulchris ſpoliis non egebit.* Non ait, qui talis eſt: ſed, *quæ talis eſt* &c. Manifeſtum proinde eſt, non de viro, ſed de muliere eſſe ſermonem. Quoad alteram partem, longè à Maldonati ſenſu abſunt Patres, ſignanter Ambroſius, cujus verba in eum locum ſunt: „ K. Mulier hæc ſpoliis non indiget, non quia „ non quærat, ſed quia abundat multis: un- „ dique Mundum ſpoliat, rapit undique tro- „ phæa diabolo. Ideò dicit viro ſuo, ſicut „ ſcriptum eſt in Pſalmo: *Exulto ego in verbis* „ *tuis, ſicut qui invenit ſpolia multa.* Quemad- „ modùm ſpoliis indigebit, quæ undique ra- „ pit, undique trahit, undique acquirit, undique operatur bona"? Eadem penè verbatim habet Auguſtinus Serm. 45. de Diverſis cap. 4. quem ſecuti Beda & Rabanus, uno velut ore ſic interpretantur: L. *Spoliis non indigebit*, Spo- „ liat enim diabolum Eccleſia, cùm per præ- „ dicatores ſuos, eos quos ipſe deceperat, ad „ veritatis iter revocat. Et benè dicitur, *Spo-* „ *liis non indigebit*, quia nunquam ceſſabit Ec- „ cleſia liberatas à diabolicâ fraude animas „ Chriſti fidei reſtituere, donec completo „ Mundi curſu, ſuorum quoque præfinita compleatur ſumma membrorum". Idipſum Arboreus quoque paululùm mutatis voculis expreſſit, dicens: M. *Et ſpoliis non indiget*, nun- „ quam enim ceſſabit animas diaboli veneno

I. Maldona. in caput 31. Prov. v. 11.

K. Ambroſ. in caput 31. Prov.

Pſ. 118. 162.

Auguſtinus.

L. Beda & Rabanus in cap. 31. Proverb. & rurſus Beda lib. De muliere forti litt. Beth.

M. Arboreus in caput 31. Proverb.

Digitized by Google

„ faſcinatas ad ovile Chriſti reducere, & pri-
„ ſtinæ fidei reſtituere. Spoliat etiam diabo-
„ lum Eccleſia, quum diligentiâ ſuorum præ-
„ dicatorum, quos ille deceperat, ad veritatis iter revocat". Omitto Hieronymum, cui attributus in Proverbia Commentarius iiſdem verbis hanc Sententiam aſtruit, quibus Beda & Rabanus mox relati. Oſtendimus quippe ſuperiùs §. 47. Commentarium illum in Proverbia falsò attribui Hieronymo: quippe cujus author ipſum citat Hieronymum, & quidem cum epitheto *Sancti*: quod planè alienum eſt à modeſtiâ Hieronymi. Falsò ſimiliter eidem Hieronymo affingitur Commentarius in Threnos Hieremiæ; cùm revera Rabani ſit, qui eum conflavit ex diverſis authoribus, Hieronymo ut plurimùm recentioribus, ſignanter ex Gregorio Magno, qui duobus penè ſæculis Hieronymum ſubſecutus eſt. Omiſſo igitur ſuffragio illius Pſeudo-Hieronymi, exiſtimo ſuffragia reliquorum mox adductorum ſufficere ad perſuadendum contra Maldonatum, quòd de Eccleſiâ ſpoliis abundante intelligatur Salomonica illa clauſula, *Spoliis non indigebit.* Neque verò id in dedecus, ſed in magnum decus Eccleſiæ vergit: non enim omnis ſpoliatio culpanda eſt, ſed aliqua laudanda, & ſtrenuè exercenda: alioquin non in laudem juſtorum dixiſſet Sapiens, *Juſti tulerunt ſpolia impiorum:* nec Apoſtolus fidelibus commendaſſet *expoliationem veteris hominis, cum actibus ſuis:* nec idem Apoſtolus ibidem de Chriſto, mulieris hujus fortis viro, præmiſiſſet: *Expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo.* Quid glorioſius Eccleſiæ, quàm in hoc *expoliationis* facinore imitari ſuum ſponſum, de quo dictum fuit divinitùs, *Voca nomen ejus, Accelera ſpolia detrahere, Feſtina prædari: quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ.* Hic ipſe cùm de diabolo *principe hujus Mundi*, alicubi dixiſſet, *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet:* continuò ſeipſum innuens adjecit, *Cùm autem fortior illo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet:* N. Sicut David, inquit Ambroſius,
„ abſtulit Goliæ gladium, & ipſius gladio ca-
„ put ejus exſecuit: ſic verus David, humilis
„ atque manſuetus Dominus Jeſus, intelligi-
„ bilis Goliæ caput armis ipſius amputavit.
„ Arma diaboli Gentes erant: fide autem
„ Gentium vulneratus, caput quod habebat
„ amiſit: detracta ſunt ſpolia proſtrato, vaſa
„ ejus direpta, quia alligatus eſt fortis. Vas
„ diaboli caro erat hominis peccatoris: ſed
„ poſteaquam in Chriſtum credidimus, caro
„ noſtra cœpit eſſe vas electionis, ut habes de
„ Apoſtolo Paulo, qui ad Gentes miſſus eſt,
„ dictum à Domino Jeſu ad Ananiam: *Vade,*
„ *quoniam vas electionis mihi eſt.* Meritò ergo vo-
„ catum eſt nomen Chriſti, *Velociter ſpolia de-*
„ *trahe, divide citò: quia priùs quàm ſciat puer vo-*
„ *care patrem aut matrem, accipiet virtutem Da-*
„ *maſci, & ſpolia Samariæ, contra Regem Aſſyrio-*
„ *rum.* Ergo Rex Aſſyriorum, eorum ſcili-
„ cet quos ſua fecit perfidia vanos, amiſit ſpo-
„ lia quæ tenebat. Et ut iterùm cognoſcas
„ quia ſpolia Chriſtus à diabolo, quæ in
„ Adam ille invaſerat, vendicavit, & Saba
„ dona adduxit: viri excelſi ad Dominum
„ Jeſum alligati vinculis tranſierunt, atque
„ cœperunt illum adorare, qui *captivam duxit captivitatem*". Hunc igitur virum, ſpoliis de diabolo & Mundo reportatis abundantem, imitari ſtudens *Mulier fortis*, promerita eſt, ut cæteris ejus præconiis à Salomone interſereretur illud, *Spoliis non indigebit.*

Pſeudo-Hieronymus.

Vide Sixtum Senenſem & Bellarminum in Hieronym.

Sap. 10. 19.

Col. 3. 9.

Col. 2. 15.

Iſa. 8. 3. & 4.

Luc. 11. 21.

Ibid. v. 22.

N. Ambroſ. in Pſal. 118. litt. Scin. Vide Hilar. ibid. & Baſil. in caput 8. Iſaiæ, & Aug. lib. 13. de Trinit. cap. 15. & Epiſt. 107. & Maximum Homil. 2. de Pentecoſte, & Cyrill. Alex. in caput 8. Iſaiæ.

Act. 9. 15.

Iſa. 8. 3. & 4.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Elucidantur duo ſequentes ejuſdem Poëmatis verſiculi, tertius ſcilicet & quartus: quorum priorem inchoat littera Gimel, *quæ interpretatur* Plenitudo; *poſteriorem* Daleth, *nota* tabularum. *Eccleſia agnoſcens divinorum erga ſe beneficiorum multitudinem, rependit Deo obſequiorum ſuorum plenitudinem;* Reddens ei bonum, & non malum; *non utique obiter aut per tranſennam, ſed* omnibus diebus vitæ ſuæ: *ut jam non ſibi, ſed illi vivat, qui pro ipsâ vitam poſuit.* Tabularum *legis* plenitudo *eſt dilectio, primò quidem Dei, ac deinde proximi propter Deum; in quem referenda univerſa opera noſtra, non ſolùm intima, in* lino *denotata; ſed & extima, per* lanam *ſignificata: ut ſecundùm utrumque hominem ei obſequamur, quem utriuſque opificem profitemur. Vanum eſt lucere, niſi lucens ardeat; & parum eſt ardere, niſi ardens luceat. Providenda itaque ſunt bona coram Deo pariter & hominibus. Quid* operari conſilio manuum ſuarum: & *quid* intellectus manuum *apud Pſalmographum? Ad perfectionem non ſufficit contemplatio, ſed ei jungenda eſt actio.*

LIV. QUoniam *Mulier* iſta *fortis*, id eſt,
Eccleſia Sponſa Chriſti, divino
magiſterio didicit unde hauſerit
fortitudinem non ſolùm ad reſi-
ſtendum hoſtibus ſuis, ſed etiam
ad vincendum ac vinciendum eoſdem, ſpoliis
etiam opimis exutos; prorupit in illam Pſal-
Pſal. 115. 12. miſtæ vocem: *Quid retribuam Domino, pro omni-
bus, quæ retribuit mihi?* Cùm autem nihil ei
præſtantius ac opportunius incideret, quàm
omnia ſua obſequia tanto Largitori nuncu-
pare, protulit animitùs illud ejuſdem Pſal-
Pſal. 44. 2. miſtæ hemiſtichium, *Dico ego opera mea Regi.*
Hoc indicare volens in Alphabetico ſuo car-
mine Salomon, tranſeundo ad tertiam Alpha-
bethæ litteram, quæ *Gimel* dicitur, & *plenitudo*
Prov. 31. 12. interpretatur, ait, *Reddet ei bonum, & non ma-
lum, omnibus diebus vitæ ſuæ.* Apud 70. Inter-
pretes in Latinum verſos legitur: *Operatur viro
ad bona omni vita:* Ambroſius legit, *Operatur
viro bonum, & non malum, totâ vitâ:* Auguſtinus
item, *Operatur viro ſuo bona, & non mala, in omni
tempore:* ut vel hinc appareat, non malè à no-
bis mox introductam fuiſſe proferentem illud
Pſaltis, *Dico ego opera mea Regi.* Vir quippe ejus,
Apoc. 19. 16. *Rex eſt Regum, & Dominus dominantium:* cui ipſa
addicit opera ſua univerſa, *Gimel* ſcilicet, pro
Gimel; plenitudinem, pro plenitudine, id eſt,
plenitudinem operum, pro plenitudine mu-
nerum; plenitudinem obſequiorum ſuorum,
pro plenitudine chariſmatum perceptorum:
o Ambroſ. in caput 31. Prov. c. 1. „ o. Hæc mulier, inquit Ambroſius, quia ex-
„ poliat Mundum, rapit Gentes; totâ vitâ
„ operatur bonum: Verùm non ſibi, ſed viro;
„ ut quæ *iam non ſibi vivat, ſed ei qui pro omnibus* *2. Cor. 5. 15.*
„ *mortuus eſt, & reſurrexit.* Viro ergo operatur
„ bonum, illi ſervit, illi devota eſt, illum
„ diligit, illi placere ſemper ſtudet. Non ſe
„ ornat nec propter ſuos, nec propter alienos
„ oculos: non quærit hominibus placere, non
„ quærit quæ ſua ſunt, operatur omnia viro
ſuo". Et Auguſtinus: p. Expoliat, inquit, *p. Auguſt. Serm. 45. de Diverſis. cap 4.*
„ mulier iſta Gentes, operando viro ſuo bona,
„ & non mala: in omni tempore operatur bo-
„ num & non malum; nec ſibi, ſed viro: *ut
„ quæ vivit, iam non ſibi vivat, ſed ei qui mortuus
„ eſt pro omnibus, & reſurrexit.* Viro ergo ope-
„ ratur bonum, coram Deo operatur bonum:
„ illi ſervit, illi devota eſt, illum diligit, illi
„ placere ſemper ſtudet & deſiderat. Non ſe
„ ornat nec propter oculos ſuos, nec propter
„ oculos alienos: non eſt de ſibi placentibus,
„ non eſt de ſua quærentibus: operatur enim
„ viro ſuo. Qui autem ſibi operantur? *Omnes* *Phil. 2. 21.*
qui ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti". Arboreus
in explanatione ejuſdem verſiculi: q. *Gimel,* *q. Arbor. in cap. 31. Prov. litt. Gimel.*
„ inquit, plenitudo dicitur, vel retributio. Re-
„ feret igitur Eccleſia gratiam ſuo ſponſo pro
„ maximis beneficiis acceptis, & prompto ani-
„ mo propenſiorique voluntate accepta munera
„ penſabit, nec ingratitudinis notâ inuretur.
„ Accinet & Deo optimo laudes, quòd ſancti-
„ ficata fuerit lavacro aquæ in verbo vitæ, &
„ illuſtrata fuerit donis ſapientiæ & intellectûs.
„ Neque abſurdè adjectum eſt, *& non malum:*
„ nam in bonis operibus & aſſiduo virtutum
„ exercitio perſeverabit, & omnibus diebus
„ vitæ ſuæ *ſerviet Domino in ſanctitate & iuſtitiâ*". *Luc. 1. 75.*
Venera-

Venerabilis Beda, uti & Rabanus, locum hunc intelligit indifferenter vel de anima fideli, vel de Eccleſiâ, in quâ nimirum eſſe decet *Multitudinis credentium cor unum, & animam unam*: [R.] Quia, ait Beda, quicquid boni ſan-„ cta Eccleſia, vel anima quæque fidelis, agit, „ hoc deſuper accipit, rectè ſubditur: *Reddet* „ *ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ ſuæ.* „ Reddit quippe Chriſto bonum, quùm per-„ ceptis ab eo vitæ muneribus rectè vivendo „ reſpondet; quùm ea quæ ipſa ſcire vel face-„ re ab ipſo adjuta potuit, etiam aliis intima-„ re ſatagit. Benè autem cùm dixiſſet, *Reddet* „ *ei bonum*, protinùs addidit, *Et non malum*: „ quia ſunt profectò, qui acceptis à Domino „ bonis, mala rependunt; vel fidei myſteria, „ quæ perceperant, hæreticâ fæce fœdando; „ vel fidem, quam profeſſione ſervant, pravis „ operibus blaſphemando; vel mores bonos, „ quibus cum fide rectâ deſerviunt, per collo-„ quia mala corrumpendo. Sed nec illi bona ac-„ cepta Domino reddunt, qui non in his quæ „ benè inchoant, uſque ad finem vitæ præ-„ ſentis perſiſtere curant. Unde meritò cùm „ dixiſſet, *Reddet ei bonum, & non malum*; ut „ perſeverantiam boni neceſſariam demon-„ ſtraret, addidit, *omnibus diebus vitæ ſuæ*: cui „ ſimile eſt illud Euangelicum, *Serviamus illi* „ *in ſanctitate & iuſtitiâ coram illo, omnibus diebus* *noſtris*". Obiter ex Ambroſii & Auguſtini locis mox adductis obſervandum eſt, *Mulierem fortem*, ſive Eccleſiam, non ſibi, nec alteri cuipiam præterquàm viro ſuo, *Operari bonum totâ vitâ*, ſive *omni tempore*: quia nimirum divino magiſterio edocta eſt *Omnia in gloriam Dei facere.* Unde & ipſa filios ſuos ad ſui imitationem incitans, ait ipſis per unum ipſorum, *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.* Sed quia de hac operum in Deum relatione ſufficienter diſſeruimus priori hujus Operis libro cap. 144. per totum, eò Lectorem remittimus, pleniùs erudiendum.

Act. 4. 32. — *R. Beda l. de Muliere forti, litt. Beth & Gimel. Vide eund. cum Rabano in c. 31. Proverb.* — *1. Cor. 10. 31.* — *Col. 3. 17.* — *Vide lib. 1. cap. 144.*

LV. Procedit Salomon ad quartam Alphabeti litteram *Daleth*, quam ſuperiùs §. 48. ex Hieronymo ſuggeſſimus interpretari *Tabularum*: ut proinde imperfectam videatur habere ſignificationem, niſi ei prænectatur littera *Gimel*, plenitudinem importans; quibus unà connexis fit *plenitudo tabularum.* Meminerimus igitur binarum tabularum, quibus Decalogus fuerat pridem inſcriptus, & veteri Eccleſiæ in Deſerto conſignatus: nec nos prætereat dixiſſe Apoſtolum, *Plenitudo legis eſt dilectio*; & Dominum à Legiſperito interrogatum, *Quod eſſet mandatum magnum in lege*, reſpondiſſe de mandato dilectionis Dei, ſubjunxiſſeque pro ſecundo mandatum dilectionis proximi; ac tum ad extremum concluſiſſe, dicendo: *In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ.* Poſtquam igitur Salomon ſuperiori verſiculo, à litterâ *Gimel* inchoato, mulierem fortem inde laudaſſet, quòd *bonum operaretur viro ſuo iugiter*; ac per hoc impleret mandata primæ tabulæ, ex mandato dilectionis Dei pendentia: perrexit eandem laudare ex eo, quòd etiam proximo dilectionem impenderet, juxta ſecundum mandatum à Chriſto memoratum, unde altera legis tabula universè dependet; hacque ratione perfecit ejus laudem, attribuendo ei *Plenitudinem tabularum.* Quartus itaque Alphabetici Carminis verſus, à litterâ *Daleth* in Hebræo textu incipiens, in Latino vulgato textu ſic jacet: *Quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Apud 70. Interpretes latinè redditos, ſic: *Filans lanam & linum, fecit quod utile eſt, manibus ſuis* [S]. Hujus principium „ verſiculi, inquit Beda, *Mulier fortis*, hoc eſt, „ Sancta Eccleſia, etiam juxta litteram ac-„ cipere & obſervare conſuevit, juxta illud „ Propheticum: *Cùm videris nudum, operi eum,* „ *& carnem tuam ne deſpexeris.* Operatur autem „ non ſupervacuo & cæco labore, ſed eo utique „ *conſilio*, ut ab ipſo ſuo viro, Domino vide-„ licet Chriſto, mereatur audire in judicio: „ *Nudus fui, & operuiſtis me*; &, *Quamdiu fe-* „ *ciſtis uni de his minoribus meis, mihi feciſtis.* Ope-„ ratur autem *conſilio manuum ſuarum*, hoc eſt, „ earum perſonarum, per quas eleëmoſynam „ pauperibus diſtribuit: in quorum opere de-„ voto utitur illo ſaluberrimo *Conſilio*, ut cùm „ *diſpergit & dat pauperibus*, non ipſa ab homi-„ nibus laudetur ad tempus, ſed *iuſtitia eius ma-* „ *neat in ſæculum ſæculi, cornu eius exaltetur in glo-* „ *riâ.* Poſſunt autem myſticè in *lanâ*, quæ „ ovinus eſt habitus, omnia pietatis & ſim-„ plicitatis opera, quæ proximis impendimus, „ accipi: poteſt & in *lino*, quod ex terrâ vi-„ rens oritur, ſed longo ac multiplici exer-„ citio amittit humorem nativum atque ad „ gratiam novi candoris pervenit, caſtigatio „ noſtræ carnis intimari: cui ingenitas vitio-„ rum ſordes dum per continentiam excoqui-„ mus, dignam profectò eam quâ Chriſtum „ induamus efficimus, juxta illud Apoſtoli, „ *Quotquot ergo in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum* „ *induiſtis.* Quærit ergo mulier fortis *lanam &* „ *linum, & operatur conſilio manuum ſuarum,* „ quùm Eccleſia Sancta ſollicitè perquirit, „ quibus ſe pietatis fructibus exerceat, quo-„ modò ſe à carnalibus emundet illecebris: „ & hoc utrumque *conſilio* prudentiſſimo, „ hoc eſt, ſupernæ ſolummodò retributionis intuitu, facit". Hæc eadem leguntur iterum apud eundem Bedam in Commentario capitis 31. Proverbiorum, uti etiam apud Rabanum & Hieronymaſtrum ibidem: quorum prolixiores explanationes delibavit & abbreviavit Arboreus in eundem locum, retento interim eodem ſenſu.

Rom. 13. 10. — *Mat. 22. 36.* — *Ibid. v. 40.* — *Prov. 31. 13.* — *S Beda lib. de Muliere forti, litt. Daleth.* — *Iſa. 58. 7.* — *Mat. 25. 36. & 40.* — *Pſ. 111. 9.* — *Gal. 3. 27.* — *Beda.* — *Rabanus. Hieronymaſter. Arboreus.*

Sed

Sed paulò diverſè, etſi non adverſè, Ambroſius, & eum per omnia ſecutus Auguſtinus, utentes editione 70. Interpretum hìc ſuprà exhibitâ: T· Lanificam & linificam, aiunt ipſi, „ matronam hanc ſanctus ſermo deſcribit. „ Quæritur modò à nobis, quid ſit *lana*, quid „ ſit *linum*? Lanam carnale quid puto, linum „ ſpiritale. Hoc audeo conjicere ex ordine „ veſtimentorum noſtrorum: nam veſtimen- „ torum noſtrorum interiora ſunt linea, ex- „ teriora lanea. Quicquid carne operamur in „ propatulo eſt: quicquid ſpiritu, in ſecreto. „ Operari carne, & non operari ſpiritu, quam- „ vis bonum videatur, utile non eſt: opera- „ ri autem ſpiritu, & non operari carne, pi- „ grorum eſt. Invenis hominem porrigen- „ tem manu eleemoſynam pauperi, de Deo „ tamen ibi nec cogitantem, ſed hominibus „ placere cupientem: lanea veſtis eſt, quæ vi- „ deri poteſt, interiorem lineam non habet. „ Invenis alium, dicentem tibi: Sufficit mihi „ in conſcientiâ meâ Deum colere, Deo ſer- „ vire; quid mihi opus eſt in Eccleſiam ire, „ aut viſibiliter miſceri Chriſtianis? Lineam „ hic vult habere, ſine laneâ tunicâ. Non no- „ vit, non commendat talia opera Mulier iſta. „ Docenda quidem ſunt hæc ſpiritalia, ſed „ doceri ſine carnalibus non poſſunt. Illi ta- „ men qui recipiunt, debent tenere ſpiritalia, „ & non carnaliter carnalia operari. *Filavit* „ *hæc mulier lanam & linum; & fecit utile mani-* „ *bus ſuis.* Multi filant lanam & linum, ſed „ pauci faciunt utilia manibus ſuis: mulier „ hæc filavit, & fecit; ideò ei alibi dicitur, „ *Protende funiculos tuos, & clavos conforta, adhuc* „ *in dexteris & ſiniſtris dilata: & ſemen tuum Gentes poſſidebit*".

T. Ambroſ. in caput 31. Proverb. & Aug. Serm. 117. de Tempore, & Serm. 45. de Diverſis cap. 5.

Prov. 31. 13. juxta 70.

Iſa. 54. 2. & 3. juxta 70.

LVI. Ex duabus prædictis interpretationibus, non quidem adverſis, ſed tamen diverſis, totidem ſubinferenda ſunt corollaria, morum directioni ac fidelium ædificationi non parùm idonea. Ex priori namque interpretatione, quam Bedæ & ſequacibus ejus attribuimus; colligere licebit quàm gnaviter & impensè ſtudeat Eccleſia ſublevare miſerias pauperum: ut quæ non ſolùm verbo prædicationis commendat eorum ſublevamen; ſed inſuper facto ipſo ad id quodammodò compellit, *Operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patientibus*: neceſſitatem utique non modò victûs, ſed & veſtitûs. Minor quippe eſt hæc, quàm illa: unde dubitandum non eſt, quin illi obviet, quæ huic occurrit. Meminit nimirùm Eccleſia ſe fide vivere, & pietate vegetari: V· Quid „ autem, inquit Leo Magnus, tam aptum fi- „ dei, quid tam conveniens pietati, quàm „ egentium juvare paupertatem, infirmorum „ curam recipere, fraternis neceſſitatibus ſub- „ venire, & conditionis propriæ in aliorum „ labore meminiſſe? In quo opere quantum „ quis poſſit, quantúmque non poſſit, ſolus „ veraciter ille diſcernit, qui novit quid qui- „ búſque contulerit. Non ſolùm enim ſpiri- „ tales opes, & dona cæleſtia, Deo donante „ capiuntur; ſed etiam terrenæ & corporeæ „ facultates ex ipſius largitate proveniunt: ut „ meritò rationem earum quæſiturus ſit, quæ „ non magis poſſidenda tradidit, quàm di- ſpenſanda commiſit". Verùm quia hac de re inferiùs ſermo redibit, cùm ad eum verſiculum fuerit ventum, *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem*: idcircò uberiore hujus corollarii proſecutione illuc remiſſâ, tranſeo ad alterum; quod ſecundæ interpretationi, ex Ambroſio & Auguſtino relatæ, conſectarium eſt. Pro quo notandum, plenam Eccleſiæ fidem non eſſe otioſam, ſed actuoſam: W· Paulus, inquit Auguſtinus, non „ quamlibet fidem quâ in Deum creditur, ſed „ eam ſalubrem planèque Euangelicam defi- „ nivit, cujus opera ex dilectione procedunt: „ *Fides*, inquit, *quæ per dilectionem operatur*". Et lib. de Fide & Symbolo cap. 1. " Quo- „ niam ſcriptum eſt, inquit, & Apoſtolicæ „ diſciplinæ robuſtiſſimâ authoritate firma- „ tum, quòd *Juſtus ex fide vivat*; eaque fides „ officium à nobis exigat & cordis, & linguæ; „ ait enim Apoſtolus, *Corde creditur ad juſti-* „ *tiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem*: oportet „ nos eſſe & juſtitiæ memores, & ſalutis: „ quandoquidem in ſempiternâ juſtitiâ regna- „ turi, à præſenti ſæculo maligno ſalvi fieri „ non poſſumus, niſi & nos ad ſalutem pro- „ ximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde geſtamus". Cùm enim quiſque noſtrûm animâ conſtet & corpore, æquum eſt ut ſecundùm utrumque impendamus obſequia noſtra Deo, & proximo propter Deum. Hinc non ſufficit interioris conſcientiæ puritas, niſi ſimul adſit exterioris operationis integritas: nec vice versâ ſufficit iſta, niſi adſit & illa. Unde *Mulier fortis*, id eſt, Eccleſia, utriuſque hujus obligationis conſcia, *quæſivit lanam, & linum*, hoc eſt, ſtuduit exteriùs opere, & interiùs corde placere ſuo viro. Vult enim hic ſponſam ſuam lucere non ſolùm coram ſe, qui *ſcrutator eſt cordis & renum*; ſed etiam coram hominibus, qui nonniſi opera exteriùs patentia contuentur: *Sic luceat*, ait ipſe, *lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona*: hoc eſt, non ſitis contenti camiſiâ lineâ, interiùs nitente: ſuperinduite tunicam laneam, exteriùs ſplendentem. Proponite vobis ob oculos Joannem Præcurſorem, de quo ſcriptum eſt, *Ille erat lucerna ardens, & lucens*: X· Magnum teſtimo- „ nium, inquit Bernardus: magnus enim eſt cui „ perhibetur, ſed major eſt ipſe qui perhibet: *Ille*

Eph. 4. 28.

V. Leo Ser. 5 de Collectis & eleemoſyna.

Prov. 31. 20.

Vide infrà § 71.

W. Aug lib. de Fide & Operibus cap. 14. Vide infrà §. 71.

Gal. 5. 6.

Gal. 3. 11.

Rom. 10. 10.

Prov. 31. 13.

Pſal. 7. 10.

Mat. 5. 16.

Joan. 5. 35.

X. Bern. Ser. de Joanne Baptiſta.

Digitized by Google

„ inquit, *erat lucerna ardens, & lucens:* eſt
„ enim tantùm lucere vanum, tantùm ardere
parum, ardere & lucere perfectum". Huic
perfectioni inhians mulier fortis, *quæſivit linum*,
quo interiùs ardeat: *quæſivit lanam*, quâ exte-
riùs luceat: atque ita diſpoſuit ſermones &
2. Cor. 8. 21. actus ſuos in judicio, ut *provideret bona non ſo-
lùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus:* pro-
videret utique, non ſortuitò, ſed conſultò;
prout indicant illa Salomonis verba de ipsâ,
Prov. 31. 13. *Operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Quæ phraſis
ne cui videatur exotica, recolendum eſt illud
quod de Davide, ſubditos ſuos innocenter &
Pſal. 77. 72. prudenter gubernante, perhibetur: *Pavit eos
in innocentiâ cordis ſui, & in intellectibus manuum
ſuarum deduxit eos.* Si datur *intellectus manuum*,
pari ratione agnoſci debet *conſilium* earundem:
Y. Euthym. in Pſal. 77. v. 72. „ Y. Per *manuum intelligentias*, inquit Euthy-
„ mius, ipſas actiones intelligit, ratione di-
ſpoſitas". Sive igitur dicatur *conſilium manuum*,
ſive *intellectus* aut *intelligentia manuum*, eòdem
recidit: ſignificatur enim utrobique pruden-
tia directiva operum, ſignanter exteriorum,
quorum potiſſima inſtrumenta ſunt manus.
Eadem quoque prudentia intelligitur nomine
judicii, cùm dicitur de quodam, *Diſponet ſermo-
nes ſuos in judicio:* alibi quoque dicitur *intelle-* Pſal. 111. 5.
ctus bonus, ut cùm ait idem Pſaltes, *Intellectus* Pſal. 110. 10.
bonus omnibus facientibus eum: Z. Ad perfectio- Z. Thodoret. in Pſ. 110. v. 10.
„ nem enim, ait ibi Theodoretus, non ſuffi-
„ cit cognitio, ſed contemplatio actione in-
„ diget: & convenit, eum qui divino intel-
„ lectu donatus eſt, cognitionem operibus or-
„ nare, & per eam intellectus largitorem co-
lere". Volens ergo Salomon *Mulieri forti* per-
fectionem attribuere, concluſit verſiculum
iſtum iis verbis, *Operata eſt conſilio manuum* Prov. 31. 13.
ſuarum.

CAPUT XVIII.

Proceditur ad quintum ejuſdem panegyrici verſiculum, cujus initium ſumitur in originali textu à litterâ He, *quæ interpretatur* Hæc, *vel* Iſta: *eoque Eccleſia comparatur* Navi inſtitoris, portanti de longè panem ſuum. *Mundus iſte inſtar pelagi eſt, in quo Eccleſia quaſi navis agitatur, procellis afflata, fluctibus pulſata, ſcopulis colliſa, piratis infeſtata; quorum aliqui nominatim ex Ambroſio memorantur: ſed quia puppim cæleſtis Pater gubernat, proram Paracletus regit, malo Chriſtus præſidet, remos Apoſtoli & Prophetæ moderantur, nunquam eliditur, nunquam mergitur, nunquam capitur. Multiplex ejus analogia cum Arcâ Noëtica perſtringitur. Quis ejus* Inſtitor, *& quis hujus Exercitor? Quas item merces evehit, & quas revehit? De inſtitoribus ſapientiæ, quibus exordia ſua debent celebres quædam Academiæ. Expenditur Euangelici peregrinaturientis dictum ad ſervos domi relinquendos,* Negotiamini dum venio. *Eccleſiæ præfectura à Chriſto hinc abituriente demandata eſt Petro, Apoſtolorum coryphæo; cujus in ſuâ ſede jugiter vivit poteſtas, & excellit authoritas, nec in hærede etiam indigno deficit dignitas.*

LVII. HIs præmiſſis, pergit panegyriſta
noſter ad quintum Alphabeti ſui
elementum, *He* dictum, id eſt,
hæc, vel *iſta*; inde inchoans verſi-
culum, quem vulgatus noſter In-
Prov. 31. 14. terpres ita tranſtulit: *Facta eſt quaſi navis inſtito-
ris, de longè portans panem ſuum.* Septuaginta
Interpretum editio in latinum verſa ſic ſonat,
*Facta eſt tanquam navis mercaturam exercens de lon-
gè, congregat autem hæc vitam.* Vulgatam editio-
A. Beda lib. de Muliere forti, litt. He. nem ſecutus Beda: A. *Inſtitorem*, inquit, nego-
„ tiatorem dicit: qui pro eo ſic vocatur ab an-
„ tiquis, quòd acquirendis multiplicandiſque Vide eundem & Rabanum in caput 31. Proverb. v. 14.
„ mercibus ſedulus *inſiſtat.* Facta eſt ergo *fortis
„ mulier, quaſi navis inſtitoris*: quia ſicut navis in-
„ ſtitoris onuſta mercimoniis, quæ in ſuâ pa-
„ triâ magis abundant, porrò per mare petit
„ peregrina; ut illic venditis quæ attulit, ca-
„ riora domum reportet: ſic nimirùm Sancta
„ Eccleſia, ſic anima quæque perfecta, virtu-
„ tum divitiis gaudet onuſtari, quibus majora
„ divinæ gratiæ dona mercetur: optimum
„ namque eſt commercium, quùm bona quæ
„ valemus operantes, primò hanc à Domino
merce-

Digitized by Google

,, mercedem recipimus, ut ad majora ſemper
,, agenda proficiamus; dehinc ut vitam per-
cipiamus æternam". Addit his Arboreus al-
teram hanc ſimilitudinem, à Beda quidem
omiſſam, non tamen minùs priore commo-
a Arboreus in caput 31. Proverb. v. 14.
dam: a Sicut etiam inſtitor non ſine multis
,, periculis maris, & ingruentibus procellis,
,, ſuam navem ducit ad portum: ita Eccleſia
,, non ſine multis tribulationibus, curis, &
,, ærumnis, filios ſuos ſpiritales ad regnum
,, Dei perducit. *De longè* autem *portat panem*
,, *ſuum*: quia pro pijs officiis, & bonis tem-
,, poralibus quæ indigentibus impartitur,
,, æternam retributionem expectat: nec quæ-
,, rit delicias, aut lautitiam ciborum; ſed ſo-
,, lam vivi panis ſaturitatem: ejus nimirùm
Mat. 11. 28.
,, qui ſuis auditoribus dicebat, *Venite ad me*
,, *omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam*
vos". Hæc *mulier fortis* rectiſſimè aſſimilatur
navi in fluctibus hujus undoſi ſæculi inter ſyr-
tes & cautes ſtrenuè naviganti, & vectores ſuos
ad portum ſalutis ſempiternæ portanti: Navi,
Prov. 30. 18. & 19.
inquam, illi, cujus *viam in mari difficilem ſibi* pro-
C. Ambroſ. in caput 30. Prov. c. 4.
fitetur Salomon. In quem locum Ambroſius:
,, C *Navem*, inquit, Eccleſiam debemus accipere,
,, in ſalo Mundi hujus conſtitutam; quæ cre-
,, bris ventorum flatibus, id eſt, tentationum
,, plagis & verberibus fatigatur: quam turbidi
,, fluctus, id eſt, hujus ſæculi poteſtates, co-
,, nantur ad ſaxa perducere: quæ etſi undarum
,, fluctibus aut procellis ſæpè vexatur, nun-
,, quam tamen poteſt ſuſtinere naufragium;
,, quia in arbore ejus, id eſt, in cruce, Chriſtus
,, erigitur, in puppi Pater reſidet gubernator,
,, proram paracletus ſervat Spiritus, hanc
,, per anguſta hujus Mundi freta duodeni in
,, portum remiges ducunt, id eſt, duodecim
,, Apoſtoli, & ſimilis numerus Prophetarum.
,, Inde *Montani* antra latratu falſi carminis re-
,, ſonant, qui duabus feminis Prophetiſſis,
,, *Priſcillâ* & *Maximillâ*, tanquam alicujus
,, Scyllæ rabidis ſuccinctus eſt canibus: in
,, iſta nave Eccleſiæ ea feliciter prætcrimus,
,, Inde in *Photinianam* Charybdim non incidi-
,, mus: inde in illud barathrum, quaſi *Dathan*
,, & *Abiron*, id eſt, in profundum mortis
,, *Vrſacij* & *Valentis*, non incurrimus: inde
,, *Arium* archipiratam, qui nos per mare ſæculi
,, ad inſtar Pharaonis perſequitur, non time-
,, mus; illam ſtellam ſervantes in cælo quæ
,, Magos perduxit ad Chriſtum, per quam nos
,, regnum Dei, qui malorum omnium eſt por-
,, tus, expectat: inde nunquam nos de hac
,, nave Eccleſiæ præcipitatos *Marcion* ille cetus
,, abſorbet, inde *Sabellius* pirata non capit; in-
,, de nobis aquilo nocere non poterit, quamvis
,, inde ſint *Antichriſti* violenta flabra ventura,
Ier 1. 14.
,, ſicut ſcriptum, *Ex aquilone exardeſcent mala.*
,, Inde Syrtes Gentilium, & periculoſos hæ-
,, reſum ſcopulos devitamus, quos ſuperja-
,, cens aquæ tenuis occultat allapſus; quia
,, hæretici ſub prætextu nominis Chriſtiani
,, abſconſa perfidiæ ſaxa fallaci confeſſione oris
,, obducunt, in quæ homines; dum illis quòd
,, Chriſtiani ſint fides habetur, impingunt.
,, Hæc ergo navis, Eccleſia eſt: quæ etſi quo-
,, tidie ſæculum iſtud tanquam aliquod pela-
,, gus ſortitur infeſtum, nunquam eliditur ad
,, ſaxum, nec mergitur ad profundum. Na-
,, vem autem Eccleſiam eſſe divinis teſtimo-
,, niis probamus; ſicut ait: *Illic tranſierunt na-* Pſ. 103. 26.
,, *ves Tharſis*: & alibi, *Adversùs omnem navem* Iſa. 2. 16.
,, *maris*: quia ſunt Eccleſiæ ſæculi, quæ to-
,, tam ſibi ſpem, quod fit in hoc tempore,
,, non tam de Deo, quàm de poteſtatibus hu-
,, jus ſæculi repromittunt. Sed quod ait, *vias* Prov. 30. 19. juxta 70.
,, *navis navigantis*, propriè ſignificat, quòd
,, miro modo in tempore perſecutionis com-
,, prehendi omninò non poſſit quemadmodùm
,, vivida per interitum, & dives per damna
,, reddatur; ſicut ait ex perſonâ ipſius Pſalmo-
,, graphus, *In tribulatione dilataſti me.* Quæ ob Pſal. 4. 2.
,, hoc multis in locis aut *Soli* comparatur, aut Cant. 6. 9.
,, *Lunæ*; quæ etſi truditur, non movetur; etſi
moveatur, reſurgit". De hac poſtremâ Ec-
cleſiæ prærogativâ; proficiendi & creſcendi
in adverſitatibus, recoli poſſunt quæ ſuperiùs Vide ſuprà
§. 4. & toto capite 3. dicta ſunt. §. 4. & toto capite 3.

LVIII. Quanquam autem ibidem ſuperiùs,
ſignanter §. 7. & 8. comparaverimus Eccle-
ſiam cum nave Noëticâ, ſive cum Arcâ illa
myſterioſâ; quam Dei conſtruxit juſſu & gu-
bernavit in undis juſtus Noë; in quâ *Teſta-* Eccli 44. 18.
menta ſaculi poſita ſunt apud illum, ne deleri poſſit
diluvio omnis caro: quia tamen hæc comparatio
multùm celebrata eſt à veteribus Tractatori-
bus, & mirificè congruit præſenti Salomonis
oraculo, quo *Mulier fortis*, id eſt, Eccleſia,
aſſimilatur *Navi inſtitoris, de longè portanti pa-*
nem ſuum: operæ pretium cenſui, ea quæ illic
adducta fuerant novo hic ſuffragiorum aucta-
rio corroborare: D. Arcam illam, inquit Cy- D. Cyprian. de Cardinalibus Chriſti Operibus, Serm. de Spiritu Sancto.
,, prianus, quæ typum gerebat Eccleſiæ, Spi-
,, ritus Sanctus & tunc regebat, & adhuc regit,
,, extra quam quiſquis perfidus evagatur, in-
,, volutus fluctibus mergitur in profundum:
,, & impoſſibile eſt eum vivere, cui non ſu-
,, perfertur ſpiritus vitæ, cujus vivificus ca-
,, lor animat omnia, & fovet, & provehit, &
fœcundat". Breviter Hilarius: E. Arca, inquit, E. Hilar. in Pſal. 146. v. 9.
Eccleſiæ formam habuit". Et ante utrumque
Tertullianus, F. Eccleſia, inquit, eſt Arca fi- F. Tertull. l. de Baptiſmo c. 8.
gurata". Idem quoque lib. de Idololatriâ
cap. 24. probat idololatras nequaquam in Ec-
cleſiâ tolerandos eſſe, quia nulla eorum figura
in Arcâ præceſſerat: "Viderimus, inquiens,
,, ſi ſecundùm archetypum, & corvus, & mil-
,, vus, & lupus, & canis, & ſerpens in Eccleſiâ
,, erit; certè idololatres in archetypo non habe-
,, tur: nullum animal in idololatren figuratum

eſt.

Digitized by Google

„ eſt. Quod in Arca non fuit, in Eccleſiâ non ſit". Et Hieronymus adverſùs Luciferianos; [G.] Arca Noë, inquit, Eccleſiæ typus fuit, dicente Petro Apoſtolo: *In Arca Noë pauci, id eſt, octo animæ, ſalvæ factæ ſunt per aquam: quod & nos nunc ſimilis forma baptiſma ſalvos facit.* Ut in illâ omnium animalium genera, ita & in hac univerſarum & gentium & morum homines ſunt: ut ibi pardus, & hœdus, & lupus, & agnus; ita & hìc juſti, & peccatores, id eſt, vaſa aurea, & argentea, cum ligneis, & fictilibus, commorantur. Habuit Arca nidos ſuos, habet Eccleſia plurimas manſiones. Octo animæ hominum in Arca Noë ſervatæ ſunt: & nos Eccleſiaſtes jubet *dare partes ſeptem, dare partes octo*, id eſt, credere utrique Teſtamento". Epiphanius item in ſuo Panario, ſcribens adverſùs *Alogos* hæreticos: [H.] Nihil adverſùs Arcam, inquit, conatus iſtorum proficit: quam ideo munire ac firmare Sanctus Noë divinâ voce commonetur, præcipiente Domino, *Linies eam bitumine intus & foris:* ut Sanctæ Dei Eccleſiæ ſpeciem præberet, quæ *bituminis* vim habet, quâ pernicioſa ac lethifera ſerpentum dogmata propulſantur: ubicunque enim *bitumen* ſuffitur, nullus ibi ſerpens moratur". Et Gregorius Papa: [I.] Quid per Arcam, inquit, niſi Sancta Eccleſia figuratur, quæ inferiùs ampla eſt, ſuperiùs anguſta? Quæ à trecentis ac quinquaginta & triginta cubitis ad unum cubitum colligitur: quia ab eâ latitudine, quam Sancta Eccleſia in membris ſuis adhuc infirmis habet, paulatim anguſtata, & in altum proficiens, ad unum tendit. Ipſa enim ratio exigit, ut credamus, quòd in illâ Arcæ latitudine omnes beſtiæ, cuncta quadrupedia, atque reptilia in inferioribus fuerint; homo verò, atque volatilia in ſuperioribus. Juxta ſuperiorem enim partem feneſtra fuit in latere, de quâ corvum & columbam dimiſit homo, ut ſi jam diluvii aqua tranſiſſet cognoſceret. Et quia Arca eadem in uno fuit cubito conſummata, homo & volatilia juxta cubitum fuerunt. Rectè itaque per Arcam univerſa Eccleſia deſignatur, quæ adhuc in multis ſuis carnalibus lata eſt, in paucis ſpiritalibus anguſta: & quia ad unum hominem, qui ſine peccato eſt, colligitur, quaſi in uno cubito conſummatur". De eâdem analogiâ fusè diſſerit Proſper lib. de Promiſſionibus & Prædictionibus Dei p. 1. cap. 7. alibi verò ſuccinctiùs, ubi ait: [K.] In conſervatione Noë, filiorumque ejus ac nuruum, in quibus omnium gentium ſeminarium diſponebatur, quanta divinæ gratiæ opera revelata ſint, ſancta Scriptura manifeſtat, dum in illâ mirandæ capacitatis Arcâ, univerſi generis animalium, quantùm reparationi ſatis erat, receptrice, congregatura ad ſe omne hominum genus Eccleſia figuratur". Et Fulgentius Epiſcopus: [L.] Arca Noë, inquit, quæ ſignificavit Eccleſiam, bicamerata, tricamerataque fuit: ſignificans tres gradus aut ordines, quos Tractatores Eccleſiaſtici ad conjugatos, continentes, & virgines retulerunt: *trigeſimum* ſcilicet ad conjugatos, *ſexageſimum* ad continentes, *centeſimum* ad virgines". Pulchrè item ac modulatè Alcimus Avitus, quondam Viennenſis Antiſtes, analogiam Noëticæ Arcæ cum Eccleſiâ Dei, in fluctibus hujus mundani ſali navigante, atque ad deſtinatum ſalutis portum victorioſè contendente, heroico carmine concinnavit, dicens inter alia: [M.] *Prægravis inſanis pulſatur motibus arca, Compageſq; tremunt, ſtridens iunctura laborat: Non tamen obſtructam penetrat vis improba, quanquam Verberet, & ſolidam fluctu feriente fatiget. Non aliter crebras Eccleſia vera procellas Suſtinet, & ſævis nunc divexatur ab undis. Hinc Gentilis agit tumidos ſine more furores, Hinc Iudæa fremit, rabidoq; illiditur ore: Provocat inde furens hereſum veſana charybdis: Turgida Graiorum ſapientia philoſophorum Inter ſe tumidos gaudet committere fluctus. Obloquiis vanos ſufflant mendacia ventos: Sed clauſam vacuo pulſant impune latratu.* Conferat Lector hoc Poëma Aviti, cum proſâ Ambroſii proximo §. relatâ; & confeſtim cernet quàm bellè concordent quoad ſenſum & ſcopum, tametſi diſcrepent verbis ac loquendi artificio. Ferunt Fridericum Imperatorem nimis infeſtum matrici Eccleſiæ, miſiſſe ejus Paſtori Gregorio IX. diſtichon iſtud, [N.] *Roma diu titubans, longis erroribus acta Corruet, & Mundi deſinet eſſe caput:* Paſtorem verò Gregorium altero iſto diſticho reſpondiſſe falſo vati, *Niteris incaſſum navem ſubmergere Petri: Fluctuat, at nunquam mergitur iſta ratis.*

LIX. Quæri demùm hìc poteſt: Quiſnam ille *inſtitor* ſit, cujus *navi* aſſimilatur *Mulier fortis*, id eſt, Eccleſia? Reſpondeo, textum denotaſſe functionem, non perſonam, ut proinde indiſcriminatim intelligi queat unuſquiſque negotiationi, præſertim tranſmarinæ, præpoſitus. In Jure civili duo extant tituli, alter *De Exercitoriâ actione*, alter *De Inſtitoriâ actione*: ex quibus colligi poteſt, *Exercitorem* ab *Inſtitore* diſtingui ſicut Dominum à ſervo, herum à famulo, ſubſtitutorem à ſubſtituto, principalem poſſeſſorem à factore ſeu mercimoniorum geſtore: imò Ulpianus illic titulo 3. generaliùs ſumit nomen *Inſtitoris*: " Cuicunque negotio, inquit, præpoſitus ſit, *Inſtitor* rectè appellabitur". Non ait negotiationi, ſed *negotio*. Apud Quintilianum quoque l. 11. cap. 1. legimus *Inſtitorem eloquentiæ*, pro eo ſumptum, qui eloquentiam venditat. Cujus fortè Quintilianicæ phraſeos imitatione duo illi eruditi magiſtri, qui de Iberniâ noſtrâ in

Galliam

G Hieron. Dialogo contra Lucif c. 8.

1. Pet. 3.20. & 21.

Eccle. 11. 2.

H. Epiphan. Hæreſi 51.

Gen. 6. 14.

I. Greg Homil. 16. in Ezechielem.

K. Proſp. l. 2. de vocat. Gent. c. 14.

L. Fulgent. lib. de Trinit. ad Felicem c. 12

Mat. 13. 8.

M. Alcimus Avitus l. 4. Poëmatum

N Apud Spondan Anno 129. n 6.

Vide Beyrlinck in Apophthegmat. Chriſtian. verbo Eccleſia.

Vide l. 14. Digeſt. tit. 1. & 3.

Ulpianus.

Quintilian. Vide lib. 8. cap. 3.

Galliam tempore Caroli Magni ad docendum pervenerunt, & Academiarum Pariſienſis & Ticinenſis fundamenta poſteà jecerunt, *venalem ſe habere ſapientiam* dixerunt: quod perinde eſt, ac ſi ſe *Sapientiæ inſtitores* profiterentur. Hiſtoria extat in Geſtis ejuſdem Caroli, per Sangallenſem Monachum editis, ubi ſic de ipſo legitur: O. Cùm in occiduis Mundi partibus ſolus regnare cœpiſſet, & ſtudia litterarum ubique propemodùm eſſent in oblivione; contigit duos Scotos *de Iberniâ* cum mercatoribus Britannis ad littus Galliæ devenire, viros & in ſæcularibus & in ſacris Scripturis incomparabiliter eruditos. Qui quotidie cùm nihil oſtenderent venale, ad convenientes emendi gratiâ turbas clamare ſolebant: *Si quis ſapientiæ cupidus eſt, veniat ad nos, & accipiat eam; nam venalis eſt apud nos.* Quam idcircò venalem ſe habere profeſſi ſunt, quia populum non gratuita, ſed venalia mercari viderunt: ut ſic vel ſapientiæ ſicut cæteris rebus coemendis eos incitarent; vel, ſicut ſequentia comprobant, per tale præconium in admirationem verterent & ſtuporem. Denique tamdiu conclamata ſunt iſta, donec ab admirantibus, vel inſanos illos putantibus, ad Caroli Regis, ſemper amatoris & cupidi ſapientiæ, aures perlata fuiſſent. Qui ſub omni celeritate ad ſuam eos præſentiam evocatos interrogavit, ſi verè, ut ipſe famâ comperit, ſapientiam ſecum haberent? Qui dixerunt: *Et habemus eam, & in nomine Domini dignè quærentibus dare parati ſumus.* Qui cùm ab illis inquiſiſſet, quid pro ipsâ peterent? Reſponderunt: *Loca tantùm opportuna, & animas ingenioſas; &, ſine quibus iſta peregrinatio tranſigi non poteſt, alimenta, & quibus tegamur.* Quo ille percepto, ingenti gaudio repletus, primùm quidem apud ſe utrumque parvo tempore tenuit; poſteà verò cùm ad expeditiones bellicas urgeretur, unum eorum nomine *Clementem* in Galliâ reſidere fecit; cui & pueros, nobiliſſimos, mediocres, & infimos, ſatis multos commendavit, & eis prout neceſſarium habuerunt victualia miniſtrari præcepit, habitaculis opportunis ad meditandum deputatis. Alterum verò in Italiam direxit, cui & Monaſterium Sancti Auguſtini juxta Ticinenſem Urbem delegavit, ut qui illuc ad eum vellent congregari ad diſcendum, poſſent". Nunquid igitur hujuſmodi homines rectè quis dixerit *inſtitores ſapientiæ*? Rectè ſanè: & quia Eccleſia talibus abundat, prorsùs appoſitè aſſimilata eſt *navi inſtitoris*. Ut autem noverimus quis in eâ *Exercitoris*, & quis *Inſtitoris* gerat perſonam, recolamus Euangelicam parabolam, *hominis peregre proficiſcentis, qui vocatis ſervis tradidit bona ſua.* Meminerimus prætereà, hunc, alio

O. Sangall. l. 1. de Geſtis Caroli M. cap. 1.

Prov. 31. 14.

Mat. 25. 14.

Euangeliſtâ teſtante fuiſſe *hominem nobilem*, imò etiam *accipiendo regno* accinctum: & in abitu dixiſſe ſervis ſuis, *Negotiamini dum venio*, hoc eſt, prout Beda explanat: P. Verba Legis ac Prophetarum myſticâ interpretatione diſcuſſa populis offerte, atque ab eis fidei confeſſionem morumque probitatem recipite". Ecce negotiationem, quam Eccleſiaſticæ navis Exercitor Chriſtus, *homo nobilis peregrè proficiſcens*, injunxit *Inſtitoribus*, hoc eſt, Apoſtolis ſuis, & Apoſtolicis viris; ut nimirùm populis ſapientiam Legalem, Propheticalem, & Euangelicam offerant; atque ab eis fidei confeſſionem cum morum probitate recipiant? Cæterùm cùm Salomon non aſſimilet Eccleſiam, ſeu mulierem fortem navi inſtitorum, ſed *navi inſtitoris*; tacitè innuit, unum quempiam inſtitorem cæteris præeminere, cujus gubernio tota, cum ipſis, navis ſubjaceat: neque enim polyarchiam, ſed monarchiam in eâ inſtituit Exercitor; qui & alibi ait, *Quis, putas, eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore?* Q. Non vilis hic ſervus eſt, inquit Ambroſius, magnus aliquis eſſe debet. Quis ſit iſte conſideremus? Eſt PETRUS, ipſius Domini ad paſcendum gregem electus judicio, qui tertiò meretur audire, *Paſce agniculos meos, paſce agnos meos, paſce oviculas meas*". Quid eſt, *Paſce?* Utique rege, guberna, inſtrue, refice non tam ventres, quàm mentes; *Pane vitæ & intellectus ciba, & aquâ ſapientiæ ſalutaris pota*: eſto ſupremus navis meæ *inſtitor*, atque in eâ qualitate *negotiare dum venio*; verba Legis & Euangelii congruenter diſcuſſa populis offer, & ab eis ſanæ fidei profeſſionem, ac morum probitatem recipe: idque non ad pauculos duntaxat dies, aut annos: ſed, *dum venio*, hoc eſt, ad ſecundum meum uſque adventum; quando nimirùm navis mea, tuæ curæ commiſſa, peregrinationis ſuæ periodum compleverit, & ad firmam ſtationem exoptati portûs appulerit. Ex quo planum eſt, præfatam ſupremi *Inſtitoris* dignitatem nequaquam ad B. Petri perſonam brevi pòſt morituram coarctari, ſed etiam ad ſucceſſores in finem uſque Mundi ſurrogandos protendi. Unde & horum quiſpiam, pietate & eruditione conſpicuus, ait: R. Si quid à nobis rectè agitur, rectèque diſponitur; ſi quid à miſericordiâ Dei quotidianis ſupplicationibus obtinetur: illius eſt operum atque meritorum, cujus in Sede ſuâ vivit poteſtas, & excellit authoritas". Et mox iterum ibidem: "In perſonâ, inquit, humilitatis meæ, ille intelligatur, ille honoretur; in quo & omnium paſtorum ſollicitudo, cum commendatarum ſibi ovium cuſtodiâ, perſeverat; & cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit".

Luc. 19. 12.

Ibid. v. 13.

P. Beda lib. 5 in Lucam cap. 78.

Mat. 24. 45.

Q. Ambroſ. in Proœmio libri 5. de Fide ad Gratian.

Joan. 21. 15. & ſeqq.

Eccli 15. 3.

R. Leo Ser. 2. de Aſſumptione ſui ad Pontificat.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Exhibentur & ediſſeruntur duo ſequentes ejuſdem poëmatis verſiculi, ab Hebraicis litteris Vau *&* Zain *reſpectivè inchoati. Eccleſia de nocte ſurrectio quid denotet, & quid* noctis *vocabulo intelligendum veniat? Contemplativæ & activæ vitæ functiones, alternationes, ſociationes. Eccleſiæ ſponſus per diem miracula in urbibus exhibendo, & per noctem in monte orationi vacando, utriuſque vitæ munia diſcrevit, & exemplo commendavit. Contemplativæ typus in Rachele & Maria, activæ in Lia & Martha. Orante Moyſe in monte, vincebat Ioſue in valle. Mulier fortis de nocte ſurgit, quatenus Eccleſia de tribulationibus proficit. De* agro *ab hac viragine conſiderato, & empto: necnon de* vinea *per eandem plantatâ. Sicut vinea in ſeipſâ manet eadem, mutatis licèt cultoribus: ſic Eccleſia ab initio perſeverat una, ſurrogatis licèt in Iudæorum locum* Gentilibus. *Obiter & remiſſivè de variis unius Eccleſiæ ætatibus ac ſtatibus diſſeritur.*

LX. TRanſeamus modò cum Salomone ad ſextam Hebraici Alphabeti litteram, *Vau* dictam, quæ ſignificatu penè coincidit cum præcedente, atque etiam cum ſequente: prout ex Hieronymi interpretatione §. 48. relatâ videre eſt. Inde itaque exordiens proximum verſiculum, continuat encomium mulieris fortis, dicens: *Et de nocte ſurrexit, deditq; prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis.* Apud 70. Interpretes latinè verſos habetur: *Et ſurrexit de noctibus, & dedit eſcas domui, & opera ancillis.* Venerabilis Beda, cumque ſecutus Rabanus: [S.] Sicut totus, inquiunt, labentis ſæculi curſus perenni diei „ ac noctis alternatione variatur; & dies quidem ad operandum, nox ad quieſcendum „ naturaliter condita eſt: Sic totum præſentis Eccleſiæ tempus gemino quodam quietis „ & operis ſtatu diſcernitur. Quaſi enim nocte „ quieſcit, cùm aliqui fidelium ejus, intermiſsâ ad tempus ſollicitudine externâ, ſibimet vacare, ſeque ipſos ſpiritaliter incipiunt „ curare, vel lectionibus videlicet ſacris, vel „ orationibus ac lachrymis ſeſe, vel aliis hujuſmodi ſtudiis, ſecretiùs exercendo. Surgit „ autem de nocte, cùm in iiſdem ſuis fidelibus ad agendam etiam proximorum curam „ ſe ſollicita accingit. Quod fraternæ adminiſtrationis opus, duobus modis exercere „ conſuevit: quia & eos, qui foris errabant, „ ad fidei gratiam convocat; & illos qui fidei „ Sacramentis jam ſunt imbuti, ut bonis operibus ampliùs inſiſtant, excitare non deſinit. „ Unde benè dicitur, *Deditq; prædam domeſticis* „ *ſuis, & cibaria ancillis ſuis:* Dat namque prædam domeſticis ſuis, cùm eos quos antiquo „ hoſti eripere docendo potuit, ſocietati illorum qui in fide præceſsêre reconciliatos „ apponit: dat & ancillis ſuis cibaria, cùm „ humiles quoſque, & debito timore ſua juſſa „ ſervantes, ne ſub pio labore laſſeſcant, ſupernæ mercedis memoratione reficit". Eadem penè verbatim habet Arboreus in caput 31. Proverbiorum litt. *Vau*: ubi & illud de ſuo interſerit: [T.] Sequitur Eccleſia ſuum Sponſum, qui *ſeceſsit in montem ut oraret, & pernoctavit in oratione Dei*". Porrò juxta mox relatam Bedæ ac Rabani interpretationem laudatur à Salomone *Mulier fortis*, id eſt, Eccleſia, ex eo, quòd utrique vitæ, contemplativæ ſcilicet & activæ, ſtudium per vices impendat: uno namque *ſurgendi* verbo & contemplatio præcedens, & actio ſubſequens innuitur; illa quidem per modum ſomni, iſta per modum vigiliæ poſt ſomnum. Sicut enim anima dormientis contrahit vires ſuas ad interiora, dimiſſis occupationibus extraneis, quas ſomno poſtea excuſſo reſumit: ita anima contemplantis in ſe ipſam introrſum ab exterioribus revocatur; &, quaſi obſequiorum erga proximos oblita, totam ſe conſiderationi Dei, ac ſui impendit. *Mulier* itaque *fortis* de nocte ſurgens ad providendum domeſticis ſuis & ancillis, utrique huic vitæ exercendæ incumbit: idque ad imitationem Sponſi ſui, [V.] Qui, juxta Gregorium, conjunctæ utriuſque vitæ, „ activæ videlicet & contemplativæ, in ſe „ exempla monſtravit. Ab activâ enim vitâ „ longè contemplativa diſtat, ſed incarnatus Redemptor

Prov. 31. 15.

S. Beda lib. de *Muliere forti*, lit. *Vau*. Vide eundem cum Rabano in caput 31. Proverbior. v. 15.

T. Arbor. in caput 31. Proverb. lit. *Vau*. Luc. 6. 12.

V. Greg. lib. 21. Moral. c. 6. aliàs 14. Vide Hugonem Victor. l. 1. Miſcell. ſecundi codicis c. 27.

Digitized by Google

„ Redemptor noſter veniens, dum utramque „ exhibuit in ſe, utramque ſociavit: nam cùm „ in urbe miracula faceret, in monte verò „ orando continuè pernoctaret; exemplum „ ſuis fidelibus præbuit, ut nec contemplationis ſtudio curam proximorum negligant, nec rursùm curâ proximorum immoderatiùs implicati contemplationis ſtudia „ derelinquant: ſed ſic in utriſque mentem „ patiendo conjungant, quatenùs nec amorem Dei præpediat amor proximi, nec amorem proximi, quia tranſcendit, abjiciat amor Dei". Idem quoque author ſuperiùs lib. 6. ejuſdem Operis cap. 17. aliàs 25. præmiſerat in eandem rem: " Humani generis Redemptor per diem miracula in urbibus exhibet, & orationis ſtudio in monte pernoctat: ut perfectis videlicet prædicatoribus „ innuat, quatenùs nec activam vitam amore „ ſpeculationis funditùs deſerant, nec contemplationis gaudia penitùs operationis nimietate contemnant: ſed quieti contemplando ſorbeant, quod occupati erga proximos loquendo refundant. Speculando quippe, in Dei amorem ſurgitur; ſed prædicando, ad proximi utilitatem reditur". Duas quoque iſtas vitas in totidem uxoribus Patriarchæ Jacob figuratas fuiſſe perhibet idem Gregorius inferiùs ibidem cap. 18. aliàs 28. ut nimirum ſicut Jacob geſſit typum Chriſti, utriuſque vitæ exempla præbentis; ita *Rachel* & *Lia* ipſi deſponſatæ, figurarint *Mulierem fortem*, id eſt, Eccleſiam, utriuſque vitæ functionibus inſiſtentem: " Quid per *Rachelem*, ait „ ipſe ibi, niſi contemplativa; & quid per „ *Liam*, niſi activa vita ſignatur? In contemplatione quippe principium, quod Deus eſt, „ quæritur: in operatione autem ſub gravi „ neceſſitatum faſce laboratur. Unde & *Rachel* „ pulchra, ſed ſterilis; *Lia* autem lippa eſt, ſed „ fœcunda: quia nimirùm mens cùm contemplando otia appetit, plus videt, ſed Deo „ filios minùs generat: cùm verò ad laborem „ prædicationis ſe dirigit, minùs videt, ſed ampliùs parit".

Vide Augu. l. 1. de Conſenſu Evang. c. 5 & Hugonem Victor. lib. 1 Miſcell. c. 1.

LXI. Et hæc quidem pro primæ illius interpretationis illuſtratione ſufficere videntur, ut noverimus laudari à Salomone *Mulierem fortem* ex eo capite, quòd ambarum iſtarum vitarum perfectioni acquirendæ, functionique per vices exercendæ inſudet. Hac namque ratione & ſuo ſe ſponſo conformat, & pulchritudini *Rachelis* fœcunditatem *Liæ* conjungit. Non enim renuunt conjunctionem, quæ ſorores ſunt naſcendi conditione: ſicut fuerunt poſterioribus ſæculis *Maria* & *Martha*, hoſpitio Salvatoris nobilitatæ; quarum exemplum Gregorius capite proximè citato ſubjungit priori, inde mox relato: " Quid per *Mariam*, „ inquiens, quæ verba Domini reſidens audiebat, niſi contemplativa vita exprimitur? Quid per *Martham* exterioribus obſequiis occupatam, niſi activa vita ſignatur? „ Sed *Martha* cura non reprehenditur, *Mariæ* verò etiam laudatur". Et ante hunc Ambroſius: W. Nec *Martha*, inquit, in bono miniſterio reprehenditur, ſed *Maria* meliorem „ partem eligens antefertur: Jeſus enim multis abundat, & multa largitur; & ideò ſapientior judicatur, quia quod principale „ advertit elegit. Denique Apoſtoli optimum „ non putaverunt *relinquere Dei verbum, & miniſtrare menſis*. Sed utrumque tamen munus ſapientiæ eſt: nam & Stephanus *plenus ſapientiâ, miniſter eſt electus*; & ideò qui miniſtrat, doctori deferat; & miniſtrantem „ doctor invitet, & provocet. Unum enim „ corpus Eccleſiæ, etſi diverſa membra, alterum altero eget: *Non poteſt dicere oculus manui: Operam tuam non deſidero; aut iterùm caput pedibus: aut auriculâ ſe negare eſſe de corpore.* Nam „ etſi alia principalia, tamen alia neceſſaria: ſapientia in capite, actus in manibus". Ex quo Ambroſii loco perſpicitur, quòd non ſolùm per vices aut ſucceſſivè, ſed etiam ſimultaneè per diverſa ſua membra, utriuſque vitæ functiones obeat Eccleſia: exhibens ſcilicet nobis *Rachelem* & *Mariam* in ſuis oculis, contemplationi intentis, ſimulque *Liam* & *Martham* in ſuis manibus, operationi admotis. Sic in veteri Synagoga Moyſes, tanquam Eccleſiæ illius oculus, contemplativè orabat in monte, dum intereà Joſue cum ſuis, tanquam manus ejuſdem myſtici corporis, *pugnaret adverſùs Amalec in Raphidim*. X. Activa vita, „ ait quidam, cùm ſibi non ſufficit propter „ difficultates rerum vel ambiguitates cauſarum, auxilium contemplativæ requirit: ut „ quod ipſa laborando vel operando nequit „ efficere, illa orando & ſupplicando valeat „ impetrare: quia cùm Moyſes orabat in monte, Joſue vincebat in valle". Cæterùm Ambroſius, & eum ſecutus Auguſtinus, aliam verborum Salomonis interpretationem adhibent, à priori quidem diverſam, non tamen ei adverſam. Etenim per *noctem* vel *noctes* intelligunt tempus tribulationum, quibus *Mulier fortis* adeò non obruitur, ut ex adverſo potiùs *ſurgat*, hoc eſt, proficiat, efflorescat, invaleſcat: Y. *Exurgit*, aiunt ipſi, *de noctibus*: Quid „ valeant noctes in eam? Non eam premunt, „ non eam in tenebris jacere cogunt: ipſa vincit noctes, in noctibus ipſa conſurgit. „ *Noctes* tribulationes ſunt: hæc ergo *de noctibus exurgit*, quia in tribulationibus proficit. „ *Dedit cibaria domo*: quis comedit de nocte? „ Prorsùs hæc in nocte dedit cibaria, nec immeritò: nam illi quibus dedit eſcas, ſemper „ eſuriunt: *Beati* enim *qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quia ipſi ſaturabuntur*: &, *In nocte eſurivi*: & ſcriptum

Luc. 10 39.

Gregorius.

W. Ambroſ. l. 7. in cap. 10. Lucæ in fine.

Act. 6. 2.

Ibid. v. 3. & 5.

1. Co. 12. 21. & 16.

Ex. 17. 10.

X Innocent. III. Serm. 1. de Aſſump. B. Mariæ Virginis.

Prov. 31, 15. juxta 70.

Y. Ambroſ. in c. 31. Proverb. c. 3. & Aug. Ser. 45 de Diverſis c. 7.

Mat. 5. 6.

Iſa. 26. 9.

Digitized by Google

[Ibid.] „ſcriptum eſt, *De nocte conſurgit ſpiritus meus ad te* [Pſ. 118.62.] „*Deus*: & *Mediâ nocte ſurgebam ad confiteudum tibi*. „Hæc alimenta nocturna abundant in domo „mulieris hujus, nemo ibi famem patitur, „nec palpat quiſquam ut inveniat quod man- „ducet. Sed nunquid manducandum, & va- [Prov. 31.15 juxta 70.] „candum? Non utique: nam illa quæ *dedit* „*eſcas domo*, ipſa *dedit & ancillis opera*. Sed iſtæ „*ancillæ* ſuntne ipſius, an viri ejus? An quia „ancillæ viri, etiam ipſius ſunt? An quia „multæ ancillæ, & ipſa eſt? Ipſa enim quan- „quam materfamilias, tamen ſe ancillam ap- „pellare non dedignatur. Sed attendat iſta „pretium ſuum, diligat Dominum ſuum, „agnoſcat ſe ancillam, nec erubeſcat condi- „tionem: quia nec vir dedignatur eam ſibi [Eph. 5.25. & 26.] „uxorem aſſumere, quam tanti emit: *Chriſtus* „*dilexit Eccleſiam*, inquit Apoſtolus, *& ſe-* „*ipſum tradidit pro eâ, ut illam ſanctificaret*. Bona [1. Pet. 3.6.] „conjunx virum ſuum *Dominum* vocat: *ſicut* „*Sara obediebat Abrahæ*, dicebat Petrus Apo- „ſtolus, *Dominum eum vocans*. Bona, inquam, „conjunx non ſolùm vocat virum ſuum *Do-* „*minum*, ſed & hoc ſapit, hoc ſonat, hoc ge- „ſtat corde, hoc profitetur ore: tabulas ma- „trimoniales inſtrumentum emptionis ſuæ „deputat. Eſt ergo ancilla *dans opera ancillis*, [Pſal.115.16.] „& ejus eſt mater filii, qui dicit: *Ego ſervus* *tuus, & filius ancillæ tuæ*".

LXI. Porrò ſive quis priorem, ſive poſteriorem iſtam interpretationem amplecti maluerit, *Mulieris fortis* præconium à Salomone continuari perſpiciet. Neque enim parva eſt laus, contemplationem Dei cùm dilectione ac ſublevatione proximi conjungere; quod illa juxta priorem interpretationem præſtat: ſed nec minor laus eſt, univerſas Mundi tribulationes invicto animi robore, non ſolùm ſine defectu, ſed etiam cum profectu ſuperare; atque interim humilitatis virtutem corde cuſtodire, & ore profiteri; quod illa item præſtat, juxta poſteriorem interpretationem. At non hìc equidem ſiſtit panegyriſtes, quippe cui magna adhuc decurrenda ſuperſit Alphabeti portio. Tranſiens igitur ad litteram *Zain*, duabus proximè præcedentibus penè ſynonimam, inchoat inde ſequentem verſiculum iſtum: [Prov. 31.16.] *Conſideravit agrum, & emit eum; de fructu manuum ſuarum plantavit vineam*. Apud 70. Interpretes Latinè tranſlatos legitur, *Conſiderans agrum emit, & de fructibus manuum ſuarum plantavit poſſeſſionem*: Ambroſius & Auguſtinus legunt, *Proſpiciens agrum mercata eſt, & de fructibus manuum ſuarum plantavit poſſeſſionem*. Quam hi poſteriores generaliori vocabulo dicunt *poſſeſſionem*, vulgatus Interpres magis reſtrictè nuncupat *vineam*: ex adverſo autem quod vulgatus, unà cum 70. Interpretibus, expreſſit generaliori verbo *conſiderandi*, Ambroſius & Auguſtinus expreſſerunt ſpecialiori verbo *proſpiciendi*; quod utique, ultra communem rationem *conſiderationis*, importat diſtantiam ſeu longinquitatem objecti: *proſpicere* enim dicimur, cùm rem procul diſſitam intuemur. Quid magis diſſitum à *Muliere forti* in terris peregrinante, quàm cælum empyreum, quod eſt ager ſupernus cui benedixit Dominus, terra viventium cui ſuſpirant incolentes terram iſtam morientium? Z. Quæres fortè, aiunt de [Z. Amb. in caput 31. Proverbior. cap. 4. & Aug. Serm. 45. de Diverſis c. 8.] „muliere forti Ambroſius & Auguſtinus, „quid agat illis operibus etiam nocturnis? „Reſpondet Salomon, *Proſpiciens agrum mercata eſt*: Proſpiciens non in præſenti, ſed in „futuro: proſpiciens fide, ſpe, & charitate. „Et inde eſt quòd *in noctibus exurgit*: quod „enim non videmus, ſperamus, & per pa- „tientiam expectamus; & multis tribulatio- „nibus *mercatur agrum quem proſpicit*: hinc enim „*Mulier fortis* dicitur. Sed quid ſunt noctes „illæ, pro agro illo? Reſpondet Apoſtolus, „*Leve & momentaneum tribulationis noſtræ, in* [1 Cor. 4.17. & 18.] „*ſublime æternum gloriæ pondus operatur in nobis*; „*non proſpicientibus quæ videntur, ſed quæ non vi-* „*dentur*. Verùm qualis eſt *Ager* ille? Quæ „pulchritudo ejus? Non eſt ille de quo di- „ctum eſt Adæ, *Comedes herbam agri in triſti-* [Gen. 3.17.] „*tiis, cunctis diebus vitæ tuæ*: ſed eſt ager bene- „dictionis, quem ſentiens Iſaac Patriarcha di- „xit, *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui* [Gen. 27.27.] „*benedixit Dominus*. Ejus pulchritudo eſt, de „quâ dixit per Prophetam Dominus, *Et ſpe-* [Pſal. 49.11.] „*cies agri mecum eſt*. Hic ager non coactum, „ſed ſpontaneum requirit mercatorem: ideò „commendatur ille, *qui vendit omnia ſuâ, &* [Matt.13.44.] „*emit agrum illum*: requirit cor, dicente Apo- „ſtolo, *Vnuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo*; [2. Cor. 9.7.] „& quia *Vbi eſt theſaurus, ibi eſt & cor tuum*, re- [Matt. 6.21.] „quirit non ſegnem, ſed induſtrium merca- „torem". Ambroſio & Auguſtino hac in parte ſubſcribunt Beda & Rabanus: A. *Agrum*, in- [A. Beda & Rabanus in caput 31. Proverbior. v. 16. & iterùm Beda l. de Muliere forti, litt. Zain.] „quientes, dicit Salomon poſſeſſionem ſu- „pernæ hæreditatis; de quâ benedicens fi- „lium ſuum Patriarcha ait: *Ecce odor filii mei,* „*ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. „Odor quippe Sanctorum ſicut odor agri ple- „ni, cui benedixit Dominus: quia totâ men- „tis intentione contuentur, quæ ſit plenitu- „do benedictionis in patriâ regni cæleſtis. „*Conſideravit* ergo Eccleſia *agrum, & emit eum*: „quia ſtudioſè didicit quæ ſint gaudia vitæ „perennis; & pro eorum perceptione, quic- „quid potuit, laborare contendit". Hæc eadem penè verbatim habet Arboreus: quibus & ipſe eveſtigiò addit: B. Conſideravit igitur [B. Arbor. in caput 31. Proverbior. litt. Zain.] „Eccleſia hunc amœniſſimum agrum, in quo „beatæ animæ mundiſſimis deliciis, & perpe- „tuis voluptatibus fruuntur, cui cultiſſimi „agri hujus Mundi minimè conferendi ſunt: „nam flores etiam fragrantiſſimi iſtorum „agrorum, licet paſcant oculos, & nares mi- rificè

Digitized by Google

„ rificè delectent, ſubitò tamen areſcunt;
„ flores verò & deliciæ agri cæleſtis nunquam
„ marceſcunt, nec ſuam nativam pulchritudi-
„ nem perdunt. Hunc ergo agrum Eccleſia
„ multis laboribus, vigiliis, curis, & ſanctiſſi-
„ mis officiis emit: & quia pretioſiſſimus
„ theſaurus in hoc fertiliſſimo agro abſcondi-
„ tus eſt, eo invento vendidit omnia quæ ha-
„ bebat, & terrenas opes reliquit, ut hunc
agrum emeret".

LXII. Alteram ejuſdem Alphabetici ver-
Prov. 31. 16. ſiculi partem, quâ dicitur mulier fortis *De fru-
ctu manuum ſuarum plantaſſe vineam*, ſive, ut
Ambroſius & Auguſtinus cum 70. Interpreti-
Ibid. bus in Latinum verſis legunt, *De fructibus ma-*
Vide Ambr. & Aug. locis proximo §. citatis. *nuum ſuarum plantaſſe poſſeſſionem*: iidem Am-
broſius & Auguſtinus in eundem cum præce-
dente hemiſtichio ſcopum derivant: ut nimi-
rùm *plantatio poſſeſſionis*, ſit ipſa *emptio* agri cæ-
leſtis; & *fructus manuum*, meritum boni ope-
ris, quo tanquam pretio emitur aut *plantatur*
eadem *poſſeſſio*. " Ideò, aiunt ipſi ibidem,
Ibid. v. 15. „ *opera dabat ancillis*, ut *de ſuarum fructibus ma-
„ nuum plantaret poſſeſſionem in æternum*. Illam
„ ergo dixit *poſſeſſionem*, quæ futura eſt: non
„ terrena, ſed cæleſtis, de quâ ſcriptum eſt:
Joſ. 13. 33. „ *Tribui Levi non dedit Moyſes poſſeſſionem, Domi-
„ nus enim Deus Iſraël ipſe eſt poſſeſſio illorum*. Hoc
Heb. 11. 13. & 14. „ inſinuavit dum dixit, *proſpiciens*: nam *à lon-
„ gè aſpiciebat, ſignificans ſe futuram inquirere*".
Aliam verò, etſi non adverſam, hemiſtichii
iſtius interpretationem procudit Beda, con-
C. Beda & Rabanus locis proximo §. deſignatis. ſonante etiam Rabano: [C] Eccleſia, inquiens,
„ *de fructu manuum ſuarum plantavit vineam*: quia
„ de fructiferis fidelium ſuorum factis ſive
„ verbis Scripturam Sanctam condidit, per
„ quam mentes audientium in fide & dile-
„ ctione ſui Redemptoris ebriaret. Nec abs
„ re eſt, ſi *vineæ* nomine ipſam Eccleſiam, quæ
„ per *mulierem fortem* eſt deſignata, ſentiamus
„ eſſe figuratam; & eos eſſe propagines vineæ,
„ qui ſunt filii mulieris. *Mulier* autem *vineam*
„ *plantavit*, quùm Eccleſia primitiva latiùs per
„ orbem miſſis prædicatoribus ſemina fidei
„ diſperſit. *Conſideravit* namque *agrum*, cùm
„ orbem univerſum, vitiorum ſpinetis hor-
„ rentem, culturâ ſpiritali opus habere per-
„ ſpexit: *Emit* verò *eum*, quùm miſſis ubique
„ Doctoribus talenta verbi audientibus con-
„ tulit, ut eos credentes feliciſſimo Chriſti
„ mancipatui ſubderet. *Plantavit* autem in eo-
„ dem agro *vineam*, cùm in novis credentium
„ populis Eccleſiam Euangelicæ veritatis in-
„ ſtitutione firmavit. Quam quidem *vineam
„ de fructu manuum ſuarum plantavit*, quia non
„ ſolùm verbo inſtituebant Apoſtoli, Apoſto-
„ lorumque ſucceſſores, populos quos erudie-
„ bant; verùm etiam in teſtimonium bonæ ope-
„ rationis, miraculorum quoque ſigna verbis
„ doctrinæ jungebant. Sed & uſque hodie,
„ imò uſque in finem ſæculi, *Mulier fortis con-
„ ſiderat agrum, & emit eum; ac de fructu ma-
„ nuum ſuarum plantat vineam*: quia Sancta Ec-
„ cleſia ſemper ſollicita perquirit, quos ad fi-
„ dem convertere poſſit; & quoſcunque do-
„ ciles invenerit, hos datâ verbi pecuniâ in
„ ſervitium Chriſti emit; atque in iis vineam
„ Chriſti plantare, vel potiùs eos vineam
„ Chriſti facere, ſatagit". Hæc eadem in com-
pendium redacta tradit Arboreus, ac tum ſub-
dit de ſuo: [D] Hujus *vineæ* hæres Chriſtus, à D. Arbor. in caput 31. Proverbior. litt. Zain.
„ crudeliſſimis ſervis, & invidis Judæis, oc-
„ ciſus eſt. Dominus autem hujus myſticæ
„ *vineæ*, cùm reſcivit ſuum filium dilectiſſi-
„ mum ab impiis agricolis trucidatum fuiſſe,
„ vehementer illis ſuccenſuit, eoſque atrociſſi-
„ mis ſuppliciis affecit, *& vineam ſuam aliis agri-* Matt. 21. 41.
„ *colis locavit, qui reddiderunt ei fructum temporibus
„ ſuis*. Quibus adumbrantur Gentiles, qui di-
„ ligenter colentes vineam Patris cæleſtis,
„ uberem fructum fecerunt: & licèt *non ſecta-* Rom. 9. 30. & 31
„ *rentur iuſtitiam, apprehenderunt tamen iuſtitiam
„ quæ ex fide eſt: Iſraël vero ſectando legem iuſtitiæ,
in legem iuſtitiæ non pervenit*". Ubi obiter no-
tandum, vineam in ſeipsâ non dici mutatam,
ſivè aliam pro aliâ factam: ſed, *aliis agricolis
locatam*. Perſeverat enim Eccleſia ſemper una
eademque formaliter, tametſi aliis in aliorum
locum colonis ſurrogatis mutetur materialiter.
Atque hinc ſatis elucet ejus conſtantia ac for-
titudo, ut quæ toties & tam diuturnè inceſſi-
ta, non ſolùm non perimi, ſed nec vinci un-
quam potuerit: juxta illud Auguſtini §. 44.
relatum, *Mulier fortis, Eccleſia eſt: quomodò non* Vide Aug. ſuprà §. 44
*eſt fortis, quæ ab initio Mundi tantis tribulationibus
fatigatur, & tamen non vincitur*? & illud item
Hilarii proximo exinde §. adductum: *Opti-* Vide Hilar. ſuprà §. 45.
*mum eſt quicquid à pluribus incurſatum, à nullo ta-
men potuerit impelli*. Vineâ igitur manente ju-
giter non modò unâ, atque indiſtinctâ; ſed
etiam, non obſtante tam crebro hoſtium in-
ſultu, invictâ; de colonis ad colonos transla-
tio ſubinde fuit facta: prout indicat parabola
Euangelica mox relata. Cur enim nequeat
ille novos colonos ſuæ vineæ veteribus ſurro-
gare, qui *potens eſt de lapidibus filios Abrahæ ſuſci-* Matt. 3. 9.
tare; & cui facile eſt *naturales bonæ olivæ ramos* Rom. 11. 21. & 24.
*excidere, eorumque radici oleaſtrum contra naturam
inſerere*? Sed de hac re pleniùs diſſeretur in-
frà, cùm de variis Eccleſiæ ſtatibus ſive æta-
tibus tractandum fuerit.

Digitized by Google

CAPUT XX.

Octavus ejuſdem Poëmatis ſiſtitur & explanatur verſiculus, ab octavâ Hebraici Alphabeti litterâ cœptus, quæ Heth *dicitur, &* Vita *interpretatur. Diligenti vitam præſcribitur, ut declinet à malo, & faciat bonum: ad quorum prius ſpectat* lumborum accinctio, *ad poſterius* brachii roboratio. *Succingi, præcingi, accingi, quatenùs differant; & quorumnam muniorum perſonis reſpectivè congruant? Eccleſia diverſis pudicitiæ gradibus diverſa adaptat cinctoria. Tametſi caſtitas ſit Dei donum, homo tamen caſtificationi ſuæ cooperatur per arbitrium. A Deo agitur homo, ut agat bonum: adeóque ut homo quidpiam ſalubriter faciat, Deus facit prior. Chriſtus diſcipulo ad perfectionem vocato non ait, præcede me; ſed,* ſequere me*: alium præcedere geſtientem compeſcit, ut retrò redeat, appellatque* Satanam, *quòd anteire vellet. Chriſti mater Maria figuram in hoc geſſit Eccleſiæ, quòd filium pariens virgo permanſerit; ſicut hæc aſſiduè membra ejuſdem filij pariens virginitatem conſervat. Renaſcenti populo unda Baptiſmatis inſtar eſt uteri virginalis, eodem ſpiritu replente fontem, qui replevit & virginem.*

LXIII. DEcurſis ſeptem prioribus Alphabeti ſui litteris, tranſit Salomon ad octavam, *Heth* dictam, quæ interpretatur *Vita*: & quia diligenti vitam duo præſcribuntur divinitùs, nimirum *Declinare à malo*, & *facere bonum*; idcircò Salomon utrumque illud *Mulieri fortis* attribuens, verſiculum iſtum ab *Heth* inchoatum ſubjicit: *Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum*: cujus prior pars ad mali declinationem, poſterior ad boni operationem ſpectat: [E] *Accinxit* Eccleſia, ait Beda „ cum Rabano, *lumbos ſuos fortitudine*, cùm ſu„ pernorum deſideriis intenta, carnalibus ille„ cebris ſuccumbere deſpexit, *Roboravit bra„ chium ſuum*, cùm ſe ad agenda virtutum ope„ rá præparavit. Et benè, primò lumbos for„ titudine accingere, ac poſtmodùm bra„ chium roborare, dicitur: quia nimirùm „ actio boni operis acceptabilis eſſe Deo mi„ nimè valet, ſi non fluxa luxuriæ quis priùs „ à carne ſimul & mente reſtringat. Unde Pro„ pheta: *Quieſcite*, inquit, *agere perversè, diſcite „ benè facere*. Et Dominus ipſe: *Sint lumbi veſtri „ præcincti, & lucernæ ardentes*: Lumbi videli„ cet præcincti, ne luxuriæ ſubdamini; lucer„ næ verò ardentes, ut bonis fulgeatis operibus". Eadem habet ibidem Arboreus, quanquam verbis aliquantulum variatis. Sed hanc iſtis interpretationem præformarunt Ambroſius & Auguſtinus, qui, 70. Interpretum editionem ſecuti, legunt: *Præcincta*, vel *accincta*, vel *ſuccincta fortiter lumbum ſuum, firmavit brachia ſua ad opus*: [F] Verè fortis, inquit Ambro„ ſius conſonante Auguſtino: vide ſi non eſt „ ancilla. Quàm devotè ſervit? Quàm accu„ ratè præcavet, ne quâ parte influant concu„ piſcentiarum ſinus, & operantem impediant? „ *Accingit lumbos*, ut nihil ſuperfluum calcet „ dum feſtinat in opus, & ut caſtitatem cuſto„ diat. Caſtitas enim hujus *mulieris*, zonâ præ„ cepti conſtricta, ad omne opus bonum ſem„ per eſt parata. Hoc docet Chriſtus Dominus „ in Euangelio, dum dicit: *Sint lumbi veſtri præ„ cincti. Firmavit* verò *brachia ſua ad opus*: quaſi „ non defectura; quia *qui aſpicit retrò, jam non eſt habilis regno Dei*". Uno igitur iſto verſiculo laudat Salomon in Eccleſiâ, ſub perſonâ *Mulieris fortis*, duas eximias virtutes, continentiam à malis, & conſtantiam in bonis; quam poſtremam Auguſtinus generali *juſtitiæ* vocabulo ſubinde exprimit: [G] Continentiâ, inquiens, no„ bis opus eſt, & eam divinum eſſe munus co„ gnoſcimus, *Ne declinetur cor noſtrum in verba „ maligna, ad excuſationes in peccatis*. Cui autem „ peccato cohibendo non habemus neceſſariam „ continentiam, ne committatur; quando & „ hoc ipſa cohibet, ne commiſſum ſi fuerit, nefa„ riâ ſuperbiâ defendatur? Univerſaliter ergo „ *continentiâ* nobis opus eſt, ut *declinemus à malo*: „ ut autem *faciamus bonum*, ad aliam videtur „ virtutem, hoc eſt, ad *juſtitiam* pertinere. Hoc „ nos admonet ſacer Pſalmus, ubi legimus: *De„ clina à malo, & fac bonum*. Quo autem fine iſta „ faciamus, mox addit, dicens: *Quære pacem, „ & ſequere eam*. Pax enim perfecta tunc erit „ nobis, quando naturâ noſtrâ creatori ſuo „ inſeparabiliter cohærente, nihil nobis repugnabit

Vide Fulg. Sermon. de Confeſſoribus & Diſpenſatorib. Domini.
1. Pet. 3. 11.
Prov. 31. 17.
E. Beda & Rabanus in cap. 31. Proverb. v. 17. item Beda lib. de Muliere forti, litt. Heth, ſeu Cheth.
Iſa. 1. 16.
Luc. 12. 35.
Arboreus.
F. Ambroſ. in caput ... Proverb ... Vide Aug. Serm. ... Diverſis ...
Luc. 9. 62.
G. Auguſt. lib. de Continentia ...
Pſ. 140. 4.
Pſa. 33. ...
Ibid.

„ gnabit ex nobis. Hoc & ipſe Salvator voluit, quantùm mihi videtur, intelligi, ubi ait : [Luc. 12. 35.] *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes.* Quid eſt *lumbos accingere?* Libidines coercere, quod eſt continentiæ : *lucernas* verò *ardentes habere*, eſt bonis operibus lucere atque fervere, quod eſt juſtitiæ". Qui rursùs Serm. 39. de verbis Domini cap. 2. " *Lumbos noſtros*, inquit, *accinctos eſſe* Dominus voluit, & *lucernas ardentes.* Quid eſt, *lumbos accinctos?* Utique *Declina à malo.* Quid eſt, *lucernas ardentes habere?* Hoc eſt, *Et fac bonum.* Quid eſt quod adjunxit, & ait : *Et vos ſimiles eſtote hominibus, expectantibus Dominum ſuum, quando veniat à nuptiis?* Quod in illo Pſalmo ſequitur, *Inquire pacem, & ſequere eam.* Hæc tria, hoc eſt, abſtinentia à malo, & operatio boni, & ſpes præmii æterni, commemorata ſunt in Actibus Apoſtolorum, ubi ſcriptum eſt, [Act. 24. 25.] quòd docebat eos Paulus *de continentiâ, de juſtitiâ, & de ſpe vitæ æternæ.* Ad continentiam pertinet, *Sint lumbi veſtri accincti*: ad juſtitiam pertinet, *Et lucernæ ardentes*: ad expectationem Domini pertinet *Spes vitæ æternæ.* Ergo *Declina à malo*, hæc eſt continentia, hi ſunt lumbi accincti : *Et fac bonum*, hæc eſt juſtitia, hæ ſunt lucernæ ardentes : *Quære pacem, & ſequere eam*, hæc eſt expectatio futuri ſæculi". Poſtquam igitur Salomon ſuperiori verſiculo attribuiſſet *Mulieri forti* expectantiam futuri ſæculi, dicendo, *Conſiderans agrum emit eum*, ſive, ut cum Ambroſio legit Auguſtinus, *Proſpiciens agrum mercata eſt*: præſenti hoc verſiculo, ſub *accinctionis lumborum*, & *roborationis brachiorum* metaphoris, attribuit eidem ardens ſtudium continentiæ, pariter ac juſtitiæ : quæ ſunt duæ virtutes adeò amplæ ac generales, ut reliquas univerſas vel in ſe includant, vel ſub ſe contineant. Omnis enim virtus in hoc nobis opitulatur, ut *declinemus à malo*, quod eſt *continentia*; vel faciamus bonum, quod eſt juſtitiæ.

LXIV. Quanquam prædicti Tractatores promiſcuè & indifferenter utantur tribus illis verbis, *accingo, præcingo, ſuccingo*, eorumve derivativis; quiſpiam tamen eruditus Sanctarum Scripturarum perſcrutator ea ſignificationibus propriis diſcrevit; & ſubtili, ſed non planè inutili, diſcuſſione, ad mores accommodavit. Illum quippe Evangelicum locum, [Luc. 12. 35.] *Sint lumbi veſtri præcincti*, incidenter elucidans : [H. Hugo Victor. lib. 1. Miſcellan. cap. 57.] " H. *Succingimur*, inquit, ituri, *Accingimur* præliaturi, *Præcingimur* miniſtraturi. Hæc tria tribus debentur in Eccleſiaſticis diſciplinis, viæ, pugnæ, menſæ : viæ curſus, pugnæ conflictus, menſæ miniſterium. Via eſt operum, pugna hoſtium, menſa Sacramentorum. [Vide infrà § 90.] *Succingi* ergo debemus ad viam, cingulo patientiæ; *accingi* ad pugnam, gladio pœnitentiæ; *Succingi* ad menſam, linteo continentiæ. Ad patientiæ cingulum ſpectat, quod dictum eſt Petro, *Alius te cinget*: [Joan. 21. 18.] ad pœnitentiæ pugnam, *Qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat gladium*, [Luc. 22. 36.] id eſt, relinquat converſationem Mundi, & aſſumat pœnitentiæ fructum : ad linteum continentiæ, *feminalia linea Aaronis & filiorum ejus.* [Exod. 28. 42.] Hæc tria, ſcilicet curſum in via, bellum, & miniſterium, Paulus Apoſtolus & in ſe exhibuit, & alios docuit. Cucurrit enim, dicens : *Curro, non quaſi in incertum* : [1. Cor. 9. 26.] item, *Curſum conſummavi* : [2. Tim. 4. 7.] currere alios docuit, dicens, *Sic currite, ut comprehendatis.* [1. Cor. 9. 24.] Pugnavit, dicens : *Sic pugno, non quaſi aërem verberans*, & item, *Bonum certamen certavi* : [Ibid. v. 26.] pugnare docuit, dicens, *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* [2. Tim. 4 7.] Miniſtravit, dicens : *Miniſtri Chriſti ſunt, & ego* : [1. Cor. 9. 25.] miniſtrare docuit, dicens, *Vt non vituperetur miniſterium noſtrum.* [2. Cor. 11. 23.] [2. Cor. 6. 3.] *Succincti* igitur ad viam, à quatuor ejus impedimentis caveamus : eſt enim via, aſpera, ruinoſa, clivoſa, lutoſa : *Aſpera* lapidibus laborum, *ruinoſa* vallibus defectuum, *clivoſa* collibus ſucceſſuum, *lutoſa* paludibus voluptatum. Lapidibus offendimur, ruinis cadimus, collibus præcipitamur, paludibus demergimur. Accede ad pugnam, & *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum* : [Pſal. 44. 4.] etenim *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* [Job 7. 1.] Pugna hæc, hoſtium eſt ſuperabilium, licèt immortalium. Hi triplicem contra nos aciem inſtruunt : prima eſt ſuggeſtionum, ſecunda occaſionum, tertia occupationum. Prima ſuggeſtionibus impugnat, ſecunda occaſionibus expugnat, tertia occupationibus ligat. Suggeſtiones turbant affectus, & in auxilium advocant delectationem, & conſenſum : quibus niſi occurratur, vincit & non vincitur acies prima. Occaſiones impediunt ſenſus, & conſiderantur ex loco, tempore, & perſonâ : locus ſolitarius præbet audaciam, tempus nocturnum confidentiam, perſona luxurioſa & impudica anſam : hæc itaque ſunt fugienda, ne vincat acies ſecunda. Occupationes confundunt actus, & conſiſtunt circa duos actus : ſcilicet publicos, ut ſunt adminiſtrationes extrinſecæ Prælatorum, Abbatum, & ſimilium; & actus privatos, ut ſcribere, pingere, & hujuſmodi alii. Hæc ſi quis inoffenſo pede pertranſit, de tertiâ turmâ triumphat. Primâ acie, videlicet ſuggeſtionum, victa eſt Eva : ſecundâ, id eſt, occaſionum, capta eſt Dina : tertiâ, ſcilicet occupationum, corrupta eſt Thamar ſoror Abſalonis, ab Amnon. Jam per viam, & pugnam, vocaris ad menſam, quæ eſt ſacramentorum : cui quoniam miniſtraturus accedis, *Sint lumbi tui præcincti* [Luc. 12. 35.] linteo continentiæ : nam per *linteum* munditia carnis, per *lumbos* luxuria deſignatur.

Digitized by Google

„ Ad hanc *lumborum* reſtrictionem tria hæc
„ verba vim ſuam legimus accommodare; ut
„ jubeamur *ſuccingi*, *accingi*, *& præcingi*. Ait
Eph. 6. 14. „ quippe Apoſtolus, *Succincti lumbos veſtros in*
„ *veritate*: & Dominus ad Job de turbine,
Job 40. 2. „ *Accinge ſicut vir lumbos tuos*: & in Euangelio
Luc. 12. 35. „ Salvator, *Sint lumbi veſtri præcincti*. Hoc lin-
Hier. 13. 1. & ſeqq. „ teum continentiæ ſignificat *lumbare illud li-*
„ *neum Propheta, quod primò poſuit ſuper carnem*
„ *ſuam; inde tulit, & poſuit in flumen Euphratem:*
„ *cumque reverteretur ut tolleret, computruerat,*
„ *ut nulli uſui aptum eſſet*. Lumbare ſuper car-
„ nem, eſt continentia refrænans eam: po-
„ nitur in flumen, quando relaxatur in fluxâ
„ ſęculi voluptate: in eâ computreſcit, quan-
„ do inter carnales delicias continentia diſſol-
„ vitur, & perit: nulli denique uſui *lumbare*
„ jam eſt aptum, quia neque Deo neque homi-
„ nibus acceptum. Hoc *lumbare* ſignificat zona
Mat. 3. 4. 4. Reg. 1. 8. „ pellicea Joannis & Eliæ: nam uterque *zo-*
„ *nam pelliceam ſuper lumbos* legitur habuiſſe.
„ Duo porrò ſunt lumbi, voluptas permiſſa,
„ & voluptas illicita: permiſſa, in conjuga-
„ tis; illicita, in ſolutis, & devotis. Præcin-
„ gendus eſt conjugatorum lumbus, ne ad
„ aliam accedant, quàm ſuam: ſolutorum, ne
„ aliquam tangant, niſi ducant: devotorum,
„ ne tangant aut ducant. Hi enim præcingi
„ maximè debent, ut qui Dominicæ menſæ
Iſa. 52. 11. „ deſerviunt. *Mundamini*, inquit, *qui fertis*
„ *vaſa Domini*. Huic itaque menſæ qui mini-
„ ſtrant, præcingant ſe zonâ Joannis & Eliæ,
„ id eſt, continentiâ: quam quidam habue-
„ runt & habent, ut virgines perpetuò con-
„ tinentes: quidam priùs non habuerunt, ſed
„ nunc habent; ut pœnitentes: quidam nec
„ habuerunt, nec habent; ut in luxuriâ per-
„ manentes. Qui tenet, teneat; quia *Beatus*
Pſ. 118. 9. „ *qui tenebit*: qui non habet, emat: qui per-
„ didit, redimat. Præſtò eſt venditor, qui
„ corium ſuum expoſuit ad vendendum, &
„ de proprio non de alieno largas in cruce fe-
„ cit corrigias. Et pretium hujus zonæ mo-
„ dicum erit, duo ſcilicet denarii, oratio &
Mar. 9. 28. „ jejunium: *Hoc genus dæmoniorum*, inquit idem
„ ipſe venditor, *non ejicitur, niſi in oratione, &*
„ *jejunio*. Hi autem denarii non falſi ſint, ſed
„ probi: quia qui reprobam pecuniam ſolvit,
„ non ſe liberat. Nummorum autem probitas
„ in tribus conſiſtit, materiâ, pondere, figurâ:
„ materia eſt charitas, quæ auro comparatur:
„ pondus eſt ſpes, quæ à terrenis ſublevat: fi-
„ gura eſt fides, quæ ſignum crucis frontibus
noſtris imprimit".

LXV. Hæc tam prolixè deſcribere placuit, non ſolùm ut prædictorum vocabulorum diſcerniculum innoteſcat; ſed inſuper, ut lector ex iis advertat, quàm variis pudicitiæ ac continentiæ cingulis Eccleſia conſtringat filiorum filiarumque ſuarum lumbos, ne extra metas ſibi reſpectivè præſcriptas exundent, aut exudent. Quorundam enim lumbos conſtringit cingulo pudicitiæ virginalis, aliorum lumbos cingulo pudicitiæ vidualis, aliorum denique cingulo duntaxàt pudicitiæ conjugalis: juxta numerum ſcilicet & ordinem camerarum Arcæ Noëticæ; in quarum infimâ, ut Auguſtinus ait, habitat pudicitia conjugalis, ſuprà vidualis, & ſummè virginalis. *Vide Aug. l. 15 de Civit. cap. 26.* Quoniam igitur tria iſta pudicorum genera in Eccleſiâ ac de Eccleſiâ exiſtunt, magnamque ejus partem conſtituunt, rectè ipſa dicta eſt *Accinxiſſe lumbos ſuos fortitudine*, hoc eſt, præcinxiſſe ſe virtute. *Prov 31. 17.* Quâ in re ſtudet ipſa imitari ſuum ſponſum, de quo ſcriptum eſt: *Indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe*. *Pſal. 92. 1.* Abſit tamen ut ipſa hanc præcinctionem ſuis viribus arroget, ac non potiùs muneri ejus deputet, cui canit: *Deus præcinxit me virtute*. *Pſal. 17. 33.* Quia tamen non ita eam Deus virtute præcingit, ut ipſa illic nihil agat: idcircò aliquid ei attribui potuit ac debuit, ne velut inanime inſtrumentum agi putetur. Quid aliud eſt virtute pudicitiæ ſe præcingere, vel fortitudine lumbos ſuos accingere, quàm ſe caſtificare? Et tamen Joannes Apoſtolus, juxta editionem Auguſtino familiarem, ait: *Qui habet hanc ſpem, caſtificat ſe*. *1. Io. 3. 3.* Ubi Auguſtinus: [I] Videte, inquit, quemad- *I. Auguſt. Tract. 4. in Epiſt. 1. Io.*
„ modùm non abſtulit liberum arbitrium, ut
„ diceret: *Caſtificat ſemetipſum*. Quis nos caſtifi-
„ cat, niſi Deus? Sed Deus te nolentem non ca-
„ ſtificat. Ergo quòd adjungis voluntatem tuam
„ Deo, *Caſtificas teipſum*. Caſtificas te, non de
„ te, ſed de illo qui venit ut habitet in te:
„ tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideò
„ & tibi aliquid tributum eſt. Ideò autem
„ tibi tributum eſt, ut dicas, ſicut in Pſalmo:
„ *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me*. Si dicis, *Ad-* *Pſ. 26. 9.*
„ *jutor meus eſto*, aliquid agis: nam ſi nihil
agis, quomodò ille adjuvat"? Similiter & Paulus cùm ait Timotheo, *Teipſum caſtum cuſtodi*, *1. Tim 5. 22.* arbitrium quidem voluntatis aſtruxit, ſed divinæ gratiæ præoperationem non excluſit: uti nec eandem excluſit cùm ait in alterâ ad eundem Epiſtolâ, *Si quis emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum*. *2. Tim. 2. 21.* Quem locum cùm quidam gratiæ hoſtis in patrocinium ſui erroris adduxiſſet, Auguſtinus gratiæ ſimul & humani arbitrii patronus repoſuit:
„ [K] Non intelligis, ita dictum eſſe, *Si quis emun-* *K. Aug. lib. 1. Op. imperf. c. 134.*
„ *daverit ſemetipſum*, ut oſtenderetur opus ho-
„ minis per voluntatem? Sed, homo ingrate, *Prov. 8. 35. juxta 70.*
„ *Præparatur voluntas à Domino*. Ideò utrumque *Rom. 9. 23.*
„ verum eſt, quia & *Deus præparat vaſa in glo-*
„ *riam*, & ipſa quoque vaſa ſe præparant: ut
„ autem faciat homo, Deus facit prior".
Qui rursùs in Pſalmum 62. " Charitatem ha-
„ be, inquit, quo glutine agglutinetur anima
„ tua poſt Deum: non cum Deo, ſed poſt
Deum; ut ille præcedat, tu ſequaris". Et in
Pſalmum

Digitized by Google

Pſalmum 9. ad verſum 4. " Quid beatiùs, „ inquit, quàm deponere ſuperbiam, & non „ velle Chriſtum præcedere, veluti ſanus ſis, „ cui medicus non ſit neceſſarius: ſed malle „ ire poſt Chriſtum, qui diſcipulum vocans

Mat. 19.21. „ ut perficiatur, dicit: *Veni, ſequere me*"? Unde & idem Chriſtus præcipuo diſcipulorum ſuorum volenti aliquando Magiſtrum

Mat. 16.23. præcedere, velut indignabundus ait: *Vade*

L. Auguſt. in Pſal. 69. v. 4. *poſt me, ſatana*: [L] Antecedentem compeſcit, „ inquit idem Auguſtinus, ut retrò redeat: „ & appellat *ſatanam*, quia vult præcedere „ Dominum. Paulò antè *beatus*, modò *ſata-*

Ibid. v. 17. „ *nas*. Unde paulò antè *beatus*? Quia *non tibi*, „ inquit, *revelavit caro & ſanguis, ſed Pater meus* „ *qui in cælis eſt*. Unde modò *ſatanas*? Quia *non*

Ibid. v. 23. „ *ſapis*, inquit, *quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum*". In operibus ergo fructuoſis, quorum è numero eſt *accinctio lumborum* de qua tractamus, cooperatur quidem Eccleſia, & ideò dicta eſt,

Prov. 31.17. *accinxiſſe lumbos ſuos*: ſed præoperatur Deus, quia ipſe facit ut ipſa lumbos ſuos accingat. Et hinc fortè Pſaltes mox ſuprà relatus non ait, Deus accinxit me virtute: ſed maluit di-

Pſal. 17.33. cere, *Deus præcinxit me virtute*: quia etſi cinctio illa fuerit utriuſque opus, tamen priùs naturâ à Deo præoperante, quàm ab homine cooperante ac ſuboperante proceſſit. Ait quo-

Io. 14.12. dam loco Dominus, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet*. Quem locum ediſſerens

M. Auguſt. Tract. 72. in Joan. Rom. 4. 5. Auguſtinus: [M] Apoſtolum, inquit, audiamus dicentem: *Credenti in eum qui iuſtificat* „ *impium, deputatur fides eius ad iuſtitiam*. In hoc „ opere facimus opera Chriſti, quia & ipſum „ credere in Chriſtum, opus eſt Chriſti; qui „ hoc operatur in nobis, non utique ſine no- „ bis. Audi ergo jam, & intellige illud: *Qui* „ *credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet*. „ Priùs ego facio, deinde & ipſe faciet: quia „ ego facio ut faciat. Quæ opera, niſi ut ex impio juſtus fiat"? Ad hunc igitur modum facit Eccleſia opus Dei, dum *accingit fortitudine lumbos ſuos*. Hoc quippe operatur Deus in ipſâ, non utique ſine ipſâ: priùs quoque ipſe facit, deinde & ipſa facit; quia ipſe facit ut ipſa faciat. Atque ita ipſo *præcingente* lumbos ejus fortitudine, ipſa *accingit lumbos ſuos fortitudine*.

LXVI. Mihi alius quidam incidit ſenſus eorum verborum, quibus de Eccleſia

Prov. 31.17. ſub allegoriâ *mulieris fortis* dictum eſt, *Accinxit fortitudine lumbos ſuos*: ut nimirùm hac phraſi indicetur Eccleſiæ ingens fœcunditas in procreandis viro ſuo prolibus ſpiritalibus. In carnali namque generatione adeò inſerviunt lumbi propagandis fœtibus, ut hi in lumbis parentum præexiſtere, & de eiſdem egredi dicantur; ſicut Deum dixiſſe Patriarchæ Jacob

Gen 35.11. legimus, *Reges de lumbis tuis egredientur*: & alibi

2. Par. 6. 9. Davidi, *Filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipſe ædificabit domum nomini meo*. Similiter & Apoſtolum ſcimus de Iſraëlitis dixiſſe, quòd *Ipſi exierint de lumbis Abrahæ*: & poſt pauca ibi- Heb. 7. 5. dem ſubdidiſſe, quòd *Levi*, filius Jacob, *deci-* Ibid. v. 9. *matus fuerit per Abraham*: quia nimirùm, ut mox & 10. ſequitur, *Adhuc in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchiſedech*. Propter hanc igitur lumborum energiam in generatione carnali, ducta eſt metaphora ad ſeminarium generationis ſpiritalis; juxta quam metaphoram *mulier fortis*, id eſt, Eccleſia, *accinxit fortitudine lumbos ſuos*: ut quæ aliquando viſa fuerat ſterilis aut paucipara, fertilis evaderet ac multipara; præſtante nimirùm illo, *Qui habitare facit ſterilem* Pſal. 112. 9. *in domo, matrem filiorum lætantem*. Hinc eſt quòd ipſa apud Prophetam, ſuper multitudine filiorum velut attonita, cum exultatione exclamat: *Quis genuit mihi iſtos*? Et augetur admiratio Iſa. 49. 21. pariterque exultatio ob id, quòd nôrit ipſa perſeveraſſe ſe jugiter virginem, dum interim peperiſſet tam copioſam prolium multitudinem: [N] Quis eſt, inquit Auguſtinus, qui hæc N. Aug. l. 3. de Symb ad catech c. 4. „ operatus eſt, niſi virginis filius, & virgi- Vide Serm. 30 de Verb. Dom c. 9. „ num ſponſus; qui attulit matri fœcunditatem, ſed non abſtulit integritatem? Quod „ contulit matri ſuæ, hoc donavit & ſponſæ „ ſuæ. Denique Sancta Eccleſia, quæ illi in- „ tegro integra conjuncta eſt, quotidie parit membra ejus, & virgo eſt". Qui rursùs lib. 4. ejuſdem Operis cap. 1. " Virgo Maria, in- „ quit, caput noſtrum integra integrum pe- „ perit; quæ etiam ipſa figuram in ſe Sanctæ „ Eccleſiæ demonſtravit: ut quemadmodùm „ Filium pariens Virgo permanſit; ita & hæc „ omni tempore membra ejus pariens, virginitatem non amittat". Et Serm. 12. de Tempore: " Hic eſt, ait de Chriſto, *Speciosus formâ* Pſ. 44. 3. „ *præ filijs hominum*, Sanctæ Filius Mariæ, San- „ ctæ Sponſus Eccleſiæ, quam ſuæ genitrici „ ſimilem reddidit: nam & nobis eam fecit „ matrem, & ſibi cuſtodivit virginem. Ad „ hanc quippe dicit Apoſtolus, *Aptavi vos uni* 2. Cor. 11. 2. „ *viro virginem caſtam exhibere Chriſto*: de quâ „ rursùs dicit, *Matrem noſtram non ancillam, ſed* Gal. 4. 26. & 27. „ *liberam*; *cuius multi filii deſertæ, magis quàm eius* „ *quæ habet virum*. Eſt ergo Eccleſiæ, ſicut & „ Mariæ, perpetua virginitas, & incorrupta „ fœcunditas: quod enim illâ meruit in car- „ ne, hæc ſervavit in mente; niſi quòd illa „ peperit unum, hæc parit multos, congregandos in unum, per unum". Et inferiùs Serm. 16. cap. 2. fideles alloquens: " Quomodò, „ inquit, non ad partum virginis pertinetis, „ quando Chriſti membra eſtis? Caput ve- „ ſtrum peperit Maria, vos Eccleſia: nam ipſa „ quoque mater, & virgo eſt; mater viſ- „ ceribus charitatis, virgo integritate fidei: „ plures populos parit, ſed ejus membra „ ſunt cujus ipſa eſt corpus & conjunx; etiam „ in hoc ſimilitudinem gerens illius virginis, „ quòd & in multis mater eſt unitatis".

Tot itaque proles parit Eccleſia, quot fideles fiunt Chriſti membra. Ut igitur ipſa tot pariendis una ſufficere queat, providè ſibi Prov. 31. 17. conſulit, ut *lumbos ſuos fortitudine accingat*. Legimus Joan. 13. 4. ipſum Eccleſiæ ſponſum aliquando *ſe præcinxiſſe*, ut pedes diſcipulorum ſuorum lavaret. Quid ergo mirum, ſi ſponſa ejus *accinxerit lumbos*, ut tam copioſam filiorum turmam baptizando pareret, & pariendo baptizaret? O. Leo Serm. 4. de Nativit. Domini cap. 3. „ O. Spiritalem Chriſti originem, inquit Leo „ Papa, in regeneratione quiſque conſequitur: „ & omni homini renaſcenti aqua baptiſmatis, „ inſtar eſt uteri virginalis; eodem Spiritu „ Sancto replente fontem, qui replevit & vir„ ginem: ut peccatum quod ibi evacuavit ſa„ cra conceptio, hìc myſtica tollat ablutio". PRÆOCCUPATIO. Sed cùm Eccleſia, & filiorum in eâ atque ex eâ generatio, longè antiquior ſit, quàm baptiſmatis inſtitutio; non immeritò inquiri poteſt, qua ratione filios viro ſuo procrearit, quando nondum exiſtebat lavacrum baptiſmatis, quod inſtar uteri eſſet virginalis? Reſpondit jam pridem Papa Gregorius: P. Quod P. Gregor. l. 4 Moral. c. 3. alias 2. „ apud nos, inquiens, valet aqua baptiſmatis, „ hoc egit apud veteres vel pro parvulis ſola „ fides, vel pro majoribus virtus ſacrificii, „ vel pro his qui ex Abrahæ ſtirpe prodierant myſterium circumciſionis". Quamvis ergo Eccleſia pro varietate ſtatuum ac temporum varias pariendi vias inierit, nunquam tamen à pariendo penitùs ceſſavit: nec unquam deſtitit ejus ſponſus, Q. ad generandos Dei po- Q. Ambroſ. lib. 2. in caput 2. Lucæ. „ pulos, immaculatæ fœcunditatis aperire genitale ſuæ ſponſæ ſecretum".

CAPUT XXI.

Ejuſdem Poëmatis nonum verſiculum inchoat Hebraici alphabeti nona littera, Theth *dicta*, & Bonum *latinè interpretata. Guſtu pariter & viſu deprehendit Eccleſia bonitatem negotiationis ſuæ. Guſtus ſuavitate, viſus ſpectabilitate reficitur. Conſcientia bona negotiationem facit dulceſcere, mala amareſcere. Sapientia à ſapore dicta, quem operi virtutis impertit, futuro alioquin aſpero & inſulſo. Hujus ſaporis dulcore inſtincta Mulier fortis, labori diurno jungit lucubrationem nocturnam. Lucerna veteris tabernaculi aſſiduè accenſa figurabat Eccleſiæ fidem jugiter inexſtinctam. Arcadici lapidis*, asbeſton *dicti, mira proprietas; ut ſemel accenſus extingui nequeat. Ægypto reliquâ tenebris offuſâ, ubicunque Dei populus habitabat, lux ſplendebat. Decimum ejuſdem poëmatis verſiculum inchoat littera* Jod, *quæ interpretatur* Principium: *indicans omnes noſtras curas & operas Deo tanquam primo principio eſſe dicandas. In omni obſequio quod Deo impendimus, ſal rationis ac diſcretionis adhibendum eſt. De* fuſo, colo, ſtamine, & vertibulo, *ſive* verticulò. *Lana linive maſſa in colo dimiſſa, velut fides eſt in corde torpida, abſque operibus mortua. Non recipitur merces operis gerendi, ſed geſti.*

LXVII. IN Hebraico Alphabeto poſt litteram *Heth*, quæ interpretatur *vita*, prout proximo capite vidimus; ſequitur continuò littera *Theth*, quæ denotat *bonum*, ut ex Hieronymo §. 48. memoravimus. Ab hac inchoat Salomon nonum ſui panegyrici carminis verſiculum, quem vul- Prov. 31. 18. gata editio ſic nobis exhibet, *Guſtavit & vidit quia bona eſt negotiatio ejus, non extinguetur in nocte lucerna ejus:* aliæ editiones, ſignanter 70 Interpretum, Pagnini, & Vatabli, omit- Vide ſuprà §. 37. tunt illud, *& vidit:* fortè quia ipſa *guſtatio* velut ſpecies quædam *viſionis* eſt, prout §. 37. vidimus. Et quidem apud 70. Interpretes in Latinum traductos ita legitur: *Et guſtavit, quia bonum eſt operari, & non extinguetur lucerna ejus totam noctem.* Pagninus ſic tranſtulit, *Guſtavit quòd bona eſt negotiatio ejus, non extinguetur in nocte lucerna ejus:* Vatablus pro verbis præteriti & futuri temporis, *guſtavit*, & *extinguetur*, poſuit verba temporis præſentis, *guſtat*, & *extinguitur:* de reliquo conſonat cum Pagnino, ſalvo quòd pro, *Ejus*, priori loco, ſubſtituerit, *ſua*, in hunc modum: *Guſtat quòd bona ſit negotiatio ſua, non extinguitur in nocte lucerna ejus.* Quæ lectio patentiùs indicat ſermonem hìc eſſe de

ipsâ

ipſâ *muliere forti* negotiationem exercente, non
de quopiam tertio, qui guſtarit aut viderit
negotiationem *eius*; indicat præterea prono-
men, *Eius*, in vulgatâ editione non referre
agrum, de quo ſuperiùs: ut videtur voluiſſe
Beda cum Rabano in hunc locum, hiſce ver-
R. Beda & Rabanus in caput 31. Proverbior. v. 16. bis: R. Quod ait, *Negotiatio eius*, agri utique
„ illius ſignificat, de quo ſuprà ait, *Conſidera-*
Prov. 31. 16. *vit agrum, & emit eum*". Sed omnem ambigui-
tatem ſuſtulit Vatablus, vertendo: *Guſtat*
quòd bona ſit negotiatio ſua. Cæterùm Ambro-
ſius & Auguſtinus, verſionem 70. Interpre-
S. Ambroſ. in caput 31. Proverbior. cap 4. & Aug. Serm. 45. de Diverſis c. 8. tum ſecuti: S. *Guſtavit*, inquiunt, *quia bonum*
„ *eſt operari*. Sed ubi eſt palatum, quo guſta-
„ tur hoc? Fugiunt homines laborem, &
„ quaſi amarum timent guſtare. Et quid facit
„ eos amare laborem? Conſcientia bona, quæ
„ facit opus dulceſcere: nam conſcientia mala
„ pungit, & omnia reddit amara. Guſta ergo
„ opus Dei, & videbis quantum ſapiat; & ita
„ te delectabit, ut non deſinas, ſed totum con-
Pſal. 33. 9. „ ſummes: *Guſtate*, inquit Propheta, *quia*
Prov. 31. 18. juxta 70. „ *ſuavis eſt Dominus*. Ergo, *Guſtavit* mulier *quia*
„ *bonum eſt operari. Non extinguetur totâ nocte lu-*
Mat. 5. 15. „ *cerna eius*. De lucernâ dicitur, *Nemo accen-*
„ *dit lucernam, & ponit eam ſub medio*: & alibi,
Pſal. 17. 29. „ *Tu illuminabis lucernam meam Domine*. Lucer-
„ na ejus, ſpes ejus: ob illam operatur omnis
1. Cor. 9. 10. „ homo. Sic teſtatur Apoſtolus, *quoniam qui*
„ *in ſpe arat & triturat, debet ſpei ſuæ fructum per-*
„ *cipere*. Quicquid boni facit homo, ob ſpem
Rom. 8. 24. „ facit: *ſpe enim ſalvi facti ſumus*, ſcribit Apoſtolus.
Ibid. „ Et benè lucerna iſta ardet in nocte: *Quod*
„ *enim ſperamus, non videmus*; ideò nox eſt. Si
„ autem non videmus nec ſperamus, nox eſt
„ & lucerna non ardet. Quid tenebris hujuſ-
„ modi infelicius? Ut autem in tenebris non
„ deficiamus, ſed per patientiam expectemus
„ quod non videmus, ſperemus. Tota ergo
„ nocte ardeat lucerna noſtra: & quia qui no-
„ bis quotidie loquitur verbum, oleum in-
„ fundit ne lucerna extinguatur; ideò quoti-
„ die audiamus verbum, ſuſcipiamus oleum,
„ ſuſtentemus lucernas ardentes, ut docet Do-
Luc. 12. 35. „ minus, *Et lucernæ*, inquiens, *ardentes in ma-*
„ *nibus veſtris*. Sic enim hujus *Mulieris fortis*
exemplum imitabimur". Laudatur ergo hoc
verſiculo à Salomone *Mulier fortis*, ſive Eccle-
ſia, quòd ſpe futuri præmii ſubnixa non modò
diu noctuque operetur aſſiduè, ſed & dele-
ctuosè, ſive cum guſtu; non cum tædio aut
nauſeâ, ſed lubenter, delectabiliter, &, uno
verbo, ſapienter: eâ utique ſapientiâ, de quâ
T. Bernard. Serm. 85. in Cantica. ait Bernardus: T. Si quis ſapientiam definie-
„ rit virtutis amorem, non à vero deviare vi-
„ debitur. Ubi autem amor eſt, labor non eſt,
„ ſed ſapor: & ſic fortè *ſapientia* à *ſapore* deno-
„ minatur, quòd virtuti velut quoddam con-
„ dimentum accedens ſapidam reddat, quæ
„ per ſe inſulſa quodammodò atque aſpera
„ ſentiebatur. Nec duxerim reprehendendum
„ ſi quis ſapientiam, ſaporem boni definiat".
Quid præſtantiùs apparet cibo obedientiæ, &
potu patientiæ: verùmtamen teſte eodem
Bernardo in Sermone 3. de Diverſis, " Utri-
„ que neceſſarium eſt condimentum; ſine quo
„ uterque inſipidus non modò non reficiat,
„ ſed guſtatus afferat mortem. Duriſſimus qui-
„ dem uterque, & niſi aliquod tertium ſapo-
„ rabile apponatur, utique *mors in ollâ*. Quid 4 Reg. 4. 40.
„ verò tam ſaporabile, quàm ſapientia? Nem-
„ pe lignum vitæ eſt, quod *ipſas aquas Marath* Exod. 15. 25.
„ *per Moyſen dulcoravit*: farinula eſt, quæ *pul-* 4 Reg. 4. 41.
„ *mentum prophetarum per Heliſæum ſaporavit*".
Quoniam igitur noſtræ *Mulieri forti* nequaquam
defuit ſaporabile ejuſmodi condimentum;
quippe quæ, Salomone ibidem atteſtante, *Os* Prov. 31. 26.
ſuum aperuit ſapientiæ: idcircò non cum nauſeâ,
ſed cum guſtu negotiationem ſuam exercuit;
nec ſolùm interdiu ad ſolem laboravit, ſed
noctu quoque ad lucernam labores continua-
vit. Et hoc eſt quod de eâ Salomon, juxta
interpretationem mox relatam, prædicavit eo
verſiculo: *Guſtavit & vidit quia bona eſt negotia-* Prov. 31. 18.
tio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius.

LXVIII. Audivimus quemadmodùm Am-
broſius & Auguſtinus, editionem 70. Inter-
pretum amplexi, verſiculum Salomonicum de
Muliere forti fuerint interpretati: audiamus
modò qualiter Beda & Rabanus, editionem
vulgatam ſecuti, eundem verſiculum ſint pro-
ſecuti; V. *Guſtavit* Eccleſia ſancta, aiunt ipſi, V. Beda & Rabanus in caput 31. Proverbior. litt. Theth, item Beda lib. de Muliere forti, ibid.
„ *guſtavit* & anima quæque perfecta, id eſt, in-
„ timo mentis deſiderio cognovit, *quia bona eſt*
„ *negotiatio* vitæ immarceſſibilis, quam, reli-
„ ctis illecebris temporalibus, æternam mer-
„ cemur in cælis. *Guſtavit* autem, id eſt, aper-
„ tè didicit, quia bonum eſt, per inſtantiam
„ prædicandi, quoſcunque valet ad viam ve-
„ ritatis adducere: atque ideò nullis tribula-
„ tionum tenebris, nec ipsâ morte, poteſt lu-
„ cerna devotionis ejus extingui. Eorum nam-
„ que lucerna nocte extinguitur, quamvis in
„ die videatur ardere, *qui*, ſicut Dominus ait,
„ *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis re-* Luc. 8. 13.
„ *cedunt*. Sed & illorum nocte mediâ extin-
„ guitur lucerna, qui veniente Judice oleum
„ charitatis in vaſis præcordiorum ſuorum non
„ habuiſſe probantur; dum, perdito jam fal-
„ ſarum rumore virtutum, vera tenebroſo-
„ rum luunt tormenta factorum. Quòd ſi *no-*
„ *ctem* hoc loco volumus accipere, juxta hoc
„ quod ſuprà dicitur, *Et de nocte ſurrexit*, id Prov. 31. 15.
„ eſt, ad operandum ſe poſt quietem præpa-
„ ravit: apertè dicitur, quòd *lucerna* ſanctæ Ibid. v. 18.
„ Eccleſiæ *non extinguatur in nocte*; quia etiam
„ cùm à negotio quieſcit actionis, vacat libe-
„ riùs luci ſupernæ contemplationis: cumque
„ à publicis ceſſat actionibus, curat ſe ardentiùs
„ vel auditu ſanctæ lectionis, vel laudibus
manci-

Digitized by Google

„ mancipare divinis: juxta exemplum vide-„ licet muliebris induſtriæ, quæ non ſolùm „ interdiu neceſſariis ſolet inſtare laboribus, „ ſed & noctu ſæpiùs accenſo lumine lucernæ, parilem rei familiaris agere curam". Differt hæc interpretatio à priori, quòd illic per *lucernam* intelligatur ſpes futuræ beatitudinis percipiendæ; prout evincunt illa Ambroſii & Auguſtini verba proximo §. relata, *Lucerna ejus, ſpes ejus; ob quam operatur omnis homo:* hìc verò per *lucernam* intelligatur *devotio*; prout indicant illa verba mox adducta, *Nullis tribulationum tenebris, nec ipsâ morte, poteſt lucerna devotionis ejus extingui.* Differt præterea, quòd illic per *noctem* intelligatur totum tempus hujus peregrinationis, quo per obſcuram & ænigmaticam fidei faculam ambulamus, revelationem filiorum Dei expectantes, nec adhuc per ſpeciem claritatis cernentes; prout hæc verba illic relata manifeſtant, *Quod ſperamus non videmus, ideò nox eſt:* hìc autem per *noctem* intelligantur *tribulationum tenebræ*, prout verba mox adducta arguunt; vel item tempus ab externis occupationibus quieſcendi, & internæ contemplationi vacandi; prout innuitur, cùm dicitur, *quòd lucerna Sancta Eccleſia non extinguatur in nocte: quia etiam cùm à negotio quieſcit actionis, vacat liberiùs luci ſupernæ contemplationis.* Porrò Arboreus etſi poſtremam hanc *noctis* interpretationem cum Beda & Rabano adhibeat, per *lucernam* tamen *in nocte non extinguendam*, non intelligit *devotionem*, ut ipſi; nec etiam *ſpem*, ut Ambroſius cum Auguſtino ſuprà: ſed potiùs *fidem*, quæ utramque antecedit, & utrique prælucet: [W] *Nec lucerna* Eccle-„ ſiæ, ait ipſe, *in nocte*, mediiſque in tene-„ bris, *extinguetur:* nam ingruente perſecutio-„ num procellâ, & tempore difficillimarum „ tentationum, à fide nunquam deficiet". Quam quidem interpretationem nemo aliorum excluſiſſe putandus eſt, licèt omnes ſubticuerint: non enim ſubticuerunt improbando, ſed potiùs præſupponendo. Etenim niſi fides illuminando præeat, nec ſpes inhiabit, nec devotio flagrabit, nec alterutra Deo placebit, *cui ſine fide placere impoſſibile eſt:* [X] Lucer-„ na, inquit Ambroſius ipſe alibi, fides eſt, „ juxta quod ſcriptum eſt, *Lucerna pedibus meis* „ *verbum tuum Domine.* Verbum enim Dei fi-„ des noſtra eſt, Verbum Dei lux, lucerna „ eſt fides: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem* „ *hominem venientem in hunc Mundum.* Lucer-„ na autem lucere non poteſt, niſi aliunde „ lumen acceperit. Hæc eſt lucerna *quæ accen-* „ *ditur*, virtus ſcilicet noſtræ mentis & ſenſûs, „ ut *drachma illa poſſit, quæ perierat, reperiri*". Parùm verò refert, quantùm ad præſentem ſcopum noſtrum, utrùm per *lucernam* intelligatur ipſa fides, prout intellexit Ambroſius jam citatus; an verò humanus animus, aut ipſe homo, fidei ſuſceptivus, prout alii paſſim intellexerunt; favente ipſo Chriſto, qui de Præcurſore ſuo ait, *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Sive enim uno ſive altero modo ſumatur *lucerna*, unicus equidem modus eſt quo *extinguitur lucerna*, peremptione nimirum luminis quo luxerat ipſa. Quapropter cùm de *Muliere forti*, ſive de Eccleſia, dictum eſt, *Non extinguetur in nocte lucerna ejus*; eo ipſo pronuntiatum eſt, Eccleſiam nullâ unquam caligine ita offundendam, ut in eâ lumen fidei ſplendere deſinat, nedum intereat. In cujus rei figuram legimus in Exodo; quòd cùm univerſam Ægyptum horribiles tenebræ operirent, tamen *Vbicunque habitabant filii Iſraël, lux erat.* Eccleſia nimirùm inſtar eſt Asbeſti, Arcadici lapidis, de quo Solinus: [Y] Nec lapidem ſpre-„ verimus, inquit, quem Arcadia mittit, *As-„ beſto* nomen eſt, ferri colore, qui ſemel ac-„ cenſus extingui nequit". Et Auguſtinus: „ [Z] Asbeſton, inquit, Arcadiæ lapidem, pro-„ pterea ſic vocari perhibent, quòd accenſus ſemel jam non poſſit extingui". Ad hujus igitur lapidis inſtar, *Mulier fortis* lumine fidei, ſemel accenſa, perpetuò lucere pergit, & perget: atque hinc rectè ei accommodatur quod ſcriptum eſt, *Non extinguetur in nocte lucerna ejus.* Cujus rei ſymbolum exhibuit Deus olim in lege, quando præcepit, ut *arderet lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii.* Non ait, per intervalla: ſed *ſemper.*

LXIX. Ne fortè quis autumaret, *Mulierem fortem* ſedere otioſam ad ſuam lucernam noctu accenſam, hoc eſt, ſolâ fide contentam vacare ab operibus, *ſine quibus fides perhibetur eſſe mortua:* Pergit Panegyriſta ad decimum ſui Alphabetici carminis verſiculum, inchoatum à decimâ Hebraici Alphabeti litterâ, *Iod* dictâ, quæ interpretatur *principium*, & in connexione cum præcedente conflat *bonum principium.* Verſiculus porrò iſte in vulgatâ editione ſic ſonat, *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum.* Apud 70. Interpretes latinè tranſlatos ita habetur, *cubitos ſuos extendit ad utilia, & manus ſuas firmat ad fuſum.* Pagninus vertit, *Manus ſuas miſit ad vertibulum, & manus ejus apprehenderunt colum.* Vatablus denique ſic, *Manus ſuas admovet ad verticulum, & manus ejus tractant fuſum.* Vult ergo Salomon hac periphraſi ſignificare, *Mulierem fortem* ad ſuam lucernam noctu accenſam nequaquam otio vacare, ſed nere, filare, vertibulum agitare, penſa plicare colo, & devolvere ſtamina fuſo: „ [A] Solent feminæ, inquit cum Rabano Beda, „ *fuſum* in dexterâ, *colum* in ſiniſtrâ nentes te-„ nere. In *colo* enim lana involuta eſt, quæ filo „ ducenda, & nenda, tranſeat in *fuſum.* Sæpè „ autem in Scripturis *dextera* vitam perpetuam; „ *læva* præſentia Dei dona ſignificat, opulentiam

Vide ſuprà § 67.

W. Arbor. in cap. 31. Proverb. litt. Theth.

Heb. 11. 6.

X. Ambroſ. l. 7. in cap. 11. Lucæ.

Pſ. 118. 105.

Ioan. 1. v. 9.

Luc. 15. 8. & 9.

Io. 5. 35.

Prov. 31. 18.

Ex. 10. 23.

Y. Solin. c. 13.

Vide Iſidor. lib 16 orig. c. 4.

Z. Aug. lib. 21 de Civit. cap. 5.

Exod. 27. 21.

Iac. 2. 20.

Prov. 31. 19.

A Beda & Rabanus in cap 31. Proverb. v. 19. item Beda lib. de Muliere forti, litt. Iod.

tiam

„ tiam ſcilicet rerum, pacem temporum, ſoſpi„tatem corporum, ſcientiam quoque Scriptura„rum, & cæleſtium perceptionem Sacramento„rum. Hæc & hujuſmodi bona quùm Domino „ largiente percipimus, quaſi lanam *colo* in„ volutam in lævâ geſtamus: at cùm in eâ pro „ amore cæleſtium ſalubriter nos exercere in„ cipimus, jam lanam agni immaculati de *colo* „ in *fuſum*, de lævâ in dextram, trajicimus: „ quia de bonis noſtri Redemptoris, de exem„ plis operum ejus, ſtolam nobis gloriæ cæ„ leſtis, ac veſtem charitatis nuptialem faci„ mus. *Digitis* namque *apprehendere fuſum*, ipſam „ intentionem diſcretionis, quâ quiſque ope„ ratur, inſinuat; eâ nimirum ratione, quia „ nulla corporis noſtri membra pluribus ſunt „ diſtincta articulis ac flexibus, quàm digiti. „ Quicunque ergo veraciter dicere cum Apo„ ſtolo poteſt, *Noſtra converſatio in cælis eſt, unde* „ *etiam Salvatorem exſpectamus Dominum noſtrum* „ *Ieſum Chriſtum*, hujus profectò *digiti* dextri „ *apprehenderunt fuſum*, quia diſcretione ſedulâ „ pro æternis bonis laborare didicit. Et benè „ dicitur *Apprehenderunt*, ut vivaciùs commen„ detur, quanto ſtudio, quantâque feſtinatio„ ne hujus vitæ incertæ, pro certis apud Dominum præmiis agere debeamus". Juxta hanc igitur interpretationem, quæ etiam Arboreo placuit, commendatur à Salomone *Mulier fortis*, ſive Eccleſia, ob ſedulitatem non diurnæ duntaxat exercitationis, ſed nocturnæ etiam lucubrationis; atque inſuper ob id, quòd in hac ipsâ ſuâ ſedulitate conſtanter adhibeat rectitudinem intentionis, cùm limâ diſcretionis; ſine quibus utique ſedulitas ipſa, quantumvis magna, deſtituitur ſoliditate, & polluitur vanitate: *Si oculus tuus fuerit nequam*, ait Veritas, *totum corpus tuum erit tenebroſum*: [B] quia, „ inquit Gregorius Papa, quùm perverſâ in„ tentione quid vel rectum agitur; etſi ſplen„ dere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni Judicis obſcuratur". Et rursùs Homil. 4. in Ezechiëlem: " Penſan„ dum eſt, inquit, ut omne bonum quod agi„ tur, per intentionem ſemper ad cæleſtia le„ vetur. Qui enim per bona quæ facit, terre„ nam gloriam concupiſcit, pennas ſuas & fa„ ciem ſuam deorsùm deprimit: hinc enim „ per Prophetam de quibuſdam dicitur, *Victimas in profundum deferebant*". Et hæc quidem de intentione: quid autem de diſcretione idem ipſe ſenſerit, ſatis apertè indicavit; cùm de amicis Beati Job diſſerens, qui rectâ quidem intentione eum inviſerunt, ſed diſcretionem negligendo deliquerunt, ita ſcribit lib. 3. Moral. cap. 9. aliàs 8. " Per hoc quod Scri„ ptura eos tanti viri *amicos* fuiſſe teſtatur, „ quòd boni ſtudii & rectæ fuerint intentio„ nis oſtenditur: ſed tamen hæc ipſa eorum „ intentio, eis ad verba prorumpentibus, ante „ diſtricti Judicis oculos, ſubortâ indiſcre„ tione, fuſcatur". Quapropter ſicut Scriptura eos culpat, qui defectu rectæ intentionis *Declinabant victimas in profundum*: ita eadem innuit nequaquam placere Deo victimas, ſale diſcretionis deſtitutas. Ipſius quippe lex eſt; *In omni oblatione tua offeres ſal*; ſive, ut Chriſtus recitat, *Omnis victima ſale ſalietur*: quod etiam ad victimas oris; quas Propheta appellat *vitulos labiorum*, extendit Apoſtolus, ubi ait: *Sermo veſter ſemper in gratiâ ſale ſit conditus*: „ [C] Admiſceri in omni ſacrificio, inquit Be„ da, ſal jubetur: ſcilicet ut omnia quæ ad „ Chriſti honorem offerimus, ſal rationis ac diſcretionis ſemper accipiant". Hujus ſalis defectu inſulſum fuit Caini ſacrificium: unde & audire ipſe meruit, *Nonne ſi rectè offeras, non rectè autem dividas, peccaſti?* [D] Rectè autem „ offerimus, inquit Gregorius, quùm bono „ ſtudio bonum opus agimus: ſed rectè non „ dividimus, ſi habere diſcretionem in bono opere poſtponamus". Qui rursùs lib. 3. Moral. cap. 10. aliàs 9. " Rectè offertur, in„ quit, quùm rectâ intentione quid agitur: „ ſed rectè non dividitur, ſi non hoc quod piè „ agitur etiam ſubtiliter diſcernatur. Oblata „ enim rectè dividere, eſt quælibet bona no„ ſtra ſtudia ſollicitè diſcernendo penſare: „ quod nimirùm qui agere diſſimulat; etiam „ rectè offerens peccat".

LXX. Supereſt ut ſuperiori interpretationi, quam ex Bedâ & Rabano retulimus, noſtriſque advertentiis elucidavimus, aliam adjungamus, ex Ambroſio & Auguſtino, 70. Interpretum editionem ſuperiùs relatam ſecutis, deſumptam: qui eodem planè ſenſu; & iiſdem penè verbis, eam adhibent, hunc in modum ſcribentes de *Muliere forti*, in typo Eccleſiæ: [E] *Manus ſuas extendit ad utilia*: Quantum „ has manus extendit? *A mari uſque ad mare*, „ dicit Scriptura, *& à flumine uſque ad terminos* „ *orbis terrarum*: Ecce quo perveniunt. Unde „ non fruſtrà alibi etiam dictum eſt, *Adhuc in* „ *dextris & ſiniſtris dilata*. Ergo *Manus ſuas ex*„ *tendit ad utilia, & digitos firmat ad fuſum*. Hìc „ *fuſum* vocat, quo filat, non quo infundit: eſt „ enim lanificii inſtrumentum. *Fuſum* ergo „ non fruſtrà dixit, quamvis per ipſum non „ abſurdè lanificium intelligi videatur: de „ lanificio enim bonum opus, tanquam caſtæ „ mulieris & matronæ impigræ ac diligentis, „ procedet. Tamen quid ego per *fuſum* intel„ ligam, non tacebo. Qui per opera bona in „ ſanctâ vivit Eccleſiâ, non neglector ſed ef„ fector præceptorum Dei, quid cras facturus „ ſit neſcit, quid hodie fecerit perpendit: de „ futuro opere timet, de præterito gaudet; „ & ut perſeveret in bono, vigilat; ne fortè „ futurorum diligens, præteritum emittat. „ In omni itaque operatione & deprecatione

Phil. 3. 20.

Matth. 6. 23.

B Greg. lib. 28. Moral. c. 6. aliàs 11.

Oſe. 5. 2.

Job 2. 11.

Oſe. 5. 2.

Lev. 2. 13.

Mar. 9. 48.

Oſe. 14. 3.

Col. 4. 6.

C Beda lib. 4 in Leviticum cap. 5. Vide Iſidor. Comment. in Levit. c. 4.

Gen. 4. 7. juxta 70.

D Greg. Homil. 11. in Ezechiëlem. Vide Aug. l. 15. de Civit. c. 7. & Proſperum l. 1. de Vocat. Gentium c. 13. & Bedam l. 44. in Geneſim ad capitis 4. v. 7.

Prov. 31. 19.

E Ambroſ. in caput 31. Proverb. c. 4. & Auguſt. Serm. 45. de Diverſis c. 9. & Serm. 217. de Tempore.

Pſal. 71. 8.

Iſa. 54. 3. juxta 70.

Prov. 31. 19.

„ ſuâ non habet firmam conſcientiam de opere futuro, ſed de præterito; confidens in eo quod fecit, non in eo quod facturus eſt. Jam ergo ſi mecum hoc verum eſſe conſentitis, attendite in lanificio duo inſtrumenta, *colum*, & *fuſum:* in colo lana involuta eſt, ut filo trahenda & nenda tranſeat in fuſum. Quod in colo eſt involutum, eſt futurum: quod in fuſo collectum, jam præteritum eſt. Opus ergo tuum in fuſo, non in colo eſt: in colo eſt quod facturus es, in fuſo quod feciſti. Vide ergo ſi aliquid habes in fuſo, ibi *firmentur digiti tui*, ibi ſit fortis conſcientia tua, ibi ſecurus eris: Deo enim dices, *Da, quia dedi; dimitte, quia dimiſi; fac, quia feci:* non enim recipis pretium niſi operis geſti, non gerendi. In omni ergo opere tuo totus animus ad fuſum ſit, quia quod pendet in colo, ad fuſum trajiciendum eſt; non autem illud, quod in fuſo collectum eſt, ad colum eſt revocandum. Itaque ut rectè agas, vide quid habeas in fuſo, ut *firmes in fuſo digitos tuos*, ut totum coletur ad fuſum, ut fuſus habeat aliquid quod te conſoletur, quod te confirmet, quod tibi det fiduciam deprecandi, & ſperandi promiſſa.

PRÆOCCUPATIO.

Sed fortè dicis: Quid agam? Quid me jubes habere in fuſo? Audi ergo, nec nos pudeat lanificium ſanctum docere: vos videte, ſi quis habet plenum ſaccellum, plenum horreum, plenam apothecam; omnia iſta in colo ſunt, tranſeant in fuſum". Juxta hanc interpretationem prior pars hujus verſiculi continet prophetiam de Eccleſiæ dilatatione per orbem terrarum, quam ſignificat *extenſio manuum.* Tempore enim Salomonis contractæ quodammodò fuerunt Eccleſiæ manus, ita ut ultra Judææ limites non exporrigerentur: F In „ anterioribus ſæculis, inquit Proſper, quando de unius gentis populo dicebatur, *Notus in Iudæâ Deus, in Iſraël magnum nomen eius*, futura Gentium latebat electio". Sed prævidit ille ſpiritu Prophetico eandem Eccleſiam in remotiſſimos uſque Mundi cardines dilatandam: & idcirco ait, *Manus ſuas extendit*, ſive ut alia habet verſio, *Cubitos ſuos extendit.* Ubi ne putaretur ea manuum vel cubitorum extenſio profectu caritura, protinùs ſubtexuit, *Ad utilia*, ſive, ut vulgata editio habet, *Ad fortia.* Cùm enim de *Muliere forti* ſit ſermo, congruum fuit ut non ad futilia, ſed *ad utilia*; non ad debilia, ſed *ad fortia*, manus ſuas aut cubitos extenderet. Quid verò *utilius* lucro ac proventu animarum? Quid item *fortius*, quàm *intrare in domum fortis, alligare ipſum, vaſa ipſius diripere, & ſpolia partiri*? Fecit hoc ſponſus Eccleſiæ, & ad ejus imitationem ipſa Eccleſia, quæ quotidie diripit vaſa diaboli, eaque tranſvertit in membra Chriſti. Cæterùm juxta eandem interpretationem poſterior pars ejuſdem verſiculi concernit Eccleſiæ induſtriam, filiis ejus ac filiabus in exemplum propoſitam; ne talentum ſibi concreditum *fodiant in terram*, aut *reponant in ſudario*, tanquam lanam in *colo* relictam: ſed exponant *ad uſuram*, tranſmittant in *fuſum*; & hunc non oculis otiosè ſpectatum, ſed *digitis* actuosè *apprehenſum:* ut ſimiles ſint regiæ illi puellæ, quam, juxta poëtam, Phœbus inter duodecim famulas reperit, G. *Levia verſato ducentem ſtamina fuſo.* Lana in colo dimiſſa, quid aliud eſt, quàm *fides ſine operibus mortua*, vel *ſcientia ſine charitate ædificante inflans?* Opus igitur eſt ut qui lanam habet in colo involutam, operatoriæ charitatis digitis fuſum apprehendat, torqueat, verſet, lanam ſuam minutatim de colo educat, atque in filum conſtrictam fuſo circumvolvat: devitet veterem Eunomianorum errorem, à modernis Novatoribus ex orco revocatum, *Fidem otioſam ſufficere ad ſalutem:* devitet pariter illam Semipelagianorum non tam ſententiam, quàm dementiam, quâ autumarunt, G. *Secundum ea indicari quemque mortuorum, quæ geſturus fuerat, ſi tempore prolixiore vixiſſet:* noverit nullam ſibi mercedem rependendam pro lanâ in colo involutâ, ac dimiſſâ; ſed duntaxat pro eâ, quæ fuerit filata, atque in fuſum trajecta: *Non enim recipiet pretium niſi operis geſti, non gerendi.* Unde & idem Salomon, qui hoc loco in laudibus *Mulieris fortis* poſuit, quòd *digiti eius apprehenderint fuſum*; alibi ait unicuique filiorum ac filiarum ejus: *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas:* H. Quia ergo, inquit ad eum „ locum Gregorius, & venturæ mortis tempus ignoramus, & poſt mortem operari non poſſumus; ſupereſt, ut ante mortem tempora indulta rapiamus". Ubi tam apud Salomonem, quàm apud Gregorium, verbum *operandi*, meritoriam operationem denotat: rurſùs quod Salomon ait, *apud inferos*, hoc Gregorius interpretatus eſt, *poſt mortem*; hoc ipſum & Chriſtus Dominus nomine *noctis* expreſſit, ubi ait: *Venit nox, quando nemo poteſt operari*, utique meritoriè: I. In quo enim, ut „ Auguſtinus ait, quemque invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet Mundi noviſſimus dies: quoniam qualis in die iſto quiſque moritur, talis in die illo judicabitur".

F. Proſper Epiſtol. ad Rufinum. Pſal. 75. 2.

Mat. 12. 29. & Luc. 11. v. 22.

Vide Aug. Epiſtol. 107. & Hilar. can. 12. in Matth.

Mat. 25. 18. Luc. 19. 20.

G Ovid. l. 4. Metamor. Iac. 2. 20. 1. Cor. 8. 1.

Eunomiani. Vide Goliathiſmum profiig. §. 151.

G. Semipelagiani apud Aug. lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 14.

Ambroſ. hic ſuprà.

Prov. 31. 19.

Eccle. 9. 10.

H. Gregor. Homil. 13. in Evang.

Ioa. 9. v. 4.

I. Auguſt. Epiſt. 80.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Undecimum ejuſdem Poëmatis verſiculum inchoat littera Hebraica Caph, *cujus interpretatio eſt* Manus, *non utique contracta, ſed* aperta: *juxta alios*, curvatio. *Commendatur in Muliere forti ſtudium ſubveniendi indigentibus non ſolùm largiter, ſed & hilariter. Recenſentur opera miſericordiæ tam corporalia, quàm ſpiritalia; & oſtenditur quemadmodùm ſingula per Eccleſiam exerceantur, & exercenda ingerantur. Qui vult ordinatè miſericordiam impendere, à ſe miſero debet incipere. Apud priſcos Chriſtianos tanta fuit animorum unio, & opum communio; ut nihil maneret diſcretum, præter uxores. Subſecuta deindè eſt praxis partiendi Eccleſiaſticos proventus in quatuor portiones, quarum una pauperibus cederet: quæ praxis etſi jam pridem vigere deſierit, non tamen Eccleſia pauperibus aliundè æquivalenter providere intermiſit. Diſſeritur ſignatè de ſpiritalibus miſericordiæ operibus, quorum occaſione aſtruitur divinæ Scripturæ in curandis quibuſque animi morbis efficacitas, & ubertas. Animorum medelam ad duo generalia capita reducit Auguſtinus, inſtructionem ſcilicet, & coercitionem: ad quarum poſteriorem ſpectare monſtrantur Eccleſiaſticæ Cenſuræ, etiam excommunicatio; quæ graviſſima alioqui pœna eſt, olim ſolita dici* Damnatio.

LXXI. NE quis putaret *Mulierem fortem* idcircò *miſiſſe manum ſuam ad fortia, & digitis ſuis apprehendiſſe fuſum*, ut filariam, vel pannariam, aut telariam mercaturam exercendo ipſa diteſceret, ac marſupium proprium, neglecto pauperum ſublevamine, impleret: occurrit Salomon huic ſuſpicioni proximo verſiculo, quem ab undecimâ Hebraici Alphabeti litte-
Prov. 31. 20. râ, *Caph* dictâ, inchoat, ſubdens: *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* Quam vulgatæ editionis lectionem confirmant ſuis verſionibus Pagninus, Vatablus, & 70. Interpretes, eundem ſenſum iiſdem verbis, vel certè æquivalentibus, exprimentes. Ubi ſi ad litteram intelligere lubet textum, continet Eccleſiæ commendationem ex cor-
Vide ſuprà §. 56. porali egenorum ſublevamine ſumptam; de quâ ſuperiùs §. 56. nonnihil attigimus, uberiore proſecutione huc remiſsâ. Ac inprimis notandum eſt, *apertione manûs* denotari largitionem; ſicut ex adverſo, *clauſione*, vel *contractione*, vel *collectione manûs*, denotari tenacitatem, ſive opis aut ſtipis denegationem.
Deut. 15. 11. Hinc Dominus veteri ſuo populo. *Ego præcipio tibi*, inquit, *ut aperias manum fratri tuo egeno &*
Ibid. v. 7. *pauperi*: & ibidem paulò ſuperiùs, *Non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi.* Eodem quoque ſenſu ait Eccle-
Eccli. 7. 36. ſiaſticus, *Pauperi porrige manum tuam*: & iterum, *Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad* Eccli. 5. 36.
dandum collecta. Et apud Ezechiëlem culpantur opulenti, qui *Manum egeno & pauperi non* Ezech. 16. 49.
porrigebant: & è contrario largitatem Dei commendans Pſaltes, ait ei: *Aperis tu manum* Pſal. 144. 16.
tuam, & imples omne animal benedictione. Ubi Genebrardus: [K.] *Aperire manum*, inquit, eſt K. Genebrard. in Pſ. 144. v. 16.
„ donare copioſè, & largiri liberaliter, apertâ „ manu tribuere. Quin & illa phraſis, præbendi facilitatem declarat". Quam quidem facilitatem Apoſtolus divitibus præcipiendam injungit Timotheo, dicens ei: *Divitibus* 1. Tim. 6. 17. & 18.
hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum; benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere. Quid porrò ſit *facilè tribuere*, explanat idem ipſe Apoſtolus, cùm alibi largitionem commendat exercendam, *Non ex triſtitiâ, aut ex* 2. Cor. 9. 7.
neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus.
„ [L.] Eleëmoſyna enim, inquit Anſelmaſter, L. Anſelm. in caput 9. poſterioris ad Corint. v. 7.
„ plerunque fit à triſtibus, & murmurantibus; ut careant tædio interpellantis, non ut „ viſcera reficiant indigentis. Sed non eſt ac- Vide Aug. in Pſalm. 42. & 62.
„ ceptabilis Deo talis datio: ideò *Non ex triſtitiâ*, ſed ex lætitiâ cordis, eſt dandum quod „ datur; quia ex his qui tribuunt, hunc eligit Deus, ut ei retribuat, qui devoto animo tribuit, quaſi theſaurizans apud Deum. „ Sunt enim nonnulli, qui multùm rogati

ab ali-

,, ab aliquibus tædio precis ſibi factæ compel-
,, luntur ad dandum importunitate poſtula-
,, tionis aſſiduæ: & ſic dant triſtes, & inviti;
,, non ex affectu dilectionis, aut piæ compaſ-
,, ſionis. Nonnulli ſunt etiam, qui licèt non
,, ſint triſtes, vel coactione dolentes; tamen
,, quando largiuntur, id faciunt *ex neceſſitate*:
,, ſive quia omnes alii dant, ſive quia multi
,, admonent ut largiantur; & ſic quia cum
,, honeſtate ſuâ non poſſunt non dare, quâ-
,, dam neceſſitate ad dandum coguntur. Sed
,, quiſquis dationem ſuam Deo vult eſſe acce-
,, ptam & gratam, *non ex triſtitiâ, aut ex ne-*
,, *ceſſitate* det; ſed ex lætitiâ, & ex voluntate:
,, quia *hilarem datorem diligit Deus*, id eſt, illum,
,, qui per charitatem lætus, & hilaris, ac ſere-
,, nus, ſpe ſupernæ retributionis tribuit".
Hoc præſtare ſatagit Salomonica illa *Mulier*
Prov. 31. 20. *fortis*, in cujus laudibus ponitur, quòd *Manum*
ſuam aperuerit inopi, hoc eſt, prout ex Gene-
brardo mox audivimus, *donarit copioſè, largita*
ſit liberaliter, apertâ manu tribuerit egenis; &
quidem cum *præbendi facilitate*. Quod ut viva-
ciùs inculcaret encomiaſtes, idipſum repetiit
Ibid. aliis verbis, ſubdens continuò: *Et palmas ſuas*
extendit ad pauperem. Quod priùs dixerat, *Ma-*
num ſuam aperuit, hoc ipſum repetiit ſubden-
do, *Palmas ſuas extendit*: & quem priùs dixerat
inopem, poſtea dixit *pauperem*. Geminatio au-
tem ſive dictionis, ſive ſententiarum, empha-
ſin quandam apud Hebræos importat ſeu ex-
aggerantiam, indiciumque eſt excellentiæ:
M. Arias Montanus in *Hieremia*, ſive *de Actione*, voce *Manus*. ,, M. *Palmas extendere*, ait Arias, eorum eſt,
,, qui alienam inopiam ſublevant, S. S. E.
,, *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas ex-*
Ibid. *tendit ad pauperem*".

LXXII. Ut igitur pleniùs ac planiùs inno-
teſcat, quàm accuratè Eccleſia præſtet quod
de *Muliere forti* ſub ejus typo Salomon præſenti
iſto verſiculo prædicavit, præ oculis habenda
eſt vulgaris diviſio inopiæ ſive pauperiei, in
corporalem & ſpiritalem: pro quarum diver-
ſitate dividi conſequenter ſolent opera miſe-
ricordiæ, in corporalia, & ſpiritalia. Cùm
enim inopia ſit quædam miſeria, & miſeri-
cordia ſit miſeriæ compaſſivus affectus, ad
ejuſdem ſublationem vel ſublevationem in-
clinans: proculdubiò tam multiplicia ſunt
opera miſericordiæ, quàm multiplices ſunt
miſeriæ, & earundem ſive ſublationes,
Vide Divum Thomam 2. 2. q. 32. artic. 2. in corp. & Aug. lib. de Moribus Eccleſiæ c. 27. & 28. ſive ſublevationes. Tota porrò corpora-
lium miſeriarum varietas reduci ſolet ad
has ſeptem: *famem*, quæ tollitur aut ſuble-
vatur cibatione; *ſitim*, quæ potatione; *nu-*
ditatem, quæ veſtitione; *captivitatem*, quæ re-
demptione; *inſoſpitatem*, quæ viſitatione; *in-*
hoſpitatem, quæ hoſpitatione; *inſepultitatem*,
quæ inhumatione. Similiter quoque tota ſpi-
ritalium miſeriarum varietas reduci ſolet ad
totidem iſtas: *ignorantiam*, quæ tollitur aut
ſublevatur doctione; *dubitantiam*, quæ conſilii
ſuggeſtione; *mæſtitiam*, quæ conſolatione; *ma-*
litiam, quæ correptione; *irritantiam*, quæ con-
donatione; *aggravantiam*, quæ ſupportatione;
ac denique *divinæ opis penuriam*, quæ oratione.
Harum quidem miſeriarum, ac ſublevatio-
num, uberiorem cenſum inſtituit Auguſtinus;
ita tamen, ut etiam quaſdam hìc cenſitas non
expreſſerit, quòd eas ad expreſſas reduci poſſe
perſpexerit. Specialiter prætereà advertit, non
eſſe ab hoc catalogo expungendos corporales
aut ſpiritales cruciatus delinquentibus infligi
diſciplinaliter ſolitos, non in peremptionem,
ſed in ædificationem & emendationem ipſo-
rum, vel certè aliorum: N. Ad omnia, ait N. Auguſt. Enchiridii cap. 72.
,, ipſe, quæ utili miſericordiâ fiunt, valet
,, quod Dominus ait, *Date eleemoſynam, & ecce* Luc. 11. 41.
,, *omnia munda ſunt vobis*. Non ſolùm autem
,, qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum,
,, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium,
,, fugienti latibulum, ægro vel incluſo viſi-
,, tationem, captivo redemptionem, debili
,, ſubvectionem, cæco deductionem, triſti
,, conſolationem, non ſano medelam, erran-
,, ti viam, deliberanti conſilium, & quod cui-
,, que neceſſarium fuerit indigenti: verùm-
,, etiam & qui dat veniam erranti, eleemoſy-
,, nam dat; & qui emendat verbere in quem
,, poteſtas datur, vel coercet aliquâ diſciplinâ,
,, & tamen peccatum ejus quo ab illo læſus eſt
,, aut offenſus, dimittit ex corde, vel orat ut
,, ei dimittatur; non ſolùm in eo quòd di-
,, mittit atque orat, verùm etiam in eo quòd
,, corripit, & aliquâ emendatoriâ pœnâ ple-
,, ctit, eleemoſynam dat, quia miſericordiam
,, præſtat: multa enim bona præſtantur invi-
,, tis, quando eorum conſulitur utilitati, non
,, voluntati; quia ipſi ſibi inveniuntur eſſe ini-
,, mici, amici verò eorum potiùs illi quos ini-
,, micos putant, & reddunt errando mala pro
,, bonis, cùm reddere mala Chriſtianus non
debeat pro malis". Advertit deinde idem Au-
guſtinus ibidem inferius cap. 76. eum qui pa-
rat impendere miſericordiam proximo, non
debere ſeipſum indigentem negligere, ſed po-
tiùs à ſe ut ſibi propinquiſſimo incipere:
" Qui vult eleemoſynam ordinatè dare, ait Vide Aug. lib. 21. de Civit. c. 27.
,, ipſe ibi, à ſeipſo debet incipere, & eam ſibi
,, primùm dare. Eſt enim eleemoſyna opus
,, miſericordiæ: veriſſimèque dictum eſt, *Mi-* Eccli. 30. 24.
,, *ſerere animæ tuæ, placens Deo*. Propter hoc re-
,, naſcimur, ut Deo placeamus, cui meritò
,, diſplicet quod naſcendo contraximus. Hæc
,, eſt prima eleemoſyna quam nobis dedimus,
,, quoniam nos ipſos miſeros per miſerantis
,, Dei miſericordiam requiſivimus; juſtum
,, judicium ejus confitentes, quo miſeri effe-
,, cti ſumus; de quo dicit Apoſtolus, *Judi-* Rom. 5. 16.
,, *cium quidem ex uno in condemnationem*: & ma-
,, gnæ charitati ejus gratias agentes, de quâ
idem

Digitized by Google

Ibid. v. 8. ,, idem ipſe ait gratiæ prædicator, *Commen-*
,, *dat autem ſuam dilectionem in nobis Deus*,
,, *quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus*, *Chri-*
,, *ſtus pro nobis mortuus eſt*: ut & nos vera-
,, citer de noſtrâ miſeriâ judicantes, & Dei
,, charitatem, quam donavit ipſe, diligentes,
piè rectèque vivamus". Qui rursùs Serm. 30.
Luc. 11. 42. de verbis Domini cap. 4. "In *judicio & cha-*
,, *ritate*, inquit, fac eleemoſynam cum ani-
,, mâ tuâ. Quid eſt judicium? Reſpice, &
,, inveni; diſplice tibi, pronuntia in te.
Matt 22. 37. & 39. ,, Et quid charitas? *Dilige Dominum Deum tuum*
,, *in toto corde tuo, & totâ animâ tuâ, & totâ*
,, *mente tuâ; dilige & proximum tuum, tanquam*
,, *teipſum*: & feciſti miſericordiam priùs cum
,, animâ tuâ, in conſcientiâ tuâ. Hanc autem
,, eleëmoſynam ſi prætermittis, da quantum
,, vis, dona quantum vis, retrahe de fructi-
,, bus tuis non decimas, ſed dimidias; novem
,, partes da, & unam tibi dimitte: nihil facis,
,, & tecum pauper es. Anima tua veſcatur,
ne fame pereat". Et ſuperiùs ibidem cap. 3.
Luc. 11. 41. " Quid eſt, inquit, quod dixit: *Facite eleëmo-*
,, *ſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis?* Quid
,, eſt, *Facite eleëmoſynam?* Facite miſericor-
,, diam. Quid eſt facere miſericordiam? Si in-
,, telligis, à te incipe. Quomodò enim es mi-
ſericors alteri, ſi crudelis ſis tibi"?

LXXIII. His ita prælibatis, obviè unicui-
que in mentem veniet, quàm appoſitè in Ec-
cleſiam quadret, quod de *Muliere forti* prædi-
Prov. 31. 20. cavit Salomon iſto verſiculo, *Manum ſuam ape-*
ruit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem:
quem ſuperiùs initio hujus capitis à litterâ
Caph inchoari memoravimus, quæ juxta Hie-
ronymum §. 48. relatum interpretatur *manus*:
O. Beda in Pſal. 118. ad litteram Caph. quem ſecutus Beda, O. *Caph* littera, inquit,
,, ita *manus* interpretatur, ut ejuſdem manus
,, palmam ſive volam ſignificet, id eſt, non
,, contractam, ſed apertam, expanſiſque digi-
,, tis, inſinuet. Manus verò ſignificat opera
,, vel cordis, vel corporis, vel ipſius amoris
interni". Ex quo videmus, totius verſiculi
ſenſum in primo ejus apice implicari. Brevi-
ter & appoſitè Genebrardus rem expedit, di-
P. Genebr. in Pſal. 118. litt. Caph. cens: P. *Caph, id eſt, vola manus*. Non tamen
prætereunda eſt interpretatio Ambroſii, ut
Vide Ambr. in Pſalm. 118 Octonario XI. quæ noſtro ſcopo apprimè ſit conſentanea:
juxta quam littera *Caph* denotat *incurvationem*:
eam ſcilicet inclinationem, quâ *Mulier fortis*, id
eſt, Eccleſia, ſeipſam inclinat incurvatque per
quandam condeſcenſionem, ut auxiliatricem
manum porrigat inopibus humi jacentibus:
Q. Arbor. in caput 31. Proverb. litt. Caph. ,, Q. *Caph*, inquit Arboreus, interpretatur *in-*
,, *curvans*, vel, *incurvatio*. Eccleſia namque
,, pietatis cultrix, longè lateque *ſuas palmas*
,, *extendit*, ut pauperibus ſuccurrat, & opera
,, miſericordiæ cùm temporalia tum ſpiritua-
,, lia officioſiſſimè exerceat, & adimpleat illud
Luc. 6. 36. ,, Chriſti præceptum: *Eſtote miſericordes, ſicut*
,, *& Pater veſter miſericors eſt*. Summa ſiquidem
,, Chriſtianæ religionis in officiis pietatis &
charitatis ſita eſt". Porrò iſtâ ſuâ inclinatione
ſeu condeſcenſione imitatur Eccleſia Spon-
ſum ſuum, quanquam non paſſibus æquis:
qui *Propter miſeriam inopum & gemitum paupe-* Pſal. 11. 6.
rum, R. Manens in formâ gloriæ Patris, ut ad R. Leo Papa Serm. de Transfigur. Domini.
,, reparandum genus humanum exequeretur
,, commune conſilium, uſque ad formam ſer-
,, vilem inclinavit incommutabilem Deita-
tem". Quam ejus inclinationem Proſper quo-
que apertè indicavit, cùm de eo cecinit: S. *Qui* S. Proſp. lib. de Ingratis cap. 44.
prima atque ultima pacans, Ut nos inſereret ſummis,
ſe miſcuit imis. Tanquam diceret, ut nos in imo
jacentes erigeret, & ad ſummum eveheret;
ſemetipſum de ſummo demiſit, atque incli-
natâ Majeſtate ſervilem formam aſſumpſit.
Legimus quoque eundem, oblatâ ſibi à Scri-
bis & Phariſæis *Muliere adulterâ*, quæ Eccleſiam Joan 8. 3.
ex Gentibus idololatricâ immunditiâ conta-
minatis congregandam figurabat, priùſquam
confuſis ac fugatis accuſatoribus eandem ab-
ſolveret, *Inclinaſſe ſe deorſum, ac digito ſcripſiſſe* Ibid. v. 6.
in terra. Quâ de re idem Proſper lib. 1. de Vo-
catione Gentium cap. 8. in additamento Cam-
bronenſi, quod extat etiam apud Ambroſium: Vide Ambr. lib. 1 de Voc. gent. c. 1.
" Dominus, inquit, ut *legem non ſolveret*, *ſed*
,, *adimpleret*, per gratiæ auxilium efficax fecit
,, legis imperium; & multiplicando clemen- Matth. 5. 17.
,, tiam, ſuſtulit pœnam: ut peccatum non ul-
,, ciſcendo plecteret, ſed remittendo deleret.
,, Unde adulteram, ex legis conſtitutione la-
,, pidandam, *& veritate* liberavit, *& gratiâ*; Joan. 1. 17.
,, cùm executores præcepti de conſcientiis
,, territi trementem ream ſub illius judicio
,, reliquiſſent, qui *Venerat quærere, & ſalvum* Luc. 19. 10.
,, *facere, quod perierat*. Et ideò *inclinatus*, id eſt, Joan. 8. 6.
,, ad humana demiſſus, & in opus noſtræ re-
,, formationis inflexus, *digito ſcribebat in terra*:
,, ut *legem mandatorum per* gratiæ *decreta vacua-* Epheſ. 2. 15.
,, *ret*; & oſtenderet ſe eſſe qui dixerat: *Dabo* Jerem. 31. 33.
,, *leges meas in ſenſu ipſorum, & in corde ipſorum*
,, *ſcribam eas*. Quod utique quotidie facit, dum
,, cordibus vocatorum ſuam inſerit volunta-
,, tem; & ſtylo Spiritûs Sancti, quicquid in
,, animæ paginis diabolus invidendo falſavit,
veritas miſerendo reſcribit". Hujus igitur
tantæ inclinationis ac demiſſionis ſui dilectiſ-
ſimi Sponſi probè gnata & conſcia Eccleſia,
nunquam non ſatagit ejus formam in ſe pro
viribus exprimere, & ſuis filiis exprimendam
ingerere; inſonans eis illud Apoſtolicum, *Imi-* 1. Cor. 11. 1.
tatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Cui mo-
nito adeò inſiſtebant primi Chriſtiani, ut de
iis ſcriptum ſit: *Poſſeſſiones & ſubſtantias vende-* Act. 2. 45.
bant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus
erat. Unde & poſteà ſubditur, *Neque quiſquam* Act. 4. 34.
egens erat inter illos. Ratio præmittitur paulò
ſuperiùs, nimirùm quia *Erant illis omnia commu-* Ibid. v. 32.
nia. Solas uxores excipit Tertullianus, qui de

Digitized by Google

ſui etiam ævi Chriſtianis, circa annum Chriſti ducenteſimum, loquens, ait Gentilibus eoſdem inceſſentibus: T. Tertull. in Apolog. cap. 39. T. Ex ſubſtantiâ familiari „ fratres ſumus, quæ penes vos ferè dirimit „ fraternitatem. Itaque quia animo animâque miſcemur, nihil de rei communicatio„ ne dubitamus: omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores". Hæc itaque animorum animarumque miſtio, & inde ſuppullulans rerum communicatio, id præſtitit Chriſtianis primorum illorum ſæculorum, ut inter eos nemo egeret, ſed unicuique, quantùm opus eſſet, de communi ſuppeteret.

LXXIV. Quanquam autem aucto poſteà in immenſum numero Chriſtianorum, refrigueſcerit nonnihil charitas multorum, ceſſaritque priſtina illa communio bonorum; adeò ut Vide ſuprà §. 6. Hieronymus, §. 6 relatus, ſcribere non ſit cunctatus, *Eccleſia perſecutionibus crevit, martyriis coronata eſt; at poſtquam ad Chriſtianos Principes venit, potentiâ quidem & divitiis maior, ſed virtutibus minor facta eſt:* nunquam tamen eò devênit, aut deventura creditur, ut non ei congruat illud *Mulieris fortis* elogium à Salomone Prov. 31. 20. decantatum: *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* Nam inprimis quod ad corporalem miſeriarum ſublevationem attinet, Eccleſia ne initiatis quidem vaſis parcendum præſcribit, ut indigentibus ſubveniatur. Unde Ambroſii ſententiam id dictantem, Corpori Juris publici inſeruit, ne quis ejus ignorantiam prætexat: & Auguſtini exemplum proponit imitandum, de quo in Eccleſiaſtico officio inter alia ait: V. Tantâ „ benignitate fuit in pauperes, ut cùm non „ eſſet alia facultas, ſacra vaſa frangeret, ad eorum inopiam ſuſtentandam". Similiter & Paulini Nolani Antiſtitis egregium facinus prædicat, qui non ſolùm W. Omnem facul„ tatem, ne relictis quidem ſibi rebus ad vi„ tam neceſſariis, in alendos pauperes, & captivos redimendos contulit": Sed præterea, " cùm ab eo poſceret vidua, ut filium ſibi re„ dimeret; conſumptis rebus omnibus in of„ ficio pietatis, ſeipſum pro illo in ſervitutem tradidit". Sed nec illud ſilentio prætereundum fuerit, quòd eadem Eccleſia etiam diu poſt Principum Mundi converſionem, & ſacrarum ædium ab iis factam non modò erectionem, ſed & dotationem, palàm ſancierit, ut omnium proventuum Eccleſiaſticorum pars quarta cederet ſublevandis pauperum anguſtiis. Unde ſummus Eccleſiæ Hierarcha cuidam inferiori Præſuli ſe conſulenti reſcripſit: „ X. Mos eſt Apoſtolicæ Sedis, ordinatis Epiſ„ copis præceptum tradere, ut de omni ſti„ pendio quod accedit, quatuor fieri debeant „ portiones: una videlicet Epiſcopo & fami„ liæ ejus, propter hoſpitalitatem & ſuſce„ ptionem; alia clero, tertia verò pauperibus, quarta Eccleſiis reparandis". Contigit autem ejuſdem Gregorii Papatu quoſdam in Siciliâ Epiſcopos prædictam Sanctionem perperàm interpretari in ſuæ avaritiæ favorem, quaſi ea de antiquis duntaxat Eccleſiarum proventibus ante ipſam fundatis, non etiam de poſtmodùm accedentibus intelligenda foret. Cui interpretationi obvians idem Pontifex, ita reſcripſit Syracuſano Antiſtiti Maximiano, ſuo per Siciliam Commiſſario, lib. 3. Epiſt. 11. " Cognovimus, de reditibus Eccleſiarum „ noviter acquiſitis canonicam diſpoſitionem „ quartarum minimè provenire: ſed locorum „ Epiſcopos tantummodò diſtribuere quartam „ redituum antiquorum; nunc verò quæſita „ ſuis uſibus retinere. Quam rem pravam, „ ſubintroductamque conſuetudinem, Fra„ ternitas tua vivaciter emendare feſtinet: ut „ ſive de præteritis reditibus, ſive de iis qui „ nunc obvenerunt vel obvenerint, quartæ „ ſecundùm diſtributionem canonicam diſpenſentur". Et hæc quidem Gregorii Reſcripta Corpori Juris inſerta habentur Cauſa 12. q. 2. ubi etiam vetuſtiorum quorundam Pontificum, ſignanter Gelaſii & Simplicii, Decreta eòdem ſpectantia recitantur. Circa quæ obſervandum primò eſt, Romanos Pontifices ſolitos fuiſſe peculiari præcepto novellis Epiſcopis injungere obſervantiam quadripartitæ illius diſtributionis peragendæ. Secundò eandem illam quadripartitam diſtributionem continere exercitium quaternorum operum miſericordiæ corporalium: nam pars Epiſcopo competens habebat onus exercendi hoſpitalitatem, quæ includit cibationem, potationem, hoſpitationem: & pars cedens fabricæ, trahebat ſecum onus ſepeliendi defunctos, quorum utique inhumationi ſerviunt templa, cum cæmiteriis. Unde in Synodo Toletana fit expreſſa *cæmiteriorum* mentio, prout refertur cap. *Sancimus*, eâdem cauſâ 12. q. 2. ubi injungitur Epiſcopis ut proventus Eccleſiæ in quatuor dividant partes, Y. Ita ut prima pars, „ ſecundùm Apoſtolorum præcepta, titu„ lorum necnon cæmiteriorum reſtauratio„ nibus diligenter attribuatur, ſecunda cle„ ricis, tertia cunctis pauperibus, quarta verò advenis". Ubi quarto membro continetur portio Epiſcopi, quæ dicitur cedere *advenis*, propter annexum onus ſuſcipiendi hoſpitio *advenas*, ſive peregrinos. Notanda quoque eſt illa ſanctionis clauſula univerſalis in tertio membro, *cunctis pauperibus*: quæ comprehendit etiam eos, qui ob inopiam carent veſtitu, vel lytro redemptionis de captivitate aut carcere; vel corporis valetudine, per egeſtatem abactâ turbatâve: ut proinde Eccleſia omnia ſeptem miſericordiæ corporalia opera egentibus impenderit cùm quadripartitam illam proventuum diſtributionem

Marginal notes: Vide Ambr. l. 2. Offic. c. 28 relatum cap. *Aurum*, 12. q. 2. — V Breviar. Rom. die 28. Auguſti. — W. Idem die 22. Junii. Vide Aug. l. 1. de Civit. cap 10. & Proſp. l. 2. de vita contempl. c. 9. & Greg. lib. 3. Dialog. cap. 1. — X. Greg. l. 12 Regiſtri Epiſt. 31. in Reſp. ad interrogationem 1. Auguſtini Anglorum Epiſcopi. — Y. Synod. Toletana relata cap. *Sancimus*, 12. q. 2.

Digitized by Google

butionem inſtituit, & executioni mandavit. Quamvis autem priſca iſta praxis jam pridem in deſuetudinem abierit, & quarta illa pauperum olim portio proceſſu temporis clero affatim multiplicato accreverit; nihilò tamen minùs egentium neceſſitati ſubventum eſt, partim quidem per erectionem Xenodochiorum Noſocòmiorum, Orphanotrophiorum, Leproſariorum, & ſimilium piarum ædium uſui pauperum, peregrinorum, vel infirmorum ſervientium: partim inſuper per obſtrictionem clericorum ad eroganda egenis ſuperflua proventuum & obventuum ſuorum. Quâ in re, ut præteream vetuſtiores canones, noviſſima Synodus œcumenica, Tridenti celebrata, „ Z. Omninò Epiſcopis interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos familiareſve „ſuos augere ſtudeant: cùm & Apoſtolorum „ Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, „ quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed, „ ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant". Et mox iterum addit ibidem: " Quæ „ de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolùm „ in quibuſcunque beneficia Eccleſiaſtica, tam „ ſæcularia, quàm regularia, obtinentibus, „ pro gradûs ſui conditione obſervari, ſed & „ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit".

Z. Synodus Trid. Seſſ. 25. c. 1 de Reformat.

LXXV. Atque hinc ſatis elucet quantoperè Eccleſia, exercendo corporalia miſericordiæ opera, ſatagat, ut in ſe ac de ſe verificetur illud Salomonis de *Muliere forti* elogium, toto hoc capite diſcuſſum: *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* Sed nec minori ſtudio vel induſtriâ contendit, illud ipſum elogium in ſe ac de ſe verificare, quantùm ad ſpiritalium miſericordiæ operum exercitium; quorum varietatem ſuperiùs §. 72. ſummariè perſtrinximus. Unde Beda & Rabanus, cùm illud elogium de operibus eleëmoſynarum, utique corporalium, accipi poſſe præmiſiſſent, ſubdiderunt: A. Sed melius de verbo Dei, quod indumentum ſalu„ tis animabus confert, intelligitur; de quo „ Beatus Job gloriatur, dicens: *Iuſtitiâ in„ dutus ſum, & veſtivi me ſicut veſtimento & dia„ demate, iudicio meo. Aperuit* autem Eccleſia „*manum inopi*, cùm myſteria fidei ignorantibus, „ per operarios veritatis, revelavit: *Palmas ex„tendit ad pauperem*, cùm longè latèque prædi„ catores ad imbuendas æternæ ſalutis indigas nationes diſperſit". De Deo Patre ſcribit Pſalmographus, quòd *Miſerit verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuerit eos de interitionibus eorum.* Porrò præter Verbum Patris æternum, conſubſtantiale mittenti, quod B propter nos homines „ & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœ„ lis, & incarnatum eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine"; eſt aliud Verbum Dei, temporale quidem & externum, ſed tamen ad

Prov. 31. 20.

A Beda & Rabanus in cap. 31. prov. v. 20. item Beda lib. de Muliere forti, litt. Caph. Iob 29. 14.

Pſ. 106. 20.

B Symbol. Nicenum.

æternum illud perducens, & omnium ſpiritalium languorum ac miſeriarum ſublevamini idoneum: de quo in libro Sapientiæ legitur, *Sermo tuus, Domine, ſanat omnia.* Quod quomodò præſtet ſermo divinus partim ſcriptus, partim traditus, eruditè edifferit in ejus loci Commentario Holcot. Cæterùm quia ſermo Dei ſcriptus ordinat ægrotis pro medicamine, ut autem accommodent ſermoni etiam non ſcripto, ſed tradito: idcircò veteres Tractatores eum ita commendant, quaſi ſolus omnibus languoribus ac miſeriis ſpiritalibus tollendis aut ſublevandis ſufficiat: C. Omnes, „ inquit Ambroſius, ædificat Scriptura divi„ na: in ea invenit unuſquiſque quo aut vulnera ſua curet, aut merita confirmet". Et Magnus Baſilius: D. Scriptura omnis, inquit, „ divinitùs inſpirata, & utilis, hac unâ ra„ tione à Spiritu Sancto conſcripta aſtruitur: „ ut ex eâ, haud ſecùs ac è communi quapiam „ curandarum animarum officinâ, medelam „ ſuo quiſque morbo ſalutarem & accommodam ſeligere queat". Quæ ſententia penè verbatim extat etiam apud Auguſtinum in Prologo, explanationi Pſalmorum præfixo. Qui & alibi de eâdem divinâ Scripturâ loquens, ait: E. Quicquid homo extra didicerit, ſi „ noxium eſt, ibi damnatur; ſi utile eſt, ibi invenitur". Qui rurſùs lib. 9. Confeſſ. cap. 4. " Vehementi, inquit de ſe ipſo, & acri dolo„ re indignabar Manichæis, & miſerabar eos „ rurſùs, quòd illa Sacramenta (*divinarum „ Scripturarum*) illa medicamenta neſcirent, & „ inſani eſſent adversùs antidotum, quo ſani eſſe potuiſſent". Et Chryſoſtomus: F. Quâ„ cunque calamitate, inquit, humanam na„turam premente, conveniens ex Scripturis an„tidotum accipere licet, quo omnis vitæ hujus „ repellatur anxietas, neque ab ullo quod acciderit gravemur". Et pauló ſuperiùs ibidem: " Omnia, inquit, in divinis Eloquiis ſcripta, „ non aliâ de causâ memoriæ tradita ſunt, „ quàm propter noſtram utilitatem & ſalutem. „ Hæc ſecum quiſque expendat, ſuiſque con„ grua vulneribus pharmaca apponat: propter„ eà enim tot cuivis ſunt propoſita, ut liceat „ volenti conveniens ſuis affectionibus medi„ camen adhibere, & celerrimam ſanitatem „ accipere; tantùm medicinæ curam ne quis „ rejiciat, ſed ſuam gratitudinem declaret: „ nulla enim in humanâ naturâ vel corporis „ vel animæ eſt paſſio, quæ medicinam hinc accipere nequeat". Et Hieronymus: G. Nos, „ inquit, leporem artis Rhetoricæ contem„ nentes, & puerilis atque plauſibilis eloquii „ venuſtatem, ad Sanctarum Scripturarum gra„ vitatem confugimus; ubi vera vulnerum „ medicina eſt, ubi dolorum certa remedia; „ in quibus *recipit unicum filium mater, in feretro*; „ ubi turbæ dicitur circumſtanti, *Non eſt mortua*

Sap. 16. 12.

Holcot.

C. Ambroſ. in Pſal. 48. v. 8. Vide eund. in c. 10. Lucæ v. 34.

D Baſil. in Prologo Pſalterii: Vide eund. Epiſt. 1. ad Greg. Nazianz.

E Aug. l. 2. de Doctrina Chriſt. c. 42. Vide ibid. cap. 9.

F Chryſoſt. Homil. 29. in Geneſim.

G. Hieron. Epiſt. 14. cap. 1.

Lucæ 7. 15.

Mat. 9. 24.

Digitized by Google

Ioan. 11.44. „ *tua puella, ſed dormit*; ubi & *quatriduanus mor-* „ *tuus ad vocem inclamantis Domini ligatus egredi-* *tur*". Ubi videmus divino ſermoni non ſolùm attribui vim ſublevandi ægros, ſed & vivificandi mortuos; & quidem etiam vetuſtos, ac præ vetuſtate jam fœtidos, ſepulchroque illatos: qualis fuerat Lazarus, poſtremo loco in exemplum adductus; cujus reſuſcitatione cenſet Auguſtinus figurari ſpiritalem vivificationem eorum, qui, diuturnâ peccandi conſuetudine preſſi atque obruti, non modò defuncti, ſed & ſepulti jam fœtent. *Mulier* itaque *fortis*, id eſt, Sancta Eccleſia, divini ſermonis tam ſcripti quàm traditi cuſtos integra, & adminiſtra impigra, *Manum ſuam aperit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem*, dum ex ejuſdem ſermonis uberrimo myrothecio panchreſtum depromit; eoque omnis generis non ſolùm morbis, ſed & mortibus, antidotum opponit, ſive præſervativum, ſive ſanativum, ſive etiam reſuſcitativum. Rectè verò advertit Auguſtinus, animorum hujuſmodi medicinam, generali quadam conſideratione, [H.] in „ duo diſtribui, coercitionem ſcilicet & in- „ ſtructionem. Coercitio timore, inſtructio „ verò amore perficitur; ejus dico cui per di- „ ſciplinam ſubvenitur: nam qui ſubvenit, „ nihil horum duorum habet, niſi amare. In „ his duobus Deus ipſe, cujus bonitate atque „ clementiâ fit omninò ut aliquid ſimus, duo- „ bus Teſtamentis, vetere & novo, diſcipli- „ næ nobis regulam dedit: quamquam enim „ utrumque in utroque ſit, prævalet in veteri „ timor, amor in novo; quia ibi ſervitus, hìc libertas ab Apoſtolo prædicatur". Hìc myſterio forſan non vacat, quòd Salomon in præſenti verſiculo *manum* quidem expreſſerit ſingulariter, *palmas* autem dixerit pluraliter: illud ſcilicet propter unitatem affectus, quo Eccleſia proſequitur eos quibus ſpiritalem medelam miſericorditer impendit, ſive ignorantes docendo, ſive dubitantibus conſilium ſuggerendo, ſive mœſtos conſolando, ſive offenſas remittendo, ſive injurias ſupportando, ſive auxilium deſuper implorando, ſive delinquentes corripiendo: illud autem propter biformitatem ipſius ſubventionis, quâ nonnullis ſubvenit provocando amorem, aliis verò incutiendo timorem: [I.] Claves quippe „ regni cælorum, inquit Auguſtinus, ſic de- „ dit Chriſtus Eccleſiæ, ut non ſolùm dice- „ ret, *Quæ ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & „ in cælis*, ubi apertiſſimè bonum, non malum, „ pro malo reddit Eccleſia: verùm & adjun- „ geret, *Quæ ligaveritis in terra erunt ligata & in „ cælo*, quia bona eſt etiam vindicandi juſti- „ tia. Illud enim quod ait, *Si nec Eccleſiam au- „ dierit ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, „ gravius eſt, quàm ſi gladio feriretur, ſi „ flammis abſumeretur, ſi feris ſubjiceretur: „ nam ibi quoque ſubjunxit, *Quæ ligaveritis „ ſuper terram erunt ligata & in cælo*, ut intelli- „ geretur, quanto graviùs ſit punitus, qui „ velut relictus eſt impunitus. Hic dicat iſte „ (*Manichæus*) ſi placet: *Siccine mandata Sal- „ vatoris accipimus, iubentis: Nemini reddideritis „ malum pro malo, ſed ſi quis vos percuſſerit in unam „ maxillam, præbete & alteram, & dimittite in- „ iurias fratribus veſtris?* Ecce ab hominibus „ non reddentibus malum pro malo, alligatur „ homo amariùs & infeliciùs Eccleſiæ clavi- „ bus, quàm quibuſlibet graviſſimis & du- „ riſſimis ferreis vel adamantinis nexibus"! Ex quibus claret, non eam duntaxat diſciplinam quæ medicinaliter adhibetur per viam inſtructionis, ſed eam quoque quæ per viam coercitionis, procedendo etiam uſque ad fulmen anathematis, inter ſpiritalia miſericordiæ opera rectiſſimè cenſeri, atque à *Muliere forti*, quæ eſt Eccleſia, ex pio ac materno affectu *palmas ſuas ad pauperem extendente*, pro eleemoſynâ ritè expendi: [K.] quia & ipſa quæ *damna- „ tio* nominatur, quam facit Epiſcopale judi- „ cium, quâ pœnâ in Eccleſiâ nulla major eſt, „ poteſt, ſi Deus voluerit, in correptionem ſaluberrimam cedere, atque proficere".

Vide Aug. Tract. 49. in Joann. & q. 65. inter 83. & Epiſt. 89. q. 2.

Prov. 31. 20.

H. Aug. lib. de Moribus Eccleſiæ cap. 28.

I. Aug. l. 1. contra Adverſ. Legis & Prophet. cap. 17.

Mat. 18. 18.

Ibid. v. 17.

Adverſatius.

Mat. 5. 39.

Mat. 18. 35.

Auguſtinus.

K. Aug. l. de Corrept. & Gratiâ c. 15.

CAPUT

CAPUT XXIII.

Duodecimum ejuſdem Poëmatis verſiculum inchoat duodecima Hebraici Alphabeti littera, Lamed *dicta*; *cujus variæ interpretationes recenſentur*, *& Eccleſiæ congruere monſtrantur. Editionis vulgatæ ab editione 70. Interpretum diſcrepantia.* Domus *pro* Familiâ *crebrò uſurpata non ſolum apud ſacros*, *ſed apud profanos quoque Scriptores. Quo ſenſu dicatur Deus* ædificaſſe Adæ coſtam in mulierem? *Tota Mulieris fortis laus in Virum ejus redundat*, *ut qui unde laudaretur donârit. Hic domo ſuâ pro tempore abſens*, *curâ ſalutis ac ſoſpitatis domeſticorum ſuorum tangitur*, *ſed nequaquam angitur. An apud inferos cum ardore nimio ſint algores nivium? Quænam ſint* veſtimenta duplicia, *quibus domeſtici Mulieris fortis muniuntur adversùs* frigora nivis? *Unde fletus*, *unde item dentium ſtridor in damnatis? In Eccleſia militante miſcentur electis reprobi. Quo ſenſu ait Beda*, Quicunque pereunt, ad domum non pertinebant, nec veſte ejus ſpiritali erant induti? *Quid veſtis nuptialis*, *ſine quâ nullus convivio regio cenſetur dignus*, *ſed exterioribus tenebris obnoxius?*

LXXVI. MEdietatem Alphabetici carminis, de Laudibus *Mulieris fortis* à Salomone concinnati, decurrimus priorem; eâque permensâ devolvimur ad poſteriorem, cujus primus verſiculus incipit à litterâ *Lamed*, quæ, juxta Hieronymum §. 48. relatum, nota eſt *diſciplinæ*, ſive *cordis*; & in connexione cum ſuperiore litterâ *Caph*, conflat *Manum diſciplinæ*, ſive *Manum cordis*. (Hieronym.) Hieronymo conſonant Ambroſius & Beda in Pſalmum 118. ad Octonarium 12. ab eâdem litterâ cœptum, ſive etiam ei tanquam titulo ſubnexum: quorum prior eam dicit interpretari *cor*, poſterior *diſciplinam*. (Ambroſius. Beda. Vide ſuprà §. 14.) Arboreus autem hac interpretatione omiſsâ, alias quatuor recenſet, nimirùm *fultura*, *adiutorium*, *erectio*, *firmamentum* (Arboreus.) Nonnullis apud Del-Rium in caput 1. Threnorum v. 12. interpretatur *Stimulus*, aliis *Veru*, aliis *Doce*. (Del-Rio.) Quæ omnes interpretationes ſatis aptè in Eccleſiam quadrant; quippe quæ domeſticos ſuos *diſciplinariter* exercet, ut non ſolùm exteriùs in corpore, ſed & interiùs in *corde* mores ſuos componant ad normam ſibi præſcriptam: non adhæreant præſentibus, ſed proſpiciant *futura*, confidant in *adiutorio* Altiſſimi; non humi repant, ſed ſurſum ſe *erigant*, atque in eâdem erectione ſe *firment*. Quo in exercitio ſi quos ipſa deprehenderit ſegnes, eos *docet* quidem verbo & exemplo, ſed ubi cernit *non emendari verbis ſervos pigros*, (Prov. 29. 19. juxta 70.) nec inſtigari exemplis ut pigritiam excutiant, arripit *ſtimulum* ſive *veru*, quo eos pungat, ſicut ſedulus agricola boves deſides. Quam ejus diſciplinam conſiderans Salomon, ait hìc de eâ: *Non timebit domui ſuæ à frigoribus nivis*, *omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.* Prov. 31. 21. Ubi per *domum* intelligi non tam habitaculum, quàm familiam ſive ipſos *domeſticos* de quibus in poſteriori hemiſtichio fit expreſſa mentio, indicant Pagninus & Vatablus, qui verterunt, *Non timebit familiæ ſuæ à nive.* (Pagninus. Vatablus.) Quæ utique uſurpatio *domûs* pro familiâ, ſignanterque pro liberis ſive poſteris, admodùm frequens eſt in Scripturis, ut *domus Iſraël*, *domus Iuda*, *domus Levi*, *domus Aaron*, *domus David* &c. Subinde etiam ambæ voces explanativè junguntur, ut cùm Lucas Euangeliſta refert *Ioſeph fuiſſe de domo & familiâ David.* Luc. 2. 4. Sed nec ea metaphora ſolis ſacris Scriptoribus ita propria eſt, ut non etiam apud prophanos adhibita reperiatur: eâ namque uſus eſt Virgilius cùm ait, [L.] *Veniet luſtris labentibus ætas*, *cùm DOMUS ASSARACI Phthiam*, *claraſq; Mycenas Servitio premet*, *& victis dominabitur Argis.* (L. Virgil. l. 1. Æneid.) Ubi *Domus Aſſaraci* pro familiâ ſeu poſteritate ejus ſumitur. Sic etiam Paterculus *domum* ſumere videtur, cùm de Auguſto Cæſare loquens: „ [M.] Fœda dictu, inquit, memoriâque horrenda in ipſius domo tempeſtas erupit: quippe filia ejus Julia per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil quod facere aut pati turpiter poſſet femina, luxuriâ, libidineque infectum reliquit; magnitudinemque fortunæ ſuæ peccandi licentiâ metiebatur: quicquid liberet, pro licito vindicans". (M. Velleius Paterc. l. 2. Hiſt. Rom. c. 100.) Quod ait, *In ipſius domo*, perinde

valet, ac in ipſius familia: prout etiam indicant hæc verba ibidem eveſtigiò ſubjuncta: " Tum Julus Antonius, ſingulare exemplum „ clementiæ Cæſaris, violator ejus domus, ipſe ſceleris à ſe commiſſi ultor fuit". Ubi amaſius ille Juliæ, filiæ Auguſti, dicitur *violator domus eius*, hoc eſt, contaminator familiæ ejus. Cæterùm ex hac metaphoricâ uſurpatione *domus*, orta eſt alia metaphora verbi *ædificandi*, quod propriè ſignificat ædem facere, ſive domum extruere; per metaphoram verò ſacris Scriptoribus ſatis familiarem transfertur ad ſignificandum familiæ erectionem, vel liberorum propagationem, vel denique etiam uxoris ductionem aut traditionem:

N. Hieron. in qq. Hebr. ad caput 16. Geneſis. Gen. 16. 2.

[N.] Diligenter nota, inquit Hieronymus, quòd „ procreatio filiorum in Hebræo, *ædificatio* „ ſcripta eſt: legitur enim ibi, *Ingredere ad an-* „ *cillam meam, ſi quo modo ædificer ex eâ.* Et vi- „ de, ne fortè hoc ſit, quod in Exodo dici- „ tur:

Exod. 1. 21.

Benedixit Deus obſtetricibus, & ædificaverunt ſibi domos". Aliud hujuſmodi locutionis exemplum occurrit in Deuteronomio, ubi fratri recuſanti ducere viduam fratris ſine prole defuncti, ipſa vidua in faciem ejus ſpuens

Deut. 25 9.

dicebat, *Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui:* id eſt, qui non ſuſcitat ſemen fratri ſuo. Alibi quoque per eandem metaphoram

Ruth. 4. 11.

dicuntur Rachel & Lia *ædificaſſe domum Iſraël*, pariendo ſcilicet Patriarchas viro ſuo Iſraëli. Alibi item pollicitus eſt Davidi Dominus *ædi-*

2. Reg. 7. 11. & 27.

ficare ei domum, id eſt, ſuſcitare ei familiam. Simile quidpiam promiſit per Ahiam Jeroboamo, in eventum quo ſervaret mandata:

3. Reg. 11. 38.

Ædificabo tibi, inquiens, *domum fidelem, quomodo ædificari David domum.* Porrò quoniam uxor ſolet eſſe familiæ baſis & origo, ipſius quoque ductio vel traditio ſubinde dicitur *ædificatio*, tanquam ædium fundatio, ſeu fundamenti domus ſubſtratio:

Gen. 2. 22.

Ædificavit Dominus Deus, inquit Moyſes, *coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* In quem locum Ambroſius ita ſcribit:

O. Ambroſ. lib. de Paradiſo c. 11.

O. Benè *ædificavit* dixit, ubi de mulieris „ creatione loquebatur: quia in viro & mu- „ liere domûs videtur quædam plena eſſe per „ fectio. Qui ſine uxore eſt, quaſi ſine domo „ ſit, ſic habetur: Sicut enim vir publicis of- „ ficiis, ita mulier domeſticis miniſteriis habilior æſtimatur". Eſt præterea alia ratio, ſed planè myſtica, ob quam ſacer Hiſtoricus, Spiritu Sancto calamum ejus moderante, uſus fuit *ædificandi* vocabulo: quia nimirùm formatio illa mulieris de coſtâ viri figurabat efformationem Eccleſiæ de latere Chriſti in cruce perfoſſo. Cùm enim Eccleſia juxta Apo-

1. Tim. 3. 15.

ſtolum ſit *domus Dei*, ejus formatio congruentiſſimè dicta eſt *ædificatio*:

P. Epiphan. Hæreſi 78.

P. Accuratam, in- „ quit Epiphanius, ſacrarum litterarum dili- „ gentiam obſervare licet: quæ cùm de Ada- „ mo loquuntur, *formandi* vocabulum adhi- „ bent; Evam verò nequaquam formatam, „ ſed *ædificatam* eſſe dicunt:

Gen 2. 22.

Sumpſit enim, in- „ quit, *unam de coſtis illius, & ædificavit ipſi in* „ *mulierem*: quo illud intelligeremus, Domi- „ num ſibi ipſi corpus è Mariâ finxiſſe: Ec- „ cleſiam verò ex ipſo latere velut *ædificatam* „ fuiſſe, cùm ejus latus eſt cuſpide ſauciatum; „ ab eodemque ſanguinis & aquæ, ad lotionem noſtram, profluxiſſe myſteria". Et Rabanus Maurus:

Q. Raban. lib. 1. in Geneſim c. 14. Vide Rupert. lib. 2. in Ezechiel. c. 12. & l. 2. de operibus Spir. Sancti cap. 19. & l. 6. de Offic. c. 16. & l. 2. & 13. in Joannem.

Q. Typico verbo, inquit, „ uſa eſt Scriptura, ut non diceret, fecit, aut „ formavit, aut creavit, ſicut in omnibus ſu- „ prà operibus: ſed, *Ædificavit*, inquit, *Do-* „ *minus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in* „ *mulierem*; non tanquam corpus humanum, „ ſed tanquam *domum*. Quæ domus ſumus nos, „ ſi fiduciam & gloriam ſpei uſque ad finem „ firmam retineamus. Taliter enim decebat „ ut humani generis origo Deo cooperante „ procederet, quatenùs redemptioni ipſius, „ quæ in fine erat ſæculi per eundem ventura „ Conditorem, concinentibus figuris teſtimonium daret".

LXXVIII. Satis hinc elucere jam arbitror, Salomonem in priori parte præſentis verſiculi non abſonè, nec à Scripturarum ſtylo alienè, per *domum* intellexiſſe credi familiam: prout Pagnini & Vatabli verſio exprimit. Sed difficultatem novam faceſſit editio 70. Interpretum, quam Ambroſius & Auguſtinus amplexi ſunt; quæ non ad *Mulierem fortem*, ſed ad virum ejus, hunc refert verſiculum, iſto verborum tenore:

Prov. 31. 21. juxta 70.

Non eſt ſollicitus de iis quæ in domo vir eius, ſicubi moratus fuerit: omnes enim qui ab eâ, induti ſunt. Sed abſque ullo ambiguitatis nubilo iſta editio, perinde ac noſtra vulgata proximo §. exhibita, *Mulieris fortis* laudes adaggerat. Quemadmodùm enim in laudem Patriarchæ Joſeph redundat, quod de hero ejus Ægyptio ſcriptum eſt,

Gen. 39. 6.

Nec quidquam aliud noverat, niſi panem quo veſcebatur:

R. Del-Rius Adagio 41. Vide eund. in cap. 39. Geneſis v. 6.

R. Quaſi di- „ cas, inquit in Adagiis Del-Rius, herus ſua „ non curabat, contentus frui paratis labore „ Joſeph, dormiebat in utramque aurem, ſol- „ licitus tantùm edere & bibere. Galli dice- „ rent, *Il n'avoit ſoing que de s'aſſeoir à la table.* „ Sic inferiùs dicitur de cuſtode carceris,

Ibid. v. 23.

Nec „ *noverat quidquam, cunctis ei* (Joſepho) *traditis*". Quemadmodùm, inquam, hæc tanta fiducia heri, cedit in laudem miniſtri: ita inſollicitudo viri *Mulieris fortis* circa ſuam domum eidem commiſſam, redundat in laudem ipſius commiſſariæ: prout in ſimili aliàs oſtendimus, cùm eum verſiculum ſuprà hîc capite 16. tractaremus,

Vide ſuprà §. 51. & 52.

Confidit in ea cor viri ſui. Ideò quippe vir ejus *non eſt ſollicitus de iis quæ in domo ſua ſunt*, quoniam probè novit quàm ſedula, induſtria, impigra, ac fida ſit ea, cui curam ejuſdem domus commiſit. Ambroſius pro, *Non eſt ſollicitus*, legit, *Non habet curam*: ac

Digitized by Google

S. Ambroſ. in caput 31. Proverbior. cap. 6. Vide Aug. Serm. 45 de Diverſis c. 10. & 11. 2. Tim. 2. 19. Rom. 8. 30. Ibid v. 31.
ac tum ſubdit, ˢ Quomodò *curam non habet*
,, *eorum quæ ſunt in domo vir iſte*, cùm ſcriptum
,, ſit, *Novit Dominus qui ſunt ejus*: & alibi, *Quos*
,, *prædeſtinavit, hos & vocavit; quos vocavit, hos &*
,, *juſtificavit; quos juſtificavit, illos & clarificavit*:
,, & deindè, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*
,, Si vir iſte novit, prædeſtinat, vocat, juſti-
,, ficat, & clarificat, ſi etiam protegit; quo-
Prov. 31. 21. ,, modò *curam non habet?* Sed hìc *cura* pro
,, metu, animique anxietate, accipitur; non
,, pro diligentiâ, & ſtudio. Habet enim hic
,, vir *eorum quæ in domo ſunt* diligentiam: nam
Luc. 12. 7. ,, *Capilli capitis veſtri*, inquit, *omnes numerati*
Luc. 21. 18. ,, *ſunt, & unus ex illis non cadet*: & alibi, *Capil-*
,, *lus de capite veſtro non peribit*. Sed animi anxie-
Joan. 10. 28. ,, tate non torquetur, quia *Nemo rapiet oves de*
Joan. 18. 9. ,, *manu ſuâ*: & *Non perdidi*, inquit, *ex eis quem-*
,, *quam*. Curam ergo non habet eorum, hoc
,, eſt, angorem non patitur quòd illi ſint pe-
,, rituri: quia non cadent, & quia ipſe ſup-
Prov. 31. 21. ,, ponit manum *Sicubi moratus fuerit*: Ubi au-
,, tem *moratur*, niſi unde venturus eſt? Ven-
Pſalm. 18. 6. ,, turus eſt autem è cælo, quia *à ſummo cælo*
,, *egreſſio ejus*. Moratur igitur in cælo, quia
Iſa. 66. 1. ,, *Cælum*, ait, *mihi thronus eſt*. Dicitur verò ibi
,, morari, quòd tardet: multi namque deſi-
,, derant ejus adventum, ſed ſpes eorum dif-
,, fertur, donec matronæ hujus filiorum nu-
,, merus compleatur Multi etiam ad eorum
,, perniciem pro ſuâ impietate abutuntur il-
Luc. 12. 45. ,, lius tarditate: dicit enim malus ſervus, *Tar-*
& 46. ,, *dat Dominus meus: & incipit cædere conſervos, &*
,, *inebriari cum malis. Sed veniet Dominus ejus in*
,, *die quâ neſcit, & in horâ quâ ignorat: & dividet*
,, *eum, partemq; ejus cum infidelibus ponet*. Divi-
Matt. 13. 49. ,, det eum, quia *Separabit malos de medio juſto-*
,, *rum*: partemque ejus cum infidelibus ponet,
Matt. 25. 46. ,, quia *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem*
Prov. 31. 21. ,, *in vitam æternam*. Nunc interim dum *alicubi*
,, *moratur, curam*, id eſt, anxietatem, *non*
,, *habet eorum quæ ſunt in domo*. Et reddit ratio-
Ibid. ,, nem: *Omnes enim ab eâ, induti ſunt*, Nun-
,, quid de nuditate ſervorum ſuorum ſollici-
,, tus eſt cùm alicubi moratur, habens conju-
,, gem talem? Non utique: nam optimè ve-
,, ſtiti ſunt. Quàm optimè, vultis noſſe?
Gal. 3. 27. ,, *Quotquot in Chriſto*, inquit, *baptizati eſtis, Chri-*
,, *ſtum induiſtis*. Omnes ab eâ veſtiti ſunt, &
,, boni, & mali ſervi: ſed boni veſtiti ſunt,
,, quia Chriſtum induerunt non tantùm in
,, formâ Sacramenti, ſed etiam in opere
1. Pet. 2. 21. ,, exempli, *Sequentes veſtigia Domini ſui*: alii
,, verò uſque ad Sacramentum, de veſte red-
,, dituri rationem. Non ceſſat iſta *Mulier* om-
,, nes veſtire, ut nemo queratur, nemo dicat:
,, Ideò non ſum benè operatus, quia non ſum
Vide ſuprà ,, veſtitus. Videtè ergo quemadmodùm in-
§. 60. & 61. ,, duti eſſe debeatis; & quòd ut veſtiamur, ne-
,, ceſſe eſt ut opera faciamus: nam, ut ſuprà
Prov. 31. 15. juxta 70. ,, vidiſtis, *Mulier hæc dedit ancillis opera*: & ſic
ab eâ induimur". Ubi obiter occaſione fina-
lis hujus ſententiæ advertendum fuerit, non
ſufficere adultis Eccleſiæ domeſticis interu-
lam fidei, ſed veſtiri inſuper debere exterulâ
operum. Unde vulgata præſentis verſiculi le-
ctio perhibet, omnes Mulieris hujus fortis
domeſticos *Veſtiri duplicibus*, veſtimento ſcilicet Prov. 31. 21.
fidei, & ſuperindumento operum. Quâ de re Vide ſuprà §. 56 60. 61.
aliquoties in ſuperioribus jam actum eſt, ſi- 62 69. &
gnanter locis in margine hìc notatis: quibus 70.
& nonnulla accedent ex alterâ hujus loci in-
terpretatione proximè ſubdendâ.

LXXIX. Vidimus hujus verſiculi interpreta-
tionem, ab Ambroſio & Auguſtino, editionem
70. Interpretum ſecutis, traditam: oſtendimuſ-
que eandem editionem non alienare à *Muliere*
forti laudem iſtic decantatam, tametſi de viro
ejus expreſsè inſtituatur ſermo. Videamus por-
rò alteram interpretationem, à Bedâ & Raba-
no, vulgatam editionem amplexis, concinna-
tam: ᵀ *Frigora nivis*, aiunt ipſi, corda ſunt re- T. Beda &
,, proborum, perfidiæ ſuæ torpore rigentia: de Rabanus in
,, quibus ait Dominus, *Quoniam abundabit ini-* caput 31. Proverb. v.
,, *quitas, refrigeſcet charitas multorum*: quæ illâ 21 item Beda lib de
,, utique nive peſſimè deprimuntur, quæ ob Muliere forti,
,, primæ ſuperbiæ meritum de cælo corruens litt. Lamed.
,, in profunda tenebrarum, nihilominùs ſe Prov 31. 21.
,, velut Angelum lucis adhuc ſtultis oſtentare Matt. 24. 12.
,, præſumit, habitumque meritorum ſuorum
,, candori niveo ſimilem fraudium ſuarum
,, neſciis præfert: quod quidem Domini &
,, Angelorum ejus eſt proprium, in habitu
,, niveo claritatem ſuæ deſignare virtutis.
,, *Non timebit* autem Eccleſia *domui ſuæ à frigori-* Prov. 31. 21.
,, *bus nivis* memoratæ; quia, Domino polli-
,, cente, credit, quòd *Portæ inferi non prævale-* Matt. 16. 18.
,, *bunt adverſus eam*. Porrò *Omnes domeſtici ejus* Prov. 31. 21.
,, *veſtiti ſunt duplicibus*, & ſapientiâ videlicet
,, ad refellendas hæreticas falſorum fratrum
,, doctrinas, & patientiâ ad tolerandas aper-
,, torum hoſtium pugnas: vel certè *Veſtiti ſunt*
,, *duplicibus*, quia *Promiſſionem habent vitæ quæ* 1. Tim. 4. 8.
,, *nunc eſt, & futuræ*; nunc in peregrinatione
,, temporali divino auxilio ne deficiant adju-
,, ti, tunc in patriæ perpetis habitatione, di-
,, vinæ gratiâ viſionis, ut felices ſemper vi-
,, vant allevati. Item *Domeſtici ejus induti ſunt* Prov. 31. 21.
,, *veſte duplici*, unâ operis, alterâ fidei men-
,, tis; habentes factorum velamina, & Sacra-
,, mentis videlicet ſui Redemptoris imbuti,
,, & formati exemplis. Sic enim fit illud
,, Apoſtoli, *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis*, Gal. 3. 27.
,, *Chriſtum induiſtis*. Poſſunt item *frigora nivis*
,, etiam tormenta æterna intelligi, quæ igne
,, & frigore mixta eſſe legimus, cùm dicitur,
,, *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium*: fletum quippe Matth. 8. 12.
,, oculis ignis & fumus, ſtridorem verò den-
,, tibus ſolet frigus gignere. Unde & Beatus
,, Job de pœnis reproborum loquens æternis:
,, *Ad calorem*, inquit, *nimium tranſibunt ab aquis* Job 24. 19.

Digitized by Google

Prov. 31.21. „ *nivium*. Sed in his Eccleſia *domui ſuæ non timebit*; quia quicunque pereunt, ad domum non „ pertinebant, nec veſte ipſius ſpiritali erant „ induti, tametſi myſteriis ejus ad tempus „ videbantur inſtituti. Denique legimus in „ Euangelio ejectum de domo convivii illius „ hominem, qui veſtibus operum immundis „ hanc intrare præſumpſerat, & *in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium*, eſſe „ projectum: meritò utique in frigora pœnarum relegatum, quia indumentum pietatis habere neglexerat". Hæc eadem habet Arboreus, cum nonnullâ tamen interpolatione, ac ſententiarum tranſpoſitione. Notandum interim non removeri hîc à *Muliere forti* timorem vel anxietatem circa ſingulos domeſticos ſuos, ſed circa ipſam domum. Cùm enim fiducia ejus ac ſecuritas nitatur promiſſione Domini, ſpondentis quòd *portæ inferi adversùs eam non ſint prævalituræ*; hæc autem promiſſio ſive ſponſio nequaquam reſpiciat ſingulos de familiâ, ſed ipſam familiam: proculdubiò fiducia illa ac ſecuritas *Mulieris fortis* non abigit timorem anxietatemve ne *portæ inferi* aut *frigora nivis* prævaleant adversùs ſingulos de familiâ diviſim, ſed adversùs ipſam familiam collectim: ad ſingulos verò dirigitur Apoſtolica illa præceptio, *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini*; & illa item Pſalmodica, *Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de viâ juſtâ*: V. Neque enim ait & non veniatis ad viam juſtam; ſed, *Ne pereatis*, inquit, „ *de viâ juſtâ*. Quid oſtendens, niſi eos eſſe „ commonitos qui jam ambulant in viâ juſtâ, ut *in timore Deo ſerviant*"? Ex quo conficitur, falſiſſimum eſſe Novatorum dogma, contendentium juſtificatos non poſſe à juſtitiâ ſemel adeptâ excidere: cùm potiùs ex adverſo, ut ſcitè monet Proſper, W. Quanto excellentiùs „ in mandatis Dei quique proficiunt, tanto „ majores habeant cauſas formidinis & tremoris: ne de ipſis probitatis augmentis „ mens ſibi conſcia, & laudis avida, in ſuperbiæ rapiatur exceſſus; & fiat immunda vanitate, dum ſibi videtur clara virtute".

Matt. 22.13.

Vide Arbor. in caput 31. Prov. v. 21.

Matt. 16.18.

Phil. 2.12.

Pſal. 2.12.

V. Auguſt. lib. de Corrept. & Grat. cap. 9. Ibid. v. 11.

W. Proſper Epiſt. ad Demetriadem cap. 16.

PRÆOCCVPATIO. Beda ſuprà hîc.

Nec quemquam conturbare debet illa Bedæ ſententiola mox relata, *Quicunque pereunt, ad domum non pertinebant*. Quandam enim peculiarem *pertinentiam* attendit Beda, dum negat perituros *pertinuiſſe ad domum*. Quâ utique *pertinentiâ* ii ſoli ad domum *pertinent*, quorum ex perſona ait de excidentibus nec ultrà redeuntibus Joannes Apoſtolus: *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum*: X. Nonne utrique, „ inquit Auguſtinus, à Deo creati, utrique „ ex Adam nati, utrique de terrâ facti erant, „ & ab eo qui dixit, *Omnem flatum ego feci*, „ unius ejuſdemque naturæ animas acceperant? „ Nonne poſtremò utrique vocati fuerant, & „ vocantem ſecuti; utrique ex impiis juſtificati, & per lavacrum regenerationis utrique renovati? Sed ſi hæc audiret ille, qui „ ſciebat proculdubiò quod dicebat, reſpondere poſſet, & dicere: Vera ſunt hæc, & „ ſecundùm hæc omnia *erant ex nobis*: verumtamen ſecundùm ALIAM QUANDAM „ DISCRETIONEM *non erant ex nobis*: „ *nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum*. „ Quænam eſt tandem iſta diſcretio? Patent „ libri Dei, non avertamus aſpectum: clamat „ Scriptura divina, adhibeamus auditum: *Non erant ex nobis*, quia non erant *ſecundùm propoſitum vocati*, non erant *in Chriſto electi ante conſtitutionem Mundi*, non erant *in eo ſortem conſecuti*, non erant *prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus qui univerſa operatur*. Nam ſi hoc „ eſſent, ex illis eſſent, & cum illis ſine dubitatione manſiſſent". Ecce quomodò ſecundùm multiplicem conſiderationem *erant ex nobis*, quod niſi fuiſſent nequaquam *ex nobis prodire* potuiſſent: ſed quia *ſecundùm aliam quandam diſcretionem* extra cenſum domeſticorum extiterunt, juxta eandem *ad domum non pertinebant*. Sed quid illud eſt, quod idem Beda continuò adjicit, *Nec veſte ipſius ſpiritali erant induti*? Reſpondetur, ſermonem illic eſſe de *veſte nuptiali*, prout contextus ſubjunctus indicat: Y. Veſtitus autem nuptialis, ut ait „ Hilarius, eſt gloria Spiritûs Sancti, & candor habitûs cœleſtis; qui bonæ interrogationis confeſſione ſuſceptus, uſque in cœtum regni cœlorum immaculatus & integer reſervatur". Connotat proinde finalem in candore perſeverantiam, quâ carent perituri, etſi fortè ad tempus canduerint. Unde & Auguſtinus eam ſubinde vocat Z. *Fidiſſimam ſponſi charitatem*: ideò utique *fidiſſimam*, quia fidiſſimè reſervatur & cuſtoditur in adventum uſque ſponſi. Qui rurſùs Serm. 14. inter quadraginta nuper à Sirmondo editos: "Proculdubiò, inquit, illa veſtis eſt, quam non „ habent niſi boni, in convivio relinquendi, „ ſervandi ad convivium quò nullus malus „ accedit, ad quod ſunt per Domini gratiam perducendi". Hæc itaque eſt illa ſpiritalis veſtis Eccleſiæ, *Quâ*, juxta Bedam, *non erant induti quicunque pereunt*. Qui etſi habuerint aliquando juſtitiam, non habuerunt in eâ perſeverantiam. Unde fit, ut de quolibet talium verificetur quod per Ezechiëlem ait Dominus, *Omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*.

1. Joan. 2.19.

X. Aug. l. de Bono Perſever. c. 9. Vide lib. de Corrept. & Grat. c. 9.

Iſa. 57.16.

Rom. 8.28.

Epheſ. 1.4. Ibid. v. 11. Ibid.

Beda ſuprà hîc. SCRVPVLVS EXCVTITVR.

Matt. 22.12.

Y. Hilarius Can. 22. in Matthæum.

Z. Aug. l. poſt collationem cat

Ezech. 18. 24.

CAPUT

CAPUT XXIV.

Decimumtertium panegyrici ſui carminis verſiculum inchoat Lamuel ab Hebraicâ litterâ, Mem, *quæ juxta Hieronymum interpretatur*, Ex ipſis, *ut ſubaudias* Scripturis: *juxta Ambroſium verò & Bedam*, Ex intimis. *Oſtenditur utrovis modo interpretatam congruere Mulieri forti, ſub typo Eccleſiæ. Sibine an viro ſuo Mulier fortis fecerit* veſtem ſtragulatam, *pro qua Pagninus vertit* torques, *Vatablus* tapetia, *ſeptuaginta Interpretes* duplices veſtes, *Ambroſius* binas veſtes, *Auguſtinus* duplicia pallia? *De ſago Aod, & ſagis cilicinis tabernaculum fœderis operientibus. Bombycis vermiculi varia metamorphoſis, cum bombycini ſtaminis paraturâ, & hujus à byſſo & ſerico diſcrepantiâ. De purpurâ conchyli, & ejus cruore quo purpureæ olim tingebantur veſtes. Duarum in Chriſto naturarum diſcretio, & hypoſtatica unitio. Multiplices ſuper Verbi incarnatione hæreſes per intervalla exortæ, ſed ab Eccleſiâ viriliter diſploſæ. Si diſcutiantur omnes hæreſes, deprehendentur negare Chriſtum in carne veniſſe. Expenditur quod ſcriptum eſt*, Omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. *Eccleſia florum varietate vernans, in pace habet lilia, in bello roſas.*

LXXX. QUæ providit familiæ ſuæ adverſùs *frigora nivis*, & *domeſticos ſuos veſtivit duplicibus*; proculdubiò non neglexit ſemetipſam, cujus de ſponſo ſuo vox eſt in Canticis,
Cant. 2. 4. *Ordinavit in me charitatem*: ordo autem charitatis, quantùm ad beneficentiæ impenſionem, ab ipſo incipit impenſore, cui nullus impenſarius æquè vel magis ſeipſo eſt propinquus:
Eccli. 14. 5. unde ſcriptum eſt, *Qui ſibi nequam eſt, c. i alii bonus erit?* Ne igitur quiſpiam ex ſilentio panegyriſtæ arripiat anſam ſugillandi *Mulierem fortem*, quaſi ordine charitatis neglecto domeſticos veſtiviſſet, & quidem duplicibus, manente ipsâ vel nudâ, vel ſimplicibus duntaxat amictâ; ſubjicit ille verſiculum iſtum, à decimatertiâ Hebraici ſui Alphabeti litterâ,
Prov. 31. 22. *Mem* dictâ, inchoatum: *Stragulatam veſtem fecit ſibi, byſſus & purpura indumentum ejus.* Ubi quoad poſterius hemiſtichium conſonant omninò vulgato Interpreti Pagninus & Vatablus in ſuis reſpectivè verſionibus, ſed quoad prius hemiſtichium diſcrepant & inter ſe, & à vulgato Interprete. Etenim pro eo quod hic verterit, *Stragulatam veſtem fecit ſibi*, Pagninus
Pagninus. vertit, *Torques fecit ſibi*: Vatablus autem ver-
Vatablus. tit, *Tapetia facit ſibi.* Septuaginta verò Interpretes ſicut non ab ipsâ, ſed à viro ejus removerunt ſollicitudinem ſeu curam ànxiam domus ſive familiæ, prout circa verſiculum præcedentem notavimus §. 78. ita hoc verſiculo non ſibi, ſed viro ſuo veſtem feciſſe ipſam memorant, quanquam poſteriori hemiſtichio conſonent quoad ſenſum vulgato Interpreti. Eorum editio latinè verſa ſic ſonat, *Duplices veſtes* Interpretes 70.
fecit viro ſuo, de byſſo autem & purpura ſibi indumenta. Ambroſius legit, *Binas veſtes fecit viro* Ambroſius.
ſuo, ex byſſo autem & purpurâ ſibi indumenta. Auguſtinus conformiter, ſalvo quòd pro, *Binas* Auguſtinus.
veſtes, legat, *Duplicia pallia.* Porrò initialem hujus verſiculi litteram *Mem*, Hieronymus, §. 48. adductus, interpretatus eſt, *Ex ipſis*, ut ſubaudias, *Scripturis*: propterea nimirùm quòd *Mulier fortis* ex Scripturarum ſententiis aptè coordinatis atque contextis conficiat *veſtem ſtragulatam*, ſive ſagum geſtorium, ventis impervium, nivibus, pluviis, ac procellis hiemalibus impenetrabile: cujus typus exhibitus eſt in *ſagis cilicinis operientibus tectum tabernaculi*; Exod. 26. 7.
necnon in *ſago, ſubter quo accinctus Aod gladio* Judic. 3. 16.
ancipite, trucidavit Eglon Regem Moab. Ambroſius autem in Pſalmùm 118. Octonatio 13. eandem litteram interpretatus eſt, *Ex intimis*, quem etiam imitatus eſt Beda in prœmio ejuſdem octonarii. Quæ ſanè interpretatio ſatis congruit præſenti textui, ſiquidem Mulier fortis *De bono theſauro cordis ſui profert bonum*; de Luc. 6. 45.
rectâ nimirùm fide interiori, ſanam prædicationem exteriorem: dicens cum Apoſtolo, *Nos* 2. Cor 4. 13.
credimus, propter quod & loquimur. Quid verò depromit *ex* illis ſuis *intimis*, niſi *byſſum*, quâ ſibi ac ſuis provideat de indumento byſſino? *Byſſinum*

num enim, ſicut ſcriptum eſt, *iuſtificationes ſunt Sanctorum* : ubi & illud de *Sponſâ agni*, hoc eſt,
Apoc. 19. 8. Ibidem. de hac noſtrâ *Muliere forti*, præmittitur : *Datum eſt illi, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido*. Quidni enim byſſino ſe cooperiat, quæ inſtar bombycis *ex intimis* ſuis byſſum parit :
A. Ambr. l. 5. Hexam. cap. 23. ,, A. Ex cujus filis, ut ait Ambroſius, mollia ,, illa Seres depectunt vellera, quæ ad uſus ſibi proprios vendicarunt divites" ? Neque verò indignum aut abſonum eſt, ut *Mulier iſta fortis*, quæ fide ac ſpe reſurrectionis vivit, comparetur bombyci, qui non modò byſſum *ex intimis* profert, ſed & ſuâ transformatione, creditam ac ſperatam hominum reſurrectionem reformationemque adumbrat :
B. Baſilius Homil. 8. Hexam. 1. Cor. 15. 51. & 52. B. Quid ,, vos dicitis, inquit Baſilius, qui Divo Paulo ,, non creditis de eâ *immutatione*, quam *in reſurrectione fore* dicit; qui pleraſque videtis ,, aëris animantes permutare formas ; qualia ,, de verme quoque illo Indico, cornua pro- ,, tendente gemina, ſolent narrari ? Hic in ,, crucam vertitur primùm, temporis deinde ,, progreſſu fit id quod *bombyx* appellatur : at ,, neque hac in formâ perſiſtit, ſed præmollibus illis corniculorum bracteolis ſeſe ſenſim ,, prolatantibus in alarum ſpeciem, ita demùm ,, fit volucris. Cùm igitur vos, ô mulieres, ,, ſedetis, horum opera retexentes, fila nimirum, quæ ad vos uſque Seres tranſmittunt, ad molles iſtas veſtes concinnandas : ,, veniat vobis in mentem hujuſce varietas ,, animalis in formas, atque mutatio ; indeque reſurrectionis dilucidam certamque ,, ſcientiam ſumite, neu fidem futuræ immutationi abrogetis ei, quam hominibus omnibus communem fore ipſe divinus Paulus pollicetur". De hujuſmodi vermium trans-
Clemens Alex. formationibus diſſerit etiam Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi cap. 10. imitatus Plinium, qui in Naturali Hiſtoria de iis tractans :
C. Plin. lib. 11. cap. 23. Vide Tertull. lib. de Pallio c. 3. ,, C. Horum origo, inquit, è grandiore eſt vermiculo, gemina protendente ſui generis ,, cornua : hi *erucæ* ſunt, fit deinde quod vocatur *bombylis*, ex eâ *necydalus*, ex hoc in ſex ,, menſibus *bombyx*. Telas, araneorum modo, ,, texunt ad veſtem luxumque feminarum, quæ *bombycina* appellantur". Ubi quod ait, *araneorum modo*, eò ſpectat, ut noverimus non aliunde bombyces quàm ex ſuis uteris ſive viſceribus educere byſſum, quemadmodùm aranei ex ſuis telas : aranei, inquam, quos ipſe ibidem cap. 24. vocat tertii generis : " Tertium eorundem genus, inquiens, eru- ,, ditâ operatione conſpicuum, orditur telas : ,, tantique operis materiæ uterus ipſius ſufficit". Atque hinc claret quàm non abſurdè *Mulier fortis*, educens *ex intimis* byſſum quâ ſe veſtiat, vel virum ſuum operiat, aſſimiletur bombyci educenti è ſuis viſceribus bombycina ſtamina, quibus & ſe involvat, & aliis amiciendis materiam ſubminiſtret.

LXXXI. Hæc de initiali iſtius verſiculi litterâ, tam juxta Hieronymi, quàm juxta Ambroſii, ac Bedæ eum ſecuti, interpretationem. Videamus nunc de ipſo verſiculo, cujus varias tranſlationes jam præmiſeramus; & incipiamus à tranſlatione 70. Interpretum, juxta quam *Mulier fortis* non ſibi, ſed *viro ſuo duplices veſtes feciſſe* dicta eſt. Cui inſiſtens Ambroſius, conſonante Auguſtino : D. Quæ ſer- D. Ambroſ. in caput 31. Proverbior. v. 22. & Aug. Serm. 45. de Diverſis c. 12. & 13. Prov. 31. 22. juxta 70.
,, vos ſuos veſtivit, inquit, viro ſuo quid ,, operatur ? Sequitur, *Binæ veſtes fecit viro ſuo*. ,, Operatur ergo viro ſuo duplices veſtes. ,, Jam acclamatis, agnoſcitis enim quæ ſint ,, *binæ veſtes*, quas Eccleſia facit viro ſuo: veſtes ,, namque fidei, confeſſionis, prædicationis. ,, Dicuntur verò *binæ*, quia Chriſtum Deum ,, & hominem confitetur. Dupliciter ergo & ,, tu lauda, ſimpliciter lauda : dupliciter, ut ,, Chriſtum Deum & hominem confitearis ; ,, ſimpliciter, ut non ſis fictus. Quædam mu- ,, lier apud *Photinum*, ab hujus ornamento Mu- Photiniani.
,, lieris pretioſum lapidem excuſſum, jam vilem & abjectum, unde hæretici *Photiniani* ,, nuncupantur, elegit ſimplicem veſtem facere viro ſuo. Ille ergo ſimplicem accepit à ,, conjuge ſuâ, ideò *Chriſtum ſolùm hominem* ,, dixit. Rursùs extitit, neſcio quæ, alia deteſtanda mulier, quaſi texens viro ſuo ſimplicem veſtem, texens item pannoſas fabellas, dixit : *Chriſtus eſt Deus tantùm, omnino* ,, *nihil hominis habens* : hoc *Manichæi* profiten- Manichæi.
,, tur. *Photiniani* hominem tantùm aſſerunt, ,, *Manichæi* Deum tantùm : illi nihil divini in ,, Chriſto confitentur, iſti totum divinum ; ,, & tam divinum, ut nihil humani fateantur ,, in Chriſto. Verùm ſi non erat homo, ergo ,, mortuus non eſt, crucifixus non eſt, ergo ,, nec reſurrexit : quomodò enim reſurgere ,, potuit ille, qui mortuus non fuerat. Ergo ,, & dubitanti diſcipulo falſas cicatrices oſtendit : proculdubio enim falſæ cicatrices illæ ,, fuerunt, ſi vulnera non præceſſerunt ; ſi autem vera præceſſerant vulnera, vera erat ,, caro : ſi vera caro, vera mors, vera crux, ,, verus homo, & totum veritas quicquid de ,, telâ hujus *Mulieris* procedit. Qui *duplicem* ,, hanc non agnoverunt *veſtem*, duplici ligati ,, mendacio remanſere. Sicut ergo *binas veſtes* ,, *fecit* hæc Mulier *viro ſuo*, ſic confiteamur ,, Chriſtum Deum, confiteamur hominem : ,, laudemus Deum in homine, confiteamur ,, hominem in Deo. Texuit hæc *Mulier* pre- ,, tioſiſſimam illam veſtem laudis, *In principio* Joan. 1. 1. & 2.
,, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, hoc erat* ,, *in principio apud Deum*. Texuit & aliam ve- ,, ſtem propter converſationem inter homines ,, quotidianam, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Ibid. v. 14.
Has igitur *binas veſtes fecit viro ſuo*. Prov. 31. 22.
,, Sibi quoque fuit utilis, ideò ſubnectit Scri- ,, ptura, *Ex byſſo autem & purpurâ ſibi indumenta*. Ibidem.

Veſti-

Digitized by Google

„ Veſtimenta itaque fecit ſibi: non enim decebat tot filiorum matronam, tanti viri conjugem, vel nudam incedere, vel pannoſam. *Fecit de byſſo & purpurâ indumenta ſibi: de byſſo* quidem, propter candidam confeſſionem; *de purpurâ*, propter glorioſam paſſionem. Hujus *byſſum* agnoſcimus, cùm oramus: hujus *purpuram* in Martyribus collaudamus". Huic interpretationi, quantùm ad priorem partem, adjici pro ſupplemento vel appendice poterit, quod Leo Papa ſcribit: ut appareat, nullos penè extitiſſe hæreticos, qui non cum Photino & Manichæo, quos ſolos Ambroſius & Auguſtinus in ſcenam hìc produxêre, alterutram veſtem Sponſo denegaverint, adeoque qui *Mulieris fortis* integritatem & induſtriam hac in parte imitari non renuerint:

E. Leo Sermon. 8. de Nativitat. Chriſti c. 4. Vide Serm. 10. cap. 2. & Serm. 8. de Quadrageſima. & Epiſt. 10. ad Flavianum, & Tract. contra errores Eutychetis & aliorum hæreticorum.

„ [E] Omnium ferè, ait ipſe, falſa credentium opinionibus, quæ etiam in Sancti Spiritûs negationem proruunt, retractatis, neminem penè deviaſſe cognoſcimus, niſi qui duarum in Chriſto naturarum veritatem ſub unius perſonæ confeſſione non credidit. Alii etenim Domino ſolam humanitatem, alii ſolam adſcripſêre Deitatem: Alii veram quidem in ipſo divinitatem, ſed carnem dixerunt fuiſſe ſimulatam: Alii profeſſi ſunt veram eum ſuſcepiſſe carnem, ſed Dei Patris non habuiſſe naturam; & Deitati ejus quæ humanæ erant ſubſtantiæ deputantes, majorem ſibi Deum minoremque finxerunt, cùm gradus in verâ divinitate eſſe non poſſit; quoniam quicquid Deo minus eſt, Deus non eſt: Alii cognoſcentes Patris & Filii nullam eſſe diſtantiam, quia non poterant unitatem Deitatis intelligere niſi in unitate perſonæ, eundem aſſeruerunt eſſe Patrem, quem Filium; & naſci, nutriri, pati & mori, ſepeliri & reſurgere, ad eundem pertinere, qui per omnia & hominis perſonam impleret & Verbi. Quidam putaverunt Dominum Jeſum Chriſtum non noſtræ ſubſtantiæ corpus habuiſſe, ſed ab elementis ſuperioribus ac ſubtilioribus ſumptum. Quidam autem æſtimaverunt in carne Chriſti humanam animam non habitaſſe nec fuiſſe, ſed partes animæ ipſam verbi impleſſe Deitatem. Quorundam imprudentia in hoc tranſiit, ut animam quidem fuiſſe in Domino faterentur, ſed eandem dicerent mente caruiſſe; quia ſufficeret homini ſua Deitas ad omnia rationis officia. Poſtremò quidam aſſerere præſumpſerunt, partem quandam Verbi in carnem fuiſſe converſam: ut in unius dogmatis varietate multiplici non carnis tantùm animæque natura, ſed ipſius etiam Verbi ſolveretur eſſentia".

SCRUPULUS.

LXXXII. Atque ut hæc Leonis ſententia planiùs perſpiciatur, ac validiùs perſuadeatur, expendenda occurrit illa generalior Apoſtoli Joannis ſententia, ſine ullâ exceptione vel diminutivâ limitatione prolata: *Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt.* Unde conſequens apparet, nullos omninò hæreticos confiteri Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, adeoque nullos omninò tales cum Muliere forti *Duplicem veſtem Sponſo*, juxta ſuperiorem interpretationem, *feciſſe*. Porrò ſi tales non confitentur veniſſe in carne Jeſum, profectò ſolvunt Jeſum; ac per hoc in eos quadrat iſtud ejuſdem Apoſtoli, proximè ibidem ſubjunctum: *Omnis ſpiritus qui ſolvit Ieſum, ex Deo non eſt; & hic eſt Antichriſtus.* Hunc ſcrupulum jam pridem Auguſtinus ſibi movit, & mox diſpulit; ac diſpellendo, nobis diſpellendi methodum ſuggeſſit. Quærit igitur ipſe,

1. Ioan. 4. 2.

Prov. 31. 22. juxta 70.

1. Ioan. 4. 3.

EXCUTITUR.

F. Auguſt. Serm. 31 de Verbis Apoſtoli, cap. 1. & 2.

„ [F] Quomodò rectè poſſit intelligi quod ait in Epiſtolâ ſuâ Beatus Joannes, non Baptiſta, ſed Euangeliſta: *Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt?* Videmus enim, multas hæreſes confiteri Chriſtum in carne veniſſe, & tamen non eas poſſumus dicere ex Deo eſſe. Negat Chriſtum in carne veniſſe *Manichæus*: non eſt laborandum, neque diutiùs ſuadendum, quòd iſte error non ſit ex Deo. Sed *Arianus* confitetur Chriſtum in carne veniſſe, *Eunomianus*, *Sabellianus*, *Photinianus*. Quid iſtis convincendis quærimus teſtes? Quis tot numeret peſtes? Sed interim quæ ſunt notiora tractemus: multis quippe hæreſes illæ quas nominavi ignotæ ſunt, & eſt iſta ignorantia tutior. Certè, quod novimus, *Donatiſta* confitetur Chriſtum in carne veniſſe: & tamen abſit ut ſit hic error ex Deo. Ut de recentioribus hæreticis loquar, *Pelagianiſta* confitetur Chriſtum in carne veniſſe: tamen omnino non eſt hic error ex Deo. Proinde diligenter conſideremus, quoniam non dubitamus veram eſſe ſententiam, *Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt*; quomodò convincendi ſint iſti, quòd non confiteantur Chriſtum in carne veniſſe: nam ſi eis iſtam conceſſerimus confeſſionem, ex Deo eos eſſe fatebimur. Quomodo ergo vos ab eorum erroribus vel prohibemus vel deterremus, vel adversùs eos ſcuto veritatis defendimus"? Ecce ſcrupulum ab Auguſtino ſibi motum, & ſimul auditoribus ſuis ac lectoribus propoſitum! Ejus porrò diſpulſio ibidem per varia capita ſubſequenter protenditur, quibus ſingularum à ſe commemoratarum hæreſum atque ſchiſmatum cardo perſtringitur, ejuſque pugnantia cum aliquâ Chriſti proprietate vel prærogativâ oſtenditur: verbi gratiâ, *Ariani* negant Chriſti cum Patre conſubſtantialitatem, adeoque non verum ſed falſum Chriſtum in carne veniſſe autumant: & quia non verum Chriſtum, ideò non Chriſtum; ſiquidem falſus Chriſtus non eſt Chriſtus.

Manichæi.

Ariani.

Eunomiani. Sabelliani. Photiniani.

Donatiſtæ.

Pelagiani.

Digitized by Google

ſtus: quæ ratio ſimiliter militat in *Eunomianis.* Item *Sabelliani* divinas perſonas confundendo, non magis Dei Filium quàm Patrem & Spiritum Sanctum in carne veniſſe putant: Non ergo verum Chriſtum, ſed confuſam Trinitatem in carne veniſſe effutiunt. *Photiniani* divinitatem ei qui in carne venit adimunt, adeòque verum Chriſtum in carne veniſſe negant: nam qui divinitatis expers eſt, verus Chriſtus non eſt. *Donatiſtæ* maximam Eccleſiæ partem conjugio Chriſti ſubtrahunt, adeòque verum Chriſtum in carne veniſſe negant: nam verus Chriſtus non eſt, qui Eccleſiæ Catholicæ per orbem diffuſæ ſponſus non eſt. *Pelagianiſtæ* negando peccatum Mundi negant Chriſtum ſuum tollere peccatum Mundi: non eſt igitur ipſorum Pſeudochriſtus verus Chriſtus; nam verus Chriſtus is ſolus eſt, qui peccati Mundi ſublator eſt. Huc etiam ſpectat, quòd verus Chriſtus ad hoc venerit, ut captivos liberaret: Pelagianorum verò Chriſtus ad captivos liberandos non venit, quippe qui liberos reperit. Unde idem Auguſtinus ad eos alibi exclamat: [G] *Si vos Filius liberaverit,* „ait Veritas, *tunc vere liberi eritis*: hunc vos „invidetis liberatorem, quibus captivis vanam tribuitis libertatem". Juxta hanc itaque methodum procedendo per ſingulas hæreticorum ſectas, facilè apparebit, nullam earum omnium *confiteri Chriſtum in carne veniſſe,* ſed potiùs omnes & ſingulos ſolvere Chriſtum: ut proinde hìc ſubintret illud Joannis mox relatum, *Omnis ſpiritus qui ſolvit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus:* " Si diſcutiamus omnes hæreſes, ait Auguſtinus Ser„mone mox citato cap. 9. inveniemus eas negare Chriſtum in carne veniſſe". Et rursùs Enchiridii cap. 5." Si diligenter, inquit, quæ „ad Chriſtum pertinent cogitentur, nomine „tenùs invenitur Chriſtus apud quoſlibet hæ„reticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt; re verò ipsâ non eſt apud eos". Chriſti vox eſt, *Ego ſum via, & veritas, & vita:* quomodò ergo, niſi nomine tenùs, apud eos eſſe putandus eſt, qui & à viâ aberrant, & veritati pertinaciter obſiſtunt, & æternæ morti ultrò ſe mancipant? *Mulieris* itaque *fortis* peculiare privilegium eſt, *duplices veſtes viro ſuo facere*, hoc eſt, duas naturas in eâdem Chriſti ſponſi ſui perſonâ, plenè atque integrè, abſque ullius improbi erroris cervicosâ admixtione, *Corde credere ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem.* Peculiare, inquam, *Mulieris fortis* eſt privilegium, alteri neutiquam communicandum: neque enim acceptat Sponſus Virginis opus manuum meretricis, *Nec dona iniquorum probat Altiſſimus:* quinimò vetuit *offerri in domo ſuâ mercedem proſtibuli.*

G. Auguſt. L. 2. de Nuptiis & concupiſc. c. 3. Joan. 8. 36.

Vide Aug. Tract. 6 in Epiſt. 1. Joannis.

Joan. 14. 6.

Rom. 10. 10.

Eccli 34. 23.

Deut. 23. 18.

LXXXIII. Dicamus nunc aliquid de ejuſdem verſiculi ſenſu juxta vulgati Interpretis verſionem §. 80. exhibitam hoc verborum tenore: *Stragulatam veſtem fecit ſibi, byſſus & purpura indumentum eius.* Ubi Beda & Rabanus eam verſionem amplexi: [H] *Stragulata veſtis*, aiunt, „quæ variante texturâ ſolet firmiſſima confici, „fortia Eccleſię opera, & diverſa virtutum ejus „ornamenta ſignificat: de quibus operibus Pro„pheta, in ſummi Regis, viri videlicet illius, „laude cecinit: *Aſtitit Regina à dextris tuis in* „*veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Sequitur, „*Byſſus & purpura indumentum eius. Byſſus* in can„dore puræ conſcientiæ, & converſationis: „*Purpura* in effuſione pretioſi ſanguinis. *Byſſus* „namque, candidi coloris eſt: *purpureus* autem „color & de ſanguine animantis, quod *purpu*„*ra* dicitur, conficitur, & ipſe ſanguinis ha„bet ſpeciem. Unde pulchrè dictum eſt à „Patribus, quia *Sancta Eccleſia electorum floribus* „*vernans in pace habet lilia, in bello roſas.* Item „quia *byſſus* de terra virens oritur, ſed per exer„citationes longas ac multifarias amiſſo hu„more ac virore nativo ad decorem candidæ „veſtis perducitur; *purpura* autem regalis eſt „habitus: *byſſo* induitur Eccleſia, cùm caſti„gant corpora ſua electi, & ſervituti ſubji„ciunt: *purpurâ* autem, cùm eandem conti„nentiam non ob favorem vulgi, ſed ad ac„quirendam beatitudinem regni perennis ex„ercent. Sed hic virtutum habitus in præſenti „quidem neſcientibus videtur contemptibi„lis, ſed in futuro qualis fuerit patebit ma„nifeſtè. Unde pulchrè in Apocalypſi ſua „Joannes Sanctorum ſe vocem audiſſe re„fert dicentium, *Gaudeamus & exultemus, quia* „*venerunt nuptiæ agni, & uxor eius præparavit ſe;* „*& datum ei ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti &* „*candido: byſſinum enim iuſtificationes ſunt Sanctorum*". Hæc eadem penè verbatim habet Arboreus, ſed fuſiùs agit ipſe de *byſſo* & *purpura*: in eo interim conſonans Bedæ ac Rabano, quòd byſſum non ex intimis bombycis, ut Ambroſius § 80. relatus perhibet, ſed ex terrâ natam cenſeat; & de *purpura* naturâ accuratiùs tractet. De utriſque ſigillatim diſſerit Guido Pancirollus in ſuis Memorabilibus, ubi de *purpura* inprimis ſic ſcribit: [I] Earum „rerum quæ hodie non reperiuntur, inprimis „notatu digna eſt *purpura*, primum inter co„lores locum obtinens, & quaſi rex eo„rum exiſtens. Eâ ipsâ olim Regum, Ma„giſtratuum, & Senatorum veſtes tinge„bantur. Originem igitur hujus expoſituri, „dicimus, purpuram fuiſſe ex conchyliorum „genere, quod intrinſecùs animatam contine„bat carnem, & in mediis faucibus candidiſſi„mam habebat venam, quâ exſectâ pretioſus „ille promanabat ſanguis, quo lanæ, & „purpurea ſerica, ad veſtes inde contexen„das tingebantur. Crediderim, conchylium „iſtud etiamnum hodie inveniri quidem, quando-

Prov 31. 22.

H. Beda & Raban. in cap 31. Proverb. v. 22. item Beda lib de Muliere forti, litt. Mem. Prov. 31. 22. Pſal. 44. 10.

Apoc. 19. 7. & 8.

Vide Arboreum in caput 31 Proverb. v. 22.

I. Pancirol. l. 1. Memorabilium tit. 1.

Digitized by Google

„ quandoquidem ſpecies planè non intereunt,
„ nullum tamen ipſius uſum futurum; cùm
„ nemo ſit, qui venæ illius eximendæ mo-
„ dum ſciat. Coquebatur ſanguis ille, unà
„ cùm venâ priùs apertâ, in vaſis plumbeis,
„ adjectâ tamen aquâ, modico vapore, &
„ longinquæ fornacis cuniculo. Inde ſplen-
„ didus ille, & quaſi intermedius inter ru-
„ brum & nigrum, eliciebatur color, qui ga-
„ riophylli eſt: nec enim ullum alium ſimi-
„ liorem huic puto. Erat & alia coloris ſpe-
„ cies, quem *puniceum* ſive hiacynthinum di-
cebant". Hactenùs ille de *purpurâ*, ſive pro
conchylio, ſive pro ſanguine inde extracto
atque ad tingendum adhibito, ſumptâ: quæ
fuſiùs explanat in ſuis illic Notis Henricus
Salmuthius. Salmuthius. Sequitur inferiùs titulo 4 de
lino vivo aut asbeſtino: ac deinde titulo 5. de
Byſſo, ubi idem author ita ſcribit: "*Byſſus* erat
„ linum ſubtiliſſimum, in Græciâ natum, ex
„ quo pulcherrimæ texebantur veſtes. Tanti
„ verò æſtimabatur pretii, ut quaternis dena-
riis ſcrupula ejus æſtimarentur". Eadem ha-
Plinius. bentur apud Plinium lib. 19. cap. 1. conſo-
K Iſidorus 19. Origin. cap. 27. natque Iſidorus in Originibus: K. *Byſſum*, in-
„ quiens, genus eſt quoddam lini, nimiùm
„ candidi & molliſſimi, quod Græci papatem
vocant". Tractat quoque hac de re Del-Rius
Gen. 41. 42. occaſione *ſtolæ byſſinæ*, quâ Patriarcha Joſeph
veſtitus fuit à Pharaone, cùm ei Præfecturam
Ægypti committeret; diſtinguitque inter *Se-
ricum*, *bombycinum*, & *byſſum*; aſſerens, *ſericum*
ex foliis palmæ minoris confici, *bombycinum*
de utero bombycis vermiculi educi, *byſſum* è
terrâ ſeu plantâ naſci: agnoſcens interim *bom-
bycinum* apud nos appellari *ſericum*. Loquens
itaque ipſe de genuino *ſerico* ex foliis palmæ
minoris confecto: L. Tale, inquit, vix ullum L. Del-Rius in caput 41. Gen. v. 42.
„ hodie in Europâ extat: *bombycinà* ſunt, quæ
„ nos *ſerica* vocamus; ex *bombyce* vermiculo, à
„ quo fila iſta nentur. *Byſſus* non vermiculi par-
„ tus eſt, ſed terræ, ſeu plantæ: quale illud
„ Bengalenſe, cujus mentio apud Hugonem
„ Lindeſcotum in ſua *Navigatione*, quæ vide-
„ tur *byſſus* Plinii, & Q. Curtij *carbaſus Indica*.
„ Noctis in Europa nihil *byſſo* ſimilius, quàm
„ *lina Samarobrina* ſeu *Cameracenſia*. Lege 16.
„ §. *ſpecies* tit. 2. lib. 34. Digeſtorum, video
diſtingui *byſſina*, *bombycina*, & *ſerica*". Verùm
undecunque tandem naſcatur *byſſus*, vel etiam
purpura, eandem in allegoriâ ſignificationem
reſpectivè habent: neque enim ratione origi-
nis, ſed ratione inſitarum à naturâ ſuâ pro-
priâ ſignificationum, figurant myſticum *Mu-
lieris fortis* amictum: M. Per *purpuram* autem,
„ ut Iſidorus ait, cruor, ac tolerantia paſſio- M Iſidor. in Exodum cap. 48.
„ num, amore regni perpetui exhibita, de- Vide c. 51.
„ claratur. Per *bis tinctum coccum*, charitas
„ demonſtratur, quæ pro perfectione ſui bis
„ tingitur, quia Dei & proximi dilectione de-
„ coratur. Per *byſſum*, immaculatæ carnis in-
„ corruptio, & ſplendidiſſimus ſanctimoniæ
„ candor, oſtenditur: *byſſus* enim linum eſt
candidum". Patet igitur cur *Mulier fortis*, id
eſt, Eccleſia, juxta allegoriam, *byſſo & pur-
purâ* veſtiſſe ſe dicatur: quia nimirùm *ſancti-
moniæ candorem*, cum *paſſionum cruore*, permiſ-
cet: nam, ut ſuprà jam audivimus, *Floribus
vernans in pace habet lilia, in bello roſas*; lilia
ſcilicet candore albentia, roſas cruore pur-
pureſcentes.

Digitized by Google

CAPUT XXV.

Decimoquarto ejuſdem poëmatis verſiculo initium dat Hebraica littera Nun, *multiplici interpretatione fœcunda: ut quam nonnulli verterint* Sempiternum, *alii* piſcem, *alii* unicum, *quidam* paſcua eorum, *alii* prolem, fœtum, progeniem, *vel* filiationem: *quæ omnes in virum hujus Mulieris fortis quadrare monſtrantur, qui prædicatur* Nobilis in portis. *In Republicâ ritè inſtitutâ diſparibus incolarum ordinibus diſpares præſcribuntur ritus veſtium, famulatuum, inceſſuum, conſeſſuum, utenſilium &c.* Nobilitas *dicta quaſi noſcibilitas, &* Nobilis *quaſi noſcibilis. Judicum conſeſſus olim in urbium portis celebrari conſuetus: & cur? Non niſi ætate provectiores in Senatum adlegi ſoliti; qui ob ſenium* Senatores, *ob publicam curam* Patres *dicebantur:* Non niſi poſt annos patuit tunc curia ſeros, Nomen & ætatis mite Senatus erat. *Cum quanto ſplendore ac majeſtate ſeſſurus eſt Eccleſiæ Sponſus in extremo judicio cum Senatoribus terræ: & quinam hi? Expenditur iſta Pſalmographi acclamatio ad hunc ipſum Mulieris fortis virum,* Confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento.

LXXXIV. Poſt litteram *Mem* in Alphabeto Hebraico ſequitur proximè littera *Nun*, ordine decima quarta in ſerie litterarum; quam Hieronymus §. 48. relatus interpretatur *Sempiternum*: cui conſonat Beda in Pſalmum 118. ad verſum 105. addens tamen aliam interpretationem, quâ eadem littera denotat *piſcem*; cui Arboreus in commentario præſentis verſiculi alias tres interpretationes adjicit, duas quidem ex Ambroſio mox referendas, & tertiam quâ denotat *fœtum*: pro quo Zamorenſis vertit *filiationem* vel *progeniem*, Iſaacus *prolem*. Sed audiamus Ambroſium de binâ ſuâ interpretatione differentem: N. Ambroſ. in Pſal. 118. Octonario 14. „*Nun* littera, ait ipſe, in Hebræo eſt quartadecima, cujus interpretatio eſt, *Unicus*; vel, ſicut in aliâ interpretatione habetur, *paſcua eorum*. Ecce ipſæ Hebræorum litteræ teſtantur Dominum Jeſum eſſe *unicum* Patris Filium, Verbum Dei. Deinde in primo verſu (*iſtius octonarii*) David de unico Dei Filio dicit, Pſalm. 118. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lux ſemitis meis*. Unde intelligimus, ideò per litteras Hebræorum Pſalmum hunc eſſe digeſtum, ut homo noſter, tanquam parvulus, & ab infantiâ, per litterarum elementa formatus, quibus ætas puerilis aſſuevit, uſque ad maturitatem virtutis excreſcat. Vide ſuprà §. 76. Litteræ autem ſingulæ velut tituli ſunt, verſuum, qui ſub iiſdem litteris adſcribuntur, ſeriem & continentiam declarantes; ſicut hìc *unicum* ſignificat littera, & de unigenito Dei Filio, atque ejus æterni luminis claritate, Pſalmi ejus portio prophetatur. Nec ſanè ab iſtâ abhorret etiam illa in alio reperta codice litteræ hujus interpretatio, quæ eſt, *paſcua eorum*, hoc eſt, fidelium. Quæ ſunt paſcua fidelium, niſi Chriſtus; in cujus paſcuis ſe locatum Propheta lætatus eſt, dicens: *In loco paſcuæ ibi me collocavit?* Pſalm. 22. 2. Ipſe enim nos paſcit & reficit: bona *paſcua*, divina ſacramenta ſunt: carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit reſurrectionis; carpis lilium, in quo ſit ſplendor æternitatis; carpis roſam, hoc eſt, Dominici corporis ſanguinem". Ambæ igitur iſtæ interpretationes ex Ambroſio adductæ, Chriſtum, *Mulieris fortis* virum, eodem ipſo Ambroſio ediſſerente, ſignant; qui & Dei Filius eſt *unicus*, & fidelibus ſe naſcens dedit ſocium, conveſcens in *edulium*. Sed nec reliquæ interpretationes minùs appoſitè in eundem quadrant: quippe qui cùm ſit *Filius Dei* & *Filius hominis*, proculdubiò convenientiſſimè dicitur *proles*, & *fœtus*, & *progenies*: Matt. 16. 16. Ibid. v. 13. denique cùm ſecundùm utramque naturam unicâ ſubſiſtat perſonalitate, quæ eſt ipſa divina *Filiatio*, quis ambigat quin ei congruat ea interpretatio quæ *filiationem* ſonat? An non ei quoque congruit dici *ſempiternum*, de quo ait Paulus, *Jeſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula?* Heb. 13. 8. Cui canit Eccleſia in Hymno Paſchalitio, *Rex ſempiterne cælitum, Rerum creator omnium, Æqualis ante ſæcula Semper Parenti Filius?* Eccleſia.

Supereſt

Digitized by Google

Supereſt duntaxàt oſtendendum congruere Chriſto eam interpretationem, quæ denotat *piſcem*. Ad quod oſtendendum ſervit, quòd ipſe Chriſtus apud Capharnaum expoſtulatus à Quæſtoribus de non ſoluto didrachmate,
Mat. 17.26. dixerit Petro: *Vade ad mare, & mitte hamum; & eum piſcem qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore eius invenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro*
O. Hieron. in caput 17. Matthæi. *me & te:* O. Videtur autem mihi, ait illic Hie„ ronymus, ſecundùm myſticos intellectus, „ ipſe eſſe *piſcis*, qui primus captus eſt, qui in „ profundo maris erat, & in ſalſis amariſque „ gurgitibus morabatur: ut per ſecundum „ Adam liberaretur primus Adam, & id quod „ in ore ejus, hoc eſt, in confeſſione, fuerat „ inventum, pro Petro & Domino redderetur". Eòdem quoque refert Auguſtinus quod
Io. 21. 9. de *piſce prunis ſuperpoſito*, & Diſcipulis ſeptem in eſum appoſito, cum pane ibidem reperto,
P. Auguſt. Tract. 123. in Ioan. Vide Bedam in caput 21. Ioannis. Ibid v. 10 & 13. memorat Euangeliſta Joannes: P. Fecit pran„ dium Dominus, ait Auguſtinus, illis ſep„ tem diſcipulis ſuis, de *piſce*, quem prunis „ ſuperpoſitum viderant, huic adjungens *ex* „ *illis quos ceperant*, & *de pane*, quem nihilo „ minùs eos vidiſſe narratum eſt. *Piſcis* aſſus,
Ioan. 6. 41. „ Chriſtus eſt paſſus: ipſe eſt & *Panis qui de cælo* „ *deſcendit*. Huic incorporatur Eccleſia ad par„ ticipandam beatitudinem ſempiternam: pro-
Ioan 21. 10. „ pter quod dicitur, *Afferte de piſcibus quos pren*„ *didiſtis nunc*: ut omnes qui hanc ſpem geri„ mus, per illum ſeptenarium numerum diſci„ pulorum, per quem poteſt hoc loco noſtra „ univerſitas intelligi figurata, tanto Sacra„ mento nos communicare noſſemus, & eidem beatitudini ſociari". Accedit his Papa Grego-
Q. Gregor. Homil 24. in Euang. rius, dicens: Q. Quid ſignare *piſcem aſſum* cre„ dimus, niſi ipſum Mediatorem Dei & homi„ num paſſum? Ipſe enim latere dignatus eſt „ in aquis generis humani, capi voluit laqueo „ mortis noſtræ, & quaſi tribulatione aſſatus eſt tempore paſſionis ſuæ".

LXXXV. Cùm jam ex dictis habeamus, initialem verſiculi noſtri litteram, *Nun*, ſecundùm omnes ſuas interpretationes ſuperiùs relatas quadrare in Chriſtum, videndum modò eſt num ipſe quoque verſiculus concernat eun-
Prov 31.23. dem. Vulgata editio eum ſic exhibet, *Nobilis in portis vir eius* (Mulieris ſcilicet fortis) *quando ſederit cum Senatoribus terræ*: editio 70. Interpretum latinizata ſic, *Conſpicuus autem fit vir eius in portis, quandocunque ſederit in conſeſſu cum ſenibus habitatoribus terræ*: editiones denique Pagnini & Vatabli conſentienter ſic, *Notus in portis vir eius, quùm ſedet ipſe cum Senioribus terræ*. Ubi videmus omnes editiones apertè loqui de *viro eius*, id eſt, de marito ſive ſponſo *Mulieris fortis*, quam jam toties in præcedentibus indicavimus eſſe Eccleſiam; & *virum eius*, Chriſtum: *cui*
Ibid v 22. juxta 70. *ipſa*, juxta proximè præcedentem verſiculum à 70. Interpretibus tranſlatum, *duplices fecit veſtes*; prout §. 80. & 81. vidimus. Harum ergo veſtium ſplendor ac decor innuitur hoc verſiculo, cùm dicitur: *Nobilis in portis vir eius*: „ R. Scire oportet, inquit Tiraquellus, *Nobiles* R. Tiraquel. lib. de Nobilitate c. 2. „ à *noſcendo* dici, veluti *Noſcibiles*; & *Nobilitatem* „ tanquam *Noſcibilitatem*, ut ita loquar, præ „ cæteris notam, claram, illuſtrem, apertam, „ ſpectabilem, conſpicuam, vulgatam, atque „ hominum ſermone celebratam. Nam & ita „ *Nobilem*, quem per G. *Gnobilem* ſcribebant, „ accipi, & *Nobilitatem*, tradunt, multiſque „ antiquorum Scriptorum teſtimoniis pro„ bant Feſtus Pompeius, & Nonius Marcellus". Ex quâ vocis notione ſatis perſpicitur non diſcrepare inter ſe quoad ſenſum præfatos Interpretes, dum vulgatus vertit, *Nobilis in portis vir eius*; & 70. vertunt, *Conſpicuus fit vir eius in portis*; Pagninus denique & Vatablus, *Notus in portis vir eius*. Quod enim primo Interpreti eſt *Nobilis*, hoc ipſum mediis eſt *conſpicuus*, & poſtremis *Notus*. Attenditur autem potiſſimùm ad ſplendorem ac decorem veſtium Sponſi, quatenùs inde colligitur ſublimitas & illuſtritas perſonæ. Sic enim Deus provocans Beatum Job ut oſtendat ſe nobilem: *Circumda tibi decorem*, inquit, *& in ſublime erigere, & eſto glorioſus, & ſpecioſis induere veſtibus*. Job 40. 5. Similiter quia Reges ſolent in aulicos & palatinos aſſumere nobiles, hanc eorum conſuetudinem Chriſtus ſubindicavit argumento ex aulicorum veſte deſumpto: *Qui mollibus veſtiuntur*, inquiens, *in domibus Regum ſunt*. Mat 11. 8. Quamquam enim veſtis, ſignanter externa, non faciat nobilem; uti nec habitus monachalis monachum: tamen illa indicium eſt nobilitatis, uti & iſte indicium eſt monachatûs: S. Quippè S. Pineda in cap 3. Iob v. 15. n. 2. „ in omni benè inſtitutâ Republicâ, ut qui„ dam ait, ſuus ornatus, & veſtium ratio, „ ſua extruendæ domus certa regula, cuique civium ordini præſcripta eſſe debent". Hujuſmodi igitur præſcriptione ſuppoſitâ, facilè ex veſtitu dignoſci poteſt, cujuſnam ordinis cuiſque civis ſit, ſublimiorisne, an mediocris, an infimi. Quoniam igitur vir Mulieris fortis exhibet ſe in portis ſplendidè veſtitum ritu nobilium, idcircò de ipsâ ait hìc Salomon, *Nobilis in portis vir eius*. Iſte verò ſplendor ac decor *viri* redundat in laudem Mulieris ejus: ut quæ veſtem ei confecerit, quâ indutus dignoſcatur *nobilis in portis*, *in conſeſſu Senatorum terræ*. Sed quid conſeſſui Senatorum cum portis, qui potiùs haberi ſolet in palatiis, vel prætoriis, vel præfectoriis? Reſpondeo, attendendum hìc eſſe uſum temporis. Quicquid autem ſit de uſu moderno, planum eſt conſeſſus Senatorum olim haberi ſolitos fuiſſe in portis, ſignanter apud Hebræos, è quibus fuit Salomon; imò etiam apud exteros, ſaltem nonnullos: prout colligi poteſt ex iſtis Beati Job verbis, *Quando procedebam ad portam civitatis, & in* Iob 29. 7. & 8.

plateâ

plateâ parabant cathedram mihi: videbant me juve-
nes, & abſcondebantur; & ſenes aſſurgentes ſtabant.
T. Gregor. L. 19. Moral. cap. 11. aliàs 13. Ubi Gregorius Papa: T. Mos veterum fuit,
„ inquit, ut ſeniores in portâ conſiſterent, &
„ cauſas introeuntium judicarent: quatenùs
„ tanto eſſet pacificus urbis populus, quanto
„ ad hanc diſcordes ingredi non liceret. Et
„ nos ſacram Hiſtoriam venerantes, hæc egiſſe
„ Beatum Job pro cultu juſtitiæ certum tene-
mus". Cui conſonans Beda in Commentario
V. Beda l. 2. in Job c. 12. ejuſdem loci: V. Judæorum, inquit, conſue-
„ tudo hæc poſtmodùm fuit, ut in portarum
„ egreſſibus eorum Judices reſiderent, & illic
„ intrantibus civitatem, vel exeuntibus judi-
carent". Ubi dicendo, *poſtmodum*, indicat Jo-
bum vixiſſe ac floruiſſe, priuſquam ea conſue-
tudo apud Judæos viguiſſet. Cæterùm Ju-
dæi non ſolùm conſuetudine, ſed lege etiam
ſcriptâ, & quidem divinitùs traditâ, obliga-
Deut. 16. 18. bantur conſtituere Senatores in portis: *Judices*
& Magiſtros, ait eis Deus per Moyſen, *conſti-*
tues in omnibus portis tuis. Quam legem etiam
conſuetudine firmatam fuiſſe teſtatur Hiero-
W Hieron. in caput 5. Amos v. 10. nymus, cùm ait: W. *In porta* juxta veterem
„ morem Judaici populi fuiſſe judicia, & ſæ-
„ pè legimus, & crebrò interpretati ſumus:
„ ut nec agricola ad cauſam veniens frequen-
„ tiâ civitatis & novo terreretur aſpectu, nec
„ urbis habitator longè ab urbe properaret, &
ſubvectionem quæreret jumentorum". Patet
igitur cur Salomon, juxta uſum ſui temporis,
In portis dixerit, pro eo quod diceret, *In con-*
ſeſſu Judicum: quia nimirùm Judicum conſeſſus
habebatur olim *in portis*, propter rationem ex
Hieronymo mox relatam.

LXXXVI. Non eſt quòd quis ſuſpicetur
diſcrepare quoad ſenſum verſiones hujus ver-
ſiculi propterea, quòd cùm vulgata editio ha-
Prov. 31. 23. beat, *Cum ſenatoribus terræ*; Septuaginta In-
terpretes verterint, *Cum ſenibus habitatoribus*
terræ; Pagninus denique & Vatablus tranſtu-
lerint, *Cum ſenioribus terræ*. Etenim quos vul-
gatus Interpres nuncupat *ſenatores*, eoſdem re-
liqui appellant *ſenes*, vel *ſeniores:* nec utique
abſonè vel præter morem. Dignitas quippe
Senatoria honor eſt ſenectutis, juxta illud quod
Danieli adhuc minorenni dicebant per mo-
dum inſultationis condemnatores Suſannæ:
Dan. 13. 50. *Veni, & ſede in medio noſtrûm, & indica nobis;*
quia tibi Deus dedit honorem ſenectutis. Deus quo-
que deſignaturus ſenatores qui cum Moyſe &
ſub Moyſe judicaturi eſſent populum, ſene-
Num. 11. 16. ctutem in iis requirit: *Congrega mihi*, in-
quiens, *ſeptuaginta viros de SENIBUS Iſraël.*
Ipſum *ſenatus* ac *ſenatoris* vocabulum à *ſenio* vel
ſenibus Latini derivant, unde Iſidorus agens
de Romulo, Romanorum primo Rege:
X Iſidor. in chronico Ætate 4. „ X. Centum, inquit, è populo nobiliſſimos
„ viros elegit, qui ob ætatem *ſenatores*,
„ ob curam ac ſollicitudinem Reipublicæ
Patres vocati ſunt". Et ante hunc Florus,
de eodem Romulo diſſerens: Y. Hunc, Y. Florus l. 1. Hiſt. Rom. cap. 1.
„ inquit, Rex ſapientiſſimus ſtatum Rei-
„ publicæ impoſuit: Juventus diviſa per
„ tribus, in equis & armis ad ſubita belli ex-
„ cubaret; Conſilium Reipublicæ penes *Senes*
„ eſſet, qui ex authoritate *Patres*, ob ætatem
Senatus vocabantur". Subdubitat autem Dio-
nyſius Halicarnaſſeus an ob ætatem, an ob
virtutem dicti ſint *Senatores*. Tractans quippe
ille de eodem Romulo: Z. Centenarium, in- Z Dionyſ. Halicarnaſ. l. 2. Antiq. Roman.
„ quit, explevit Senatorum numerum: hoc
„ conſiſtorium Græco more *Senatum* appellare
„ licet, ſicque uſque in præſens tempus Ro-
„ mani vocitant. Utrum autem propter æta-
„ tem in id allectorum, an propter virtutem,
„ non poſſum certò dicere: priſci enim viros
„ ætate ac virtute præſtantes appellatione *Se-*
„ *num* honorabant. Qui verò cenſerentur in
„ hoc conſilio, *Patres conſcripti* nominati ſunt;
„ & ſic quoque uſque nunc vocantur: quod
& ipſum moris eſt Græcani". Sed proculdu-
biò Latinum *Senatus* nomen magis redolet *Se-*
nium, quàm virtutem; quanquam in adlegen-
dis Senatoribus magis attendenda ſit ſenectus
ſeu maturitas morum, quàm annorum. Cæ-
terùm quia ætate ſeniores præſumuntur etiam
judicio ac prudentiâ, propter diuturniorem
experientiam, maturiores ac vegetiores; id-
circò, niſi aliud quidpiam obſtet, præferendi
ſunt junioribus in delectu Senatorum. Cui
præſumptioni favet quod ſcriptum eſt, *In an-* Job 12. 12.
tiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia:
& illud item Eccleſiaſtici, *Corona ſenum multa* Eccli. 25. 8.
peritia. Accedit prætereà quòd innata quo-
dammodò paſſim ſit omnibus reverentia quæ-
dam erga ætate provectos; quam quidem re-
verentiam Deus lege olim ſancivit, dicens
unicuique juniori: *Coram cano capite conſurge*, Levit. 19. 35.
& honora perſonam ſenis. Quin & Romani vete-
res ipſo rationis ingenitæ dictamine illuſtrati
maximam reverentiam ſenibus impendere
conſueverunt, uti & ante eos Lacedæmonii.
Quâ de re Gellius: A. Apud antiquiſſimos A. Aulus Gellius l. 2. Noct. Attic. cap. 15.
„ Romanorum, inquit, neque generi, neque
„ pecuniæ, præſtantior honos tribui, quàm
„ ætati ſolitus eſt: majoreſque natu à minori-
„ bus colebantur, ad Deorum propè & pa-
„ rentum vicem; atque in omni loco, & in
„ omni ſpecie honoris priores potioreſque ha-
„ biti fuerunt. A convivio quoque, ut ſcri-
„ ptum eſt in Antiquitatibus, ſeniores à mi-
„ noribus domum reducebantur. Eumque
„ morem accepiſſe Romanos à Lacedæmoniis,
„ traditum eſt: apud quos, Lycurgi legibus,
„ major rerum omnium honos majori ætati
habebatur". Porrò omnes penè ſenum præ-
rogativas, hactenus à nobis hìc memoratas,
perſtringit Ovidius in Faſtis; addens inſuper,
tertium anni veteris Romani Menſem à ſeni-
bus

Digitized by Google

bus appellationem ſumpſiſſe, ut diceretur *Maius*, quaſi menſis *Maiorum*, ſive ſenum, ætate grandiorum: uti & ſequentem juvenibus dicatum appellari *Iunium*, quaſi *Iuniorum* menſem. Verba Poëtæ ſunt: [B] *Magna fuit quondam capitis reverentia cani, Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat. Martis opus iuvenes, animoſaq; bella gerebant, Et pro Dis aderant in ſtatione ſuis. Viribus illa minor, nec habendis utilis armis, Conſilio patriæ ſæpè ferebat opem. Nec niſi poſt annos patuit tunc curia ſeros, Nomen & ætatis mite Senatus erat. Iura dabat populo ſenior, finitaq; certis Legibus eſt ætas unde petatur honos. Et medius iuvenum, non indignantibus ipſis Ibat, & interior, ſi comes unus erat. Verba quis auderet coram ſene digna rubore Dicere? cenſuram longa ſenecta dabat. Romulus hoc vidit, ſelectaq; pectora Patres Dixit, ad hos urbis ſumma relata novæ. Hinc ſua Maiores poſuiſſe vocabula Maio Tangor, & ætati conſuluiſſe ſuæ. Et Numitor dixiſſe poteſt, Da Romule menſem Hunc ſenibus; nec avo ſuſtinuiſſe nepos. Nec leve propoſito pignus ſucceſſor honori, Iunius, à Iuvenum nomine dictus habet.* Rursùs idem lib. 6. paulò poſt initium: " *Populum digeſſit ab annis Romulus, in partes diſtribuitq; duas. Hæc dare conſilium, pugnare paratior illa eſt: Hæc ætas bellum ſuadet, at illa regit. Sic ſtatuit, menſeſq; notâ diſcrevit eâdem: Iunius eſt Iuvenum: qui fuit ante, Senum.* Cui ſententiæ favet apertè Fulvius Nobilior in ſuis Faſtis, de quo Macrobius ita ſcribit in Saturnalibus: „ [C] Fulvius Nobilior in Faſtis, quos in æde „ Herculis Muſarum poſuit: *Romulum dicit,* „ *poſtquam populum in Maiores, Iunioreſq; diviſit,* „ *ut altera pars conſilio, altera armis Rempublicam* „ *tueretur; in honorem utriuſque partis, hunc* „ *MAIUM, ſequentem IUNIUM menſem vocaſſe*". Atque hæc omnia ſatis oſtendunt potuiſſe abſque ullâ ſenſuum diſcrepantiâ Interpretes noſtri hujus verſiculi ita mutare ſuarum editionum vocabula, ut quos vulgatus Interpres appellavit *Senatores*, reliqui verterent *Senes*, aut *Seniores*.

B Ovid. l. 5. Faſtorum.

C. Macrob. l. 1. Saturnalium cap. 12. Fulvius Nobilior.

LXXXVII. Veniamus nunc ad ſacros Tractatores, ut ex ipſis diſcamus quis ille ſit Mulieris fortis maritus, conſpicuus in portis apparens, & cum Senatoribus terræ ſedens; quænam item illæ portæ, & qui Senatores terræ, in quibus, & cum quibus ſedebit aut ſedet ad judicandum: [D] Ille, inquit Ambroſius conſonante Auguſtino, qui *alicubi* „ *moratur*, illè qui ob talem conjugem *de do-* „ *mo ſuâ ſollicitus non eſt*, ille quem alicubi mo- „ rantem nunc nemo videt, *conſpicuus fiet in* „ *portis*. Attende quando, audi quod ſequi- „ tur: utique *quando ſederit in concilio cum Se-* „ *nioribus terræ*. Nihil evidentius: lege aliam „ prophetiam, *Veniet ad Iudicium cum Senioribus* „ *populi, & Principibus ſuis*: in illo *concilio*, hoc „ eſt, in univerſali Judicio, judicantibus ſe- „ cum Sanctis, quibus dictum eſt, *Sedebitis* „ *ſuper ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* „ Tunc *conſpicuus erit*: quia, ſicut ipſe dixit, *Ve-* „ *niet filius hominis in maieſtate ſua, & omnes An-* „ *geli eius cum eo.* Ibi omnes Angeli & Archan- „ geli cælorum, & omnes annuntiatores „ Verbi Dei: etenim & Propheta dictus eſt „ *Angelus*; Angelus quippe *Nuncius*, ſicut ſcri- „ ptum eſt, *Ego mitto Angelum meum, qui præpa-* „ *rabit viam ante faciem meam*: quod de Joan- „ ne dictum eſſe Euangelii teſtatur Scriptura, „ dicens: *Hic eſt de quo ſcriptum eſt, Ecce ego* „ *mitto Angelum meum* &c. Paulus quoque „ Apoſtolus ſcribit, *Sicut Angelum Dei excepi-* „ *ſtis me.* Ille ergo qui *alicubi moratur*, de quo „ multi dicunt: Quando venturus eſt, aut „ qualis venturus eſt? *conſpicuus erit in portis*: „ ſed alios admittet, contra alios claudet. „ *Erit conſpicuus vir eius in portis*, hoc eſt, in aper- „ to & in manifeſto, *Cum ſederit in concilio cum* „ *Senioribus terræ*. Quod donec fiat, operetur „ quiſque, non ceſſet, expectet illum futurum „ *conſpicuum in portis*: non contremiſcat *Mulier* „ *fortis* ſanctum Concilium Judicii Dei, cum „ bonâ conſcientiâ veniat, glorioſa veniat; „ quia ipſius membra ſunt, & ipſius filii ſunt, qui ſunt cum ejus viro judicaturi". Hactenùs Ambroſius & Auguſtinus, interpretationem 70. Interpretum penè ſecuti: videamus porrò quemadmodùm eundem verſiculum exponant Beda & Rabanus; vulgatam editionem amplexi, quæ ſic habet, *Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum Senatoribus terræ*: [E] Vir Sanctæ Eccleſiæ, aiunt ipſi, vir cujuſque animæ, Dominus eſt: qui videbatur ignobilis, „ cùm ante tribunal Præſidis ſtaret judican- „ dus, cùm probra, ſputa, flagella, & ipſam „ crucis mortem ſuſciperet: ſed *nobilis* appa- „ rebit, cùm venerit *Iudicaturus orbem in æqui-* „ *tate, & omnes Angeli eius cum eo: Tunc ſede-* „ *bit*, inquit, *in ſede maieſtatis ſuæ, & congre-* „ *gabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit* „ *eos ab invicem* &c. *Nobilis*, inquit, *in portis* „ *vir eius*: quia nimirùm veteres *in portis* ſe- „ dere ad judicandum ſolebant; ut venientes „ aliunde ad civitatem, paratum continuò „ reſponſum judicantis acciperent, & ne ruſti- „ cos vel paſtores inſolita urbis ædificia ſtupefacerent, nec rursùm pacem urbis intrinſecùs „ frequens litigantium controverſia fœdaret. „ *Nobilis* ergo erit Dominus *in portis* civitatis, „ quia qui etiam nunc contemnendus putatur „ à multis, ubi ſæculi finis advenerit, ubi in- „ greſſum patriæ cæleſtis aperuerit electis, „ tunc cunctis parebit ſublimis. *Sedebit* au- „ tem *cum Senatoribus terræ*, quibus ſcilicet „ ipſe alibi ait: *Amen dico vobis, quòd vos qui* „ *ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit filius* „ *hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos* „ *ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus* *Iſraël*". Hanc interpretationem ſequitur quidem

D. Ambroſ. in caput 31. Proverb v. 23. & Aug. Serm. 25. de Diverſis c. 33. Vide ſuprà §. 78. Prov. 31. 23. Ibid. Ibid v. 23. Iſa. 3. 14. Matt. 19. 28.

Matt. 25. 31. Ag. 1. 13. Mal 3. 1. Matt. 11. 10. Gal. 4. 14.

Prov. 31. 23. E. Beda & Rabanus in caput 31. Proverb item Beda l. de Muliere forti, litt. Nun. Act. 17. 31. Matt 25. 31. & 32. Matt. 19. 28. Vide Petr. Damiani Opuſc. 12. cap. 3.

Digitized by Google

dem quoad ſenſum Arboreus, ita tamen ut
verbis eandem amplificet lucidioremque red-
F. Arbor. in caput 31. Prov. v. 23. dat inſtar Commentatoris, inquiens: [F] *Vir*
„ Sanctæ Eccleſię *nobiliſſimus*, & ex regiâ pro-
„ genie deſcendens, eſt Salvator noſter: qui
„ licèt apparuerit ignobilis, cùm ante tribu-
„ nal Præſidis ſtetit judicandus; & probra,
„ ſputa, convicia, flagella, & crucis mortem
Iſa. 53. 4. „ ſuſtinuit, & *reputatus ſit quaſi leproſus*, & fa-
Pſal. 21. 7. „ ctus ſit pro ſanandis noſtris vulneribus *oppro-*
„ *brium hominum & abiectio plebis*: tamen appa-
„ rebit *nobilis*, cùm ſederit in ſede ſuæ maje-
„ ſtatis, & venerit in gloriâ Patris ſui, cum
„ Angelis ſuis, ad judicandum vivos & mor-
„ tuos, & reddendum unicuique ſecundùm
„ opera ejus. Et cùm dicit Salomon, *In portis*
„ *vir eius*, alludit ad morem Judicum veteris
„ Legis, qui conſueverant ſedere in portis
„ urbium ad judicandum, ut venientes aliun-
„ dè in civitatem, paratum continuò reſpon-
„ ſum judicantis acciperent; & ne ruſticos
„ vel paſtores inſolita urbis ædificia ſtupefa-
„ cerent, nec rursùm pacem urbis frequens
„ litigantium controverſia fœdaret. *Sedebit*
„ autem hic æquiſſimus Judex *cum ſuis Senato-*
„ *ribus*, ſcilicet Apoſtolis, quibus, relictis ter-
Mat. 19. 28. „ renis bonis, aliquando dixerat: *Amen dico*
„ *vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regenera-*
„ *tione, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis*
„ *ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudi-*
DVBIA. *cantes duodecim tribus Iſraël*". Cæterùm circa
prædictas interpretationes duplex moveri po-
teſt dubium: nam inprimis cùm univerſale
Judicium non niſi unicum credatur futurum,
quæri poteſt cur pluraliter dictum ſit, *in portis*;
cùm potiùs ſingulariter dicendum fuiſſe vi-
deatur, *in porta*? Secundò ambigi poteſt quæ-
nam ſint veſtes illæ ſpecioſæ à Muliere forti
elaboratæ, quibus in die univerſalis Judicii
circumamictus *vir eius* apparebit illic *nobilis*
EXPEDI- ſeu *conſpicuus*? Prima difficultas ceſſat in Am-
VNTVR. broſii & Auguſtini interpretatione, juxta
quam clauſula illa, *in portis*, exponitur, *in aperto,*
& in manifeſto. De viro enim Mulieris fortis,
cum alluſione ad ſecundum ejus adventum in
die judicii futurum, ſcribit Pſaltes: *Deus* Pſal. 49. 3.
noſter MANIFESTE veniet: & Apocalypticus
vates, *videbit eum omnis oculus* Juxta alteram Apoc. 1. 7.
denique ejuſdem clauſulæ interpretationem
dici poteſt, quòd cùm ad locum univerſalis
judicii undique confluxuri ſint homines judi-
candi, tot illic portæ futuræ ſunt, quot ſunt
Mundi plagæ è quibus illuc intrabitur: neque Vide Aug. in Pſal. 16.
enim qui ex qualibet plaga venient, aliorsùm
deflectent, ſed rectà per obverſam portam in-
trabunt. Quoniam igitur ſummus Judex, qui
eſt *vir M.lieris fortis*, in ſingulis portis & ex
ſingulis portis videbitur ab introeuntibus *con-*
feſſione & decore indutus, idcircò ait Salomon
pluraliter, *Nobilis in portis vir eius*. Ad ſecun-
dum reſpondetur, veſtes eſſe ſanctos homines,
de Eccleſià natos, atque ab ipsâ maternè lacta-
tos, provectos, ac virtute conſummatos; vel,
quod in idem redit, eſſe ipſam Eccleſiam,
quatenùs ex electis potiſſimè conſtantem; pro-
ut Papa Gregorius perſpicuè indicat, cùm de
Chriſto ejus viro loquens ait: [G] Velut quan- G. Greg. l. 32. Moral. c. 7 aliàs 5.
„ dam veſtem glorioſam ſibi Eccleſiam exhi-
„ bet, *non habentem rugam aut maculam*. Unde
„ ei per Prophetam dicitur, *Confeſſionem & de-* Epheſ. 5. 27.
„ *corem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento*. Hìc Pſal. 103. 2.
„ quippe confeſſionem induit, illic decorem:
„ quia quos hìc per pœnitentiam confitentes
„ fecerit, illic fulgentes per decorem juſti-
„ tiæ oſtendet. *Luce* item *ſicut veſtimento amictus*
„ *eſt*: quia ſanctis omnibus, quibus dictum
„ eſt, *Vos eſtis lux Mundi*, in illâ æternâ gloriâ Mat. 5. 14.
„ veſtietur. Uude & per Euangelium dicitur,
„ quia transfigurato Domino in monte *Veſti-* Mat. 17. 2.
„ *menta eius facta ſunt candida ſicut nix*. In qua
„ transfiguratione quid aliud, quàm reſur-
„ rectionis ultimæ gloria nuntiatur? In mon-
„ te ergo *veſtimenta eius ſicut nix facta ſunt*: quia
„ in ſupernæ claritatis culmine Sancti omnes
ei luce juſtitiæ fulgentes adhærebunt". Sed Vide ſuprà lib. 1. c. 6.
quoniam hac de re ſatis fusè actum eſt lib. 1.
cap. 6. cò Lectorem remittimus.

CAPUT

CAPUT XXVI.

Decimumquintum ejuſdem poëmatis verſiculum initiat Hebraica littera Samech, *quam Hieronymus interpretatur* Adjutorium, *Ambroſius* Firmamentum, *atque etiam*, Audi; *alii vel* Baſim, *vel* Fulturam, *aut* ſuſtentationem, *aut* erectionem: *quæ univerſim Mulieri forti adaptantur. Ex* auditu *eſt origo fidei, quâ* adjutorium *impetramus, cuius impetratu* erigimur, firmamur, fulcimur, ſuſtentamur. *Quid in allegoriâ denotet* Sindon, *quam Mulier fortis textorio opere conficit, & per fora venalem exponit? Pro pretio huius mercis non quærit venditrix datum, ſed requirit fructum: non exigit vacuationem marſupii, ſed repenſionem obſequii; non tam ſibi, quàm viro ſuo præſtandam: imitans Ioſephum, qui pretium pro frumento ab Ægyptiis non recipiebat, ſed ipſos emptores regio ſervitio obſtringebat.* Chananæus *non ſolùm* Negotiator, *ſed &* Commutatus *interpretatur. Huic proficuâ negotiatione in melius commutato traditur à Muliere forti cingulum, quo per vigorem monſtratæ caſtimoniæ fluxa priſtinæ gentilitatis flagitia aſtringat, & eorum ſe jam cœtui miſceat qui ſtudent implere quod juſſum eſt*, Sint lumbi veſtri præcincti.

LXXXVIII Hieronymus. VEntum eſt ad decimamquintam Hebraici Alphabeti litteram, *Samech* dictam; quæ, juxta Hieronymum §. 48. relatum, interpretatur *adjutorium:* cui interpretationi Beda quoque in Commentario Pſalmi 118. ad Octonarium 15. ſubſcribit. (Beda.) Ambroſius verò duplicem aliam interpretationem profert, juxta quarum priorem ſignificat, *Audi:* juxta poſteriorem, *Firmamentum.* Verba ejus ſunt: H. *Samech* littera decimaquinta, quæ „ interpretationem habet, *Audi.* Eſt & alia ejus „ interpretatio, quâ dicitur *Firmamentum*". (H. Ambroſ. in Pſ. 118. Octonar. 15.) Arboreus quatuor univerſim interpretationes adhibet, quarum una coincidit cum eâ, quam mox ex Hieron. & Bedâ memoravimus, alia cum poſtremâ Ambroſianâ: duæ reliquæ ſunt, *Fultura*, & *Erectio*, quæ reduci aliquo modo poſſunt ad eandem Ambroſianam; quæ & quarta eſt apud ipſum Arboreum; cujus verba ſunt: „ I. *Samech*, fultura, vel erectio, ſive adjutorium, aut firmamentum". (I. Arbor. in cap. 31. Proverb. v. 24. Caninius. Zamorenſis.) Nec multum hinc abludunt Caninius & Zamorenſis, quorum prior eandem litteram interpretatur *Baſim*, alter *Suſtentationem*: quę ambæ æquivalent ei, quæ apud Arboreum eſt *Fultura*; nec admodùm diſcrepat ab ea, quæ ſonat *Firmamentum*. Cæterùm de priori interpretatione Ambroſianâ fusè diſſerit loco proximè citato ipſe Ambroſius, ita incipiens: (Ambroſ. ſuprà.) " Quid eſt, *Audi?* Non otiosè „ dicitur quod commune eſt omnibus, & „ ſuppetit univerſis ipſo jure naturæ: & „ ideo non eſt otioſum quòd admoneris „ ut *audias*; cùm etiam inviti, & aliud „ agentes, ſonum tamen aut vocem audire ſoleamus. Sed quia non eſt ſolùm audire hoc „ quod ſuppetit officio naturæ, ſed etiam „ illud quod majus eſt, ut *audias* non uſu tantum corporis, quantum intellectu mentis: „ ideo diligentiùs conſidera iſtius litteræ interpretationem. Ut noveris autem myſticum eſſe *audire*, ut audias & intelligas myſteria, de Judæis ſcriptum eſt, *Aure audietis* (Iſa. 6. 9.) „ &c. quia myſteria legis audierunt, ſed non „ intellexerunt: unde ait Dominus, *Audi populus meus, & loquar.* (Pſal. 49. 7.) Lex utique ſpiritalis „ eſt, audi ergo ſpiritaliter. Denique qui ſe „ ſcivit audire, ait: *Audiam quid loquatur in me* (Pſal. 84. 9.) „ *Dominus Deus*, id eſt, cognoſcam quid locutus in me fuerit Deus: ideoque alibi ait, „ *Quanta audivimus, & cognovimus:* (Pſal. 77. 3.) ut comprehenderet non ſolùm audiſſe ſe, ſed & intellexiſſe: nemo enim cognoſcit, niſi priùs „ intellexerit. *Audi* ergo, ne ſi te videat negligentem Petrus, veniat, gladium arripiat, „ & auriculam tuam abſcindat, quòd ſuperfluè habeas aurem corporis, qui audire & „ examinare non noveris. Et fortaſsè virtutem animæ quæ examinat quæcunque audiuntur, habent amputatam, qui eâ altitudine audire non poſſunt quâ ſcriptum eſt". Huc uſque ille de priori ſuâ interpretatione, juxta quam littera *Samech* interpretatur, *Audi*: auribus nimirum non corporis duntaxat, ſed maximè ac potiſſimè mentis, ſeu cordis. Pergit porrò ad alteram abs ſe traditam interpretationem, quâ eadem littera *Samech* interpretatur *Firmamentum*, addens continuò: " Me-

ritò

„ ritò hanc litteram alii *firmamentum* interpre„ tati ſunt: quod cum ſuperiore interpreta„ tione concurrit: niſi enim unuſquiſque au„ dierit quid ſequi debeat, non firmatur. In „ officio igitur audiendi, omnium firmamentum eſt". Etenim cùm fides ſit baſis ac fundamentum totius ædificij ſpiritalis, & juxta Apoſtoli oraculum *Fides ſit ex auditu:* rectè omninò præcipitur unicuique ſpiritaliter ædificari cupienti, ut primitùs *audiat*, quò poſſit aſſequi quod cupit. Unde & idem Apoſtolus ibidem præmiſerat: *Quomodò invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient, ſine prædicante?* Vulgo dici ſolet, *Auditus eſt ſenſus diſciplinæ*: quia nimirum plerique diſcipuli audiendo dignoſcunt quid ſentire, quid velle, quid agere debeant. Ex quo Ariſtoteles ſubinfert, [K] Cæcos mutis & ſurdis longè prudentiores evadere": quoniam ſcilicet, ut ibidem præmittitur, *Sermo eſt diſciplinæ author:* ſermo utique auribus perceptus, & in cor immiſſus; quem quia ſurdi nec auribus percipere, nec proinde in cor tranſmittere queunt, idcircò prudentiam diſcere vix poſſunt Quamvis enim rationis vigore fortaſſis polleant, tamen, ut Auguſtinus ſcitè advertit, [L] Naturæ „ ordo ita ſe habet, ut cùm aliquid diſcimus, „ rationem præcedat authoritas. Qui rurſùs inferiùs cap. 25. in fine, "Nihil in Eccleſiâ „ Catholicâ, inquit, ſalubrius fit, quàm ut rationem præcedat authoritas". Domini vox eſt apud Iſaiam, *Niſi credideritis, non intelligetis*: hoc eſt, niſi priùs authoritati auſcultaveritis, ad rationis intelligentiam non pervenietis. Quapropter unicuique ad veram rerum agendarum cavendarumque intelligentiam pertingere geſtienti congruenter dicitur *Samech*, hoc eſt, *Audi*: & hoc non auribus duntaxat corporis, ſed attentu ſubſequenter & aſſenſu cordis. Hac quippe methodo fidem aſſequimur, quæ *baſis* eſt, & *fultura*, & *ſuſtentatio*, & *firmamentum*, & *erectio* ædificii ſpiritalis: necnon & *adjutorium*, ſive *præſidium*, dicente Leone Papâ: [M] Magnum PRÆSI„ DIUM eſt fides integra, fides vera, in quâ „ nec augeri ab ullo quidquam, nec minui „ poteſt: quia niſi una eſt, fides non eſt; di„ cente Apoſtolo: *Unus Dominus, una fides,* „ *unum baptiſma, unus Deus & pater omnium,* „ *qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus* „ *nobis*. Huic unitati inconcuſſis mentibus in„ hærendum eſt, in hac omnis ſanctitas ſe„ ctanda, in hac Dominicis præceptis deſer„ viendum: quia *ſine fide impoſſibile eſt placere* „ *Deo*; & nihil ſine eâ ſanctum, nihil caſtum „ eſt, nihil vivum: *Juſtus enim ex fide vivit:* „ quam qui diabolo decipiente perdiderit, vi„ vens mortuus eſt; quoniam ſicut per fidem „ juſtitia, ita etiam per fidem vita obtinetur æterna".

Rom. 10. 17. — Ibid. v. 14. — K. Ariſt. lib. de ſenſu & ſenſibili. — L. Aug. lib. de Moribus Eccleſiæ c. 2. Vide Anſelmum lib. de Incarnat. Verbi cap. 2. — Iſa. 7. 9. juxta 70. — M. Leo Ser. 4. de Nativit. Dom. cap. 5. — Epheſ. 4. 6. — Heb. 11. 6. — Gal. 3. 11.

LXXXIX. Nunc verſiculum ipſum ex *Samech* inchoatum exhibeamus, & ediſſeramus; quem vulgatus Interpres ita vertit: *Sindonem fecit, & vendidit; & cingulum tradidit Chananæo.* Editio 70. Interpretum in Latinum verſa ſic ſonat, *Sindonas fecit, & vendidit cingula Chananæis.* Pagninus ſic vertit, *Linteum fecit, & vendidit; & cingulum tradidit negotiatori.* Vatablus denique ſic, *Linteum facit, & tradit; & cingulum tradit negotiatori.* Soli 70. Interpretes pluraliter expreſſerunt *ſindonas*, *cingula*, cum *Chananæis*: reliqui omnes ſingulariter *ſindonem*, vel *linteum*, *cingulum*, cùm *Chananæo*, ſive *negotiatore*. Vatablus utitur verbis præſentis temporis, reliqui verbis temporis præteriti: idem quoque Vatablus bis expreſſit verbum *tradendi*, omiſſo penitùs verbo *vendendi*; cùm ex adverſo 70. Interpretes omiſerint penitùs verbum *tradendi*; ejus loco in poſteriori hemiſtichio ſubſtituentes verbum *vendendi*, in priori hemiſtichio à ſe omiſſum. Denique quem vulgatus Interpres vocat *Chananæum*, Pagninus & Vatablus appellant *negotiatorem*. Verſionem 70. Interpretum penè ſecuti ſunt Ambroſius & Auguſtinus, quorum prior legit, *Sindones fecit & vendidit, cinctoria autem Chananæis*: poſterior item, *Sindones fecit, & vendidit cinctoria Chananæis.* Commentaria amborum quoad ſenſum, ferè etiam quoad verba, coincidunt, quæ ſic habent: [N] Benè vendidit „ *ſindones*, quia fecit. Sed quarè vendidit, niſi „ quia *non quærit datum, ſed requirit fructum?* „ Venditionem iſtam primò intelligite gratui„ tam. Ergo aliquis, inquies, emit gratis? „ Sed ſi gratis tollit, non emit: nam ſi emit, „ pretium dedit, non gratis tollit. Sed ubi eſt, „ *Qui ſititis, ite ad aquam; & quotquot non habetis* „ *argentum, euntes emite, & emite abſque argento &* „ *pretio?* Quando emis, non argentum das, „ & tamen emis. Si emis, aliquid da: non „ tamen argentum da, teipſum da. *Sindones* „ autem referte ad illa linea ſpiritalia, quæ facit & prædicat iſta Mulier per omnes terras. „ Et fortè *vendere* dicta eſt, quia dixit Apo„ ſtolus: *Si nos vobis ſpiritalia ſeminamus, ma*„ *gnum eſt ſi veſtra carnalia metamus?* Etenim „ illa ratio eſt dati & accepti, quandoquidem „ in omni venditione ratio dati & accepti ver„ ſatur. Contriſtatur verò Apoſtolus adverſùs „ fora quædam, ubi non venduntur *ſindones*, „ dicens: *Nulla Eccleſia communicavit in ratione* „ *dati & accepti.* Ille qui ſindones vendit *non* „ *quærit datum, ſed requirit fructum*; ne quaſi „ venditorem Euangelii putetis. Eſt quidem „ ille Domini ſui mercator, ſed magis pretium quærit: nam quicquid prorſùs vendit, „ dat ſpiritalia. Et quid quærit? Fortè carnalia? Non utique: nam debentur quidem „ iſta, ſed non iſta quærebat Apoſtolus dum „ dixit: *Non quæro veſtra, ſed vos ipſos quæro:* date

Prov. 31. 24. — N. Amb. in cap. 31. Proverbior. & Aug. Ser. 49. de Diverſis c. 14 & 15. — Phil. 4. 17. — Iſa. 55. 1. — 1. Cor. 9. 11. — Phil. 4. 15. — Ibid. v. 17. — 2. Cor. 12. 14.

ergo

Digitized by Google

„ ergo pretium,date vos ipſos. Neque enim &
„ Joſeph in Ægypto frumenta non vendebat;
„ & tamen pretium non recipiebat, ſed ipſos
„ ementes ſervos regios faciebat: volentes
„ vivere in illa fame, frumenta accipiebant,&
„ Regis ſervi fiebant. Timemus nos fieri ſer-
„ vi? Væ nobis, ſi non fuerimus illius ſervi.
„ Quid nobis prodeſt recuſare talem Domi-
„ num? Si eum recuſamus, ſub diabolo eri-
„ mus, famem patiemur, ſicut ſcriptum eſt,
Pſal. 58. 7. „ *Famem patientur ut canes:* & tamen poteſta-
„ tem veri Domini non effugiemus; quoniam
Pſal. 138. 9. & 10. „ *Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero*
„ *in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet*
„ *me.* Te ipſum ergo da, eme tibi ſindonem,
„ id eſt, ſpiritale amictorium; ſicut etiam cu-
„ juſdam panis pretium ipſe te das. Quid
„ enim? Cùm das te voluptati, nonne effi-
„ ceris unius panis pretium? Nonne pro con-
„ cupiſcentiâ carnis, tanquam emas meretri-
Prov. 6. 26. „ cem, teipſum das pretium? *Pretium enim ſcorti*
„ *vix eſt unius panis.* Quantò melius eſt, ut te
Ioan. 6. 41. „ des Deo, *panem vivum* tibi emas, *qui de cælo*
„ *deſcendit*, eodem ipſo pretio quo te das me-
„ retrici? *Cinctoria autem Chananæis:* fecit cin-
„ ctoria Chananæis, ut & ipſi ſe cingant,
„ operentur, veniant, ſicut ſervi de domo
„ iſtâ; ut omnes veſtiti, omnes paſti ſint.
„ *Cinctoria eis fecit*, utique ad opus: nam &
Prov. 31. 17. „ ipſa opus faciens *Accinxit fortitudine lumbos*
„ *ſuos.* Qui ſunt *Chananæi?* Gentes alienigenæ,
„ vicinæ tamen populo Iſraël: ſic enim ſcri-
Ioſ. 16. 10. „ ptum eſt, *Habitabat Chananæus in Ephraim uſ-*
Ephеſ. 2. 13. „ *que in diem hanc.* Ii nos ſumus, *qui aliquando*
„ *eramus longè, & facti ſumus propè in ſanguine*
Ibid. v. 12. „ *Chriſti*; & *qui eramus peregrini teſtamentorum,*
„ *promiſſionis ſpem non habentes, ſine Deo in hoc*
Ibid. v. 19. „ *Mundo:* nunc *Cives Sanctorum, & domeſtici*
„ *Dei.* Acceptis itaque *cinctoriis* operemur in
„ Dominicâ domo; jam facti domeſtici ex
„ *Chananæis:* unde erat illa mulier in Euan-
„ gelio recitata. Chananæa erat, ad menſam
„ filiorum accedere non audebat, ſed tan-
„ quam canis micas requirebat. Vide quem-
„ admodùm præcinxerit ſe ad opus: præcin-
Matt. 15. 28. „ ctorium ejus fides: hoc Dominus laudat, *O*
mulier, inquiens, *magna eſt fides tua*"!

XC. Juxta hanc igitur Ambroſii & Au-
guſtini interpretationem, *Mulier fortis*, ſive
Eccleſia, *ſindones fecit*, hoc eſt, ſubtilia &
munda fidei ac morum dogmata documenta-
que aptavit, ritè contexuit, venalia per fora
& compita expoſuit; pretium exigens non
aurum, vel argentum; ſed ipſorum ementium
fidele obſequium, viro ſuo jugiter impenden-
dum. Nec ſolùm *ſyndones* texuit, ſed & *cin-*
gula ſeu *cinctoria* complicuit, quibus *Chananæi*
de priſtinâ domo diaboli evocati, obſequio
Chriſti mancipati, & in domum ipſius intro-
ducti, ſuccingerentur, accingerentur, præcin-
gerentur, ad itinerandum, ad præliandum, ad
miniſtrandum: juxta ea quæ ſuperiùs §. 64. *Vide ſuprà §. 64.*
ex Hugone Victorino recitavimus. Cui in-
terpretationi ſubſcribit Arboreus: [O] Mun- *O. Arboreus in caput 31. Proverb. v. 24.*
„ diſſimo *ſindonis* linteo, inquiens, innocen-
„ tia & puritas mentis ſignificatur. Eccleſia
„ autem illum qui regeneratur fonte Baptiſ-
„ mi, *ſindone* mundâ veſtit, eique innocen-
„ tiam miniſterialiter exhibet, Chriſtus autem
„ ſuâ authoritate ſuâque benignitate ei con-
„ fert gratiam. Perhibetur autem Eccleſia
„ *vendere* baptizato innocentiam, non quidem
„ ſumptâ propriè *venditionis* ratione, ſed meta-
„ phoricè; quia ab eo requirit, ut veſtem in-
„ nocentiæ, & Sacramentum quod recipit,
„ cuſtodiat, atque operibus ſatanæ prorſùs re-
nunciet". Et iterùm poſt pauca, quibus alte-
ram interpretationem ex Bedâ & Rabano
mox referendam perſtringit, ſubdit: "*Tra-* *Prov. 31. 24.*
„ *didit Eccleſia cingulum Chananæo*, quia docuit
„ ex paganiſmo converſos zonâ caſtitatis ſuos
„ lumbos præcingere; quibus dicit Paulus
„ ad Galatas, *Spiritu ambulate, & deſideria carnis* *Gal. 5. 16.*
„ *non perficietis.* Et alibi, *Fornicatio & omnis im-* *Epheſ. 5. 3.*
munditia non nominetur in vobis". Supereſt nunc
Bedæ & Rabani interpretatio, qui vulgatam
editionem ſecuti, præſentem verſiculum hoc
commentario elucidarunt: [P] In linteo *ſindo-* *P. Beda & Rabanus in caput 31. Proverb. v. 24. item Beda lib. de Muliere forti, litt. Samech. Vide Greg. lib. 31. Moral. cap. 16. aliàs 22. Act. 10. 11. & 12.*
„ *nis*, ſubtilis intextio ſignatur ſanctæ prædi-
„ cationis, quâ molliter quieſcitur; quia in
„ illâ mens fidelium ſpe ſupernâ refovetur.
„ Unde & Petro *Animalia in linteo monſtrantur*,
„ quia peccatorum animæ miſericorditer ag-
„ gregatæ, in blandâ fidei quiete continentur.
„ Hanc ergo *ſindonem* Eccleſia *fecit, & ven-*
„ *didit*; quia fidem, quam credendo texuerat,
„ loquendo dedit; & ab infidelibus vitam re-
„ ctæ converſationis accepit. Quæ & *Chana-*
„ *næo cingulum tradidit*, quia per vigorem de-
„ monſtratæ juſtitiæ fluxa opera Gentilitatis
„ aſtrinxit: ut hoc quod præcipitur, vivendo
„ teneatur, *Sint lumbi veſtri præcincti.* Benè *Luc. 12. 35.*
„ etiam nomine *Chanaan*, qui & Gentilitatis
„ populum procreavit, & interpretatur *com-*
„ *mutatus*, converſa ad fidem Gentilitas deſi-
„ gnatur; quæ feliciſſimâ *commutatione* à vitiis
„ ad virtutes, à diabolo ad Chriſtum migra-
„ vit. Unde in ejus laudem Pſalmus 44. ſcri-
„ bitur, cujus titulus eſt: *In finem, pro his qui* *Pſal. 44. 1.*
„ *commutabuntur, filiis Core, canticum pro dilecto.*
„ *Filii* autem *Core*, filii calvariæ interpretantur,
„ qui ſunt filii Dominicæ Crucis, dicentes vi-
„ ritim: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Do-* *Gal. 6. 14.*
„ *mini noſtri Ieſu Chriſti.* Quomodò autem *com-*
„ *mutentur*, ſequentia ejuſdem Pſalmi docent,
„ ubi *Dilectus* ipſe, id eſt Dominus, dicit Ec-
„ cleſiæ: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam;* *Pſal. v. 11.*
„ *& obliviſcere populum tuum, & domum Patris tui.*
„ Commutari ergo illam deſiderat; quam ut
„ filiam habere valeat, *domum patris* prioris,

id eſt, hoſtis antiqui, *obliviſci* jubet". Advertere hinc poterit Lector, quàm appoſitè verſiculus iſte Salomonici carminis, quem modò tractamus, inchoetur in Hebræo à litterâ *Samech*, quæ juxta Ambroſium §. 88. relatum interpretatur, *Audi*: ut ex ipſo initiali charactere diſceremus quemadmodùm Eccleſia *tradat cingulum chananæo*, (Prov. 31. 24.) qui interpretatur *commutatus*, quaſi diceretur, Gens de infidelitate ad fidem converſa: cui inſonatur, *Audi filia, & vide* &c. ª Vox una paterna, inquit Auguſtinus, (a August. in Pſal. 44.) „alloquitur filiam: *Audi filia, & vide*. Ventum eſt enim ad nos cum Euangelio, & prædicatum eſt nobis quod nondum videmus, & *audiendo* credimus, & credendo *videbimus*; ſicut dicit ipſe Sponſus, *Populus quem non cognovi ſervivit mihi, in obauditu auris obedivit mihi*. (Pſal. 17. 45.) Quid eſt, *In obauditu auris*? Quia non vidit. Viderunt Judæi, & crucifixerunt: non viderunt Gentes, & crediderunt. Veniat Regina de Gentibus *in veſtitu deaurato, circumamicta varietate*: (Pſal. 44. 10.) veniat à Gentibus, veniat circumamicta omnibus linguis in unitate ſapientiæ: dicatur ei, *Audi filia, & vide*; ſi non audieris, non videbis: *Audi*, ut mundes cor fide, ſicut Apoſtolus ait in Actibus Apoſtolorum, *Fide mundans corda eorum*. (Act. 15. 9.) Ad hoc enim *audimus*, ut credamus antequam videamus, & credendo cor mundemus unde videre poſſimus. *Audi* ergo, ut credas; munda cor fide. Sed cùm mundavero, inquis, quid videbo? *Beati mundo corde, quia ipſi Deum videbunt*. (Matt. 5. 8.) Ergo *Audi filia, & vide*; & *inclina aurem tuam*. Parum eſt *audi*, humiliter *audi, inclina aurem tuam: & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui*. Erat populus quidam, & domus patris quædam, in quâ nata es, Populus Babyloniæ, habens Regem diabolum: undecunque venerunt Gentes; à patre diabolo venerunt; ſed patri diabolo renunciaverunt. *Obliviſcere populum tuum, & domum patris tui*: fœdam te ille genuit, cùm peccatricem fecit: pulchram te iſte regenerat, qui juſtificat impiam. *Quoniam concupivit Rex ſpeciem tuam*: quam ſpeciem, niſi quam ipſe fecit? *Concupivit ſpeciem*: cujus ſpeciem? Peccatricis, iniquæ, impiæ, qualis erat apud patrem diabolum, & apud populum ſuum? Non, ſed de quâ dicitur, *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata?* (Cant. 8. 5. juxta 70.) Anteà ergo non erat alba, ſed poſteà dealbata". Hæc porrò *dealbatio*, Gentium eſt *commutatio*, à priſtina & hæreditaria fœditate, ad novam & adoptitiam puritatem. Hanc procurat *Mulier fortis*, cùm *facit & vendit ſindonem, traditque cingulum chananæo*, cujus interpretamentum eſt *commutatus*. Ita tamen procurat miniſterialiter, ut *vir eius* præſtet principaliter: ª Ab eo quod (a Synod. Arauſican. can. 15. Vide Aug. Præfat. in Pſal. 68. & Proſper. Sent. 2..) „formavit Deus, inquit ex Auguſtino Synodus Arauſicana, mutatus eſt Adam, ſed in pejus, per iniquitatem ſuam: ab eo quod operata eſt iniquitas mutantur fideles, ſed in melius, per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit prævaricatoris primi: *hæc*, ſecundùm Pſalmiſtam, *mutatio dexteræ Excelſi*". (Pſal. 76. 11.)

CAPUT XXVII.

Altera ejuſdem verſiculi interpretatio exhibetur, quâ per ſyndonem *intelligitur linteum ſepulchrale, & per* cingulum *inſtita funeralis. Has quippe merces Mulier fortis conficit & venum exponit, dum vivaci prædicatione meditationem mortis mortalibus ingerit: ut in omni titillantis pugnæ certamine, ſepulchrum ſtudeant ad memoriam revocare. De morte primâ, & morte ſecundâ, necnon de utriuſque meditatione. Nulla major aut peior mors incurritur, quàm ubi mors ipſa non moritur. Corpora damnatorum in gehennâ ſunt inſtar ſindonis ex lino asbeſtino contextæ, quæ flammis uritur, ſed non exuritur. Horum inſtitas Scriptura ſubinde vocat* Inferni rudentes, *ſubinde* vincula æterna. *In flamma gehennali viget vis uſtoria, ſine illuminatoriâ*, Domino intercidente flammam ignis. *Extremi Iudicij idea ex Baſilio deſcripta, uti & Inferni facies ex Bernardo. Omnium ſaluberrima peregrinatio eſt quotidiana Inferni viſitatio, non ut alliciat, ſed ut deterreat. Verba iſta Pſalmographi,* Deſcendant in Infernum viventes, *non imprecatoriè, ſed ſuaſoriè expoſita.*

XCI. Quanquam prædictæ interpretationes ſufficere videantur intelligendo verſiculo Salomonici Carminis, quem tractamus; nihil equidem vetat, ſed fortè etiam quibuſdam prode-

Digitized by Google

proderit, adjici aliam interpretationem, à præfatis quidem Tractatoribus prætermiſſam, non tamen ab eis rejectam, aut eorum dictis adverſam, ſed nec ſanæ fidei vel probis moribus diſſentaneam: [S.] Utile autem eſt, Auguſti„no teſte, ut de obſcuritatibus divinarum „Scripturarum, quas exercitationis noſtræ „causâ Deus eſſe voluit, multæ inveniantur „ſententiæ, cùm aliud alii videtur, quæ ta„men omnes ſanæ fidei doctrinæque concordent". Exiſtimo igitur non inconvenienter dici, quòd per *Sindonem* intelligatur linteum ſepulchrale, quo involvuntur corpora defunctorum; de quali loquitur Euangeliſta, cùm refert Joſephum ab Arimathæâ, accepto corpore Salvatoris noſtri recenter in Cruce perempti, *involviſſe illud in ſindone mundâ, & poſuiſſe in monumento:* & ſimiliter per *cingulum traditum Chananao*, intelligatur inſtita ſepulchralis; de quali habetur mentio apud alium Euangeliſtam in hiſtoriâ reſuſcitationis Lazari, quem perhibet prodiiſſe de monumento, *ligatum pedes & manus inſtitis.* Juxta hanc igitur interpretationem commendatur à Salomone *Mulier fortis*, ſive Eccleſia, ob curam quam gerit inculcandi omnibus meditationem mortis, in *ſindone*, & *cingulo* ſeu inſtitâ ſepulchrali, adumbratæ. Hæc quippe meditatio quàm ſit utilis, imò neceſſaria, teſtantur plerique Eccleſiaſtici Tractatores, qui, poſt Platonem in Phædone, Philoſophiam veram nihil aliud eſſe perhibent, quàm *mortis meditationem*: [T.] quod ma„gis convenit Chriſtianis, inquit Iſidorus, qui „ſæculi ambitione calcatâ, converſatione diſ„ciplinabili, ſimilitudine futuræ patriæ vi„vunt". Videri poteſt eam in rem Gregorius Nazianzenus Epiſt. 64. aliàs 70. ad Philagrium, & Rabanus lib. 15. de univerſo cap. 1. & Hugo Victorinus lib. 2. Didaſcal. cap. 1. Quibus conſonans Leo Papa: [V.] Hæc, inquit, „ſollicitiſſima meditatio debet eſſe ſapientis, „ut quoniam breves dies iſtius vitæ & incerta „ſunt ſpatia, nunquam ſit mors improviſa „morituro; nec inordinatum incidat finem, qui ſe novit eſſe mortalem". Quam ſollicitudinem plurimùm commendat Salomon ipſe, qui cùm alibi dixiſſet, *Melius eſt ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivij*; continuò cauſam aſſignans ſubdidit: *In illâ enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum ſit.* A quo autem ſit iſta admonitio, & excitatur cogitatio? Utique ab ipſo mortuo, cujus luctus peragitur; qui etſi non voce, facto tamen ipſo cuique præſentium ac ſpectantium inſonat: *Memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.* Paulò item ſuperiùs præmiſerat Scriptura hanc admonitionem generalem ad unumquemque viventem, *Memento noviſſimorum, noli oblivisci.* Quorſùm hæc, niſi ut à peccando abſterrearis, atque adeò intra ſemitas juſtitiæ contineariſ? *In omnibus operibus tuis*, ait idem alibi, *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Horum noviſſimorum unum, & quidem tale unde cætera pendent, mors eſt corporalis, de qua peculiariter Auguſtinus ait: [W.] Nihil ſic re„vocat hominem à peccato, quemadmodùm imminentis mortis cogitatio". Cui ſubſcribens Petrus Damiani: [X.] In omni, inquit, ti„tillantis pugnæ certamine, ſepulchrum ſtude „ſemper ad memoriam revocare. *Ira* fortaſſis „effert animum? Dirige protinùs oculos ad „ſepulchrum: mox enim omnis amaritudo „deponitur, dum quò furor humanus vergat, „mens provida contemplatur. *Superbiæ ſpiritus* „inflat? Sepulchrum ad mentem redeat, ne„ceſſariò etiam illic rigidæ cervicis tumorem „premimus, ubi cinerem nos proculdubiò „pulveremque penſamus: *Quid* enim *ſuperbit* „*terra & cinis?* Faces *iracundiæ* inflammant? „Ad ſepulchrum reſpice: & diſce, quia qui „tam citò ab hac vitâ diſcedimus, fruſtrà „bona temporalia aliis invidemus. Incentiva „*libidinis* æſtuant? Sepulchrum doceat, quàm „velociter humani corporis viror areſcat, & „quàm ſuperfluo voluptuoſum corruptibili „carni cubile ſubſternitur, quamque horrendæ „domûs requies in proximo præſtolatur. *Gulæ* „pruritus illecebrat? Sepulchro protinùs ad „mentem reducto, conſidera quia dum car„nem noſtram delicatè vel tenerè fovendo „diſtendimus, cibum proculdubiò vermium „ſaginamus; eoque fit, ut quo plura come„dimus, à pluribus comedamur: dumque „ventrem molliter alimus, ingratis convivis „pinguia alimenta nutrimus. *Avaritiæ* ſtimulus „incitat? Ad ſepulchrum præſtò ſemper re„curre; ibique condiſce, quia mortalitatis „hujus incaſsùm ſtipendia plura congerimus, „qui iter ipſum quod peragimus, tam brevi „ſpatio terminamus. *Accidia* te vel *ſomnolentia* „deprimit? Sepulchrum te doceat, pro æter„nis nunc præmijs vigilare, in quo videlicet „te neceſſe eſt diutiſſimè ſine ullà poſtmodùm „remuneratione quieſcere; quatenùs qui æter„nam requiem gaudij cæleſtis expectas, ala„criter nunc cum propriæ torpore deſidiæ „momentaneo labore confligas. *Veſtium nitor* „te oblectat? Ad ſepulchrum recurre; atque „perpende, quàm veſanè deſipiant, qui ex„ornare vile pulviſculum veſtibus ambitio„ſis anhelant: qui nimirùm idcircò lutum „auro contegunt, ſordibus munditias ſuper„ponunt; quia quæ vera ſint ornamenta in„terioris hominis non intelligunt. *Vana* „*gloria* fortaſſis elevare te nititur? Ad ſe„pulchrum reſpice; &, quo fine omnis hu„mana gloria claudatur, attende: *Omnis* „enim *caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi* „*flos fœni.* Prurit lingua per *ventoſa* ſive

S. Auguſt. Epiſt. 59. q. 9.
Mat. 27. 59. & 60.
Ioan. 11. 44.
T. Iſidor. l. 2. Orig. cap. 24.
Nazianzen. Rabanus. Hugo Victorinus.
V. Leo Ser. 5. de Ieiunio 7 menſis cap. 4.
Eccle. 7. 3.
Eccli. 38. 23.
Ibid. v. 21. & 22.
Ibid. cap. 7. 40.
W. Aug. l. 2. de Geneſi contra Manich. c. 28.
X. Pet. Damiani Opuſcul. 13. c. 23.
Iſa. 40. 6.

Digitized by Google

„ *ſcurrilia verba* diffluere? Sepulchrum ad mentem redeat ; & ſicut à criminoſâ, ſic etiam ab otioſâ te vel jocoſâ nihilo minùs loquacitate compeſcat. Illic nimirùm peritè valebis addiſcere, quàm diſtrictè nos à cunctis hujus vitæ vanitatibus declinare expediat. Et ne diutiùs lectorem plura enumerando detineam, in omni pugnæ ſurgentis articulo hæc quemque ſollicitudo non deſerat, ut protinùs mentis oculos ad ſepulchra contemplanda convertat : quatenùs dum ſe illic immundum abjectumque pulverem eſſe conſiderat, cervicem cordis adversùs Conditorem in arrogantiam non extollat ; dumque ſe conſpicit proculdubiò moriturum, jam ſe pulſantibus vitiis exhibeat velut mortuum".

XCII. Præter iſtam corporis mortem, & ei ſuccedentem ſepulturam, eſt alia magis formidanda mors, eique correſpondens ſepultura. Hujus mortis meminit Apocalypticus vates, dum enumeratis aliquot ſceleroſorum hominum claſſibus, ſubdit : *Pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure : quod eſt mors ſecunda.* (*Apoc. 21. 8.*) Sepulturam quoque huic morti reſpondentem memorat Chriſtus Dominus, cùm divitem epulonem aſſerit *ſepultum eſſe in inferno.* (*Luc. 16. 22.*) Quanto autem magis timenda ſit mors iſta, quàm mors prima de qua proximo §. egimus, indicat idem ipſe Chriſtus, dum ait ſuis : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere : ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* (*Matt. 10. 28.*) Videamus porrò num ad hujus quoque mortis ac ſepulturæ meditationem, ab Eccleſiâ inculcandam, referri queat iſtud, quod de eâ ſub allegoriâ *Mulieris fortis* ſcripſit Salomon, *Sindonem fecit, & vendidit ; & cingulum tradidit Chananæo.* (*Prov. 31. 24.*) Poteſt utique, nec incommodè. Etenim quin Eccleſia ſedulò ac jugiter ingerat omnibus auſcultare volentibus, ſive intùs poſitis ſive adhuc introducendis, meditationem mortis ac ſepulturæ ſecundæ, clarius eſt quàm ut probatione indigeat. Neque enim ſola prima mors, ſed etiam ſecunda, in Noviſſimis cenſetur ; quorum meditationem illa ubique ingerit & inculcat. Neque ignorat ipſa veriſſimum eſſe illud ab Auguſtino pridem evulgatum : [Y] Rariſſimè accidit, imò verò nunquam, ut quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus". (*Y. Aug. lib. de catechiz. Rudibus cap. 5.*) Cæterùm inter omnes Dei timores maximè percellit is, quo metuitur, ne & *animam & corpus perdat in gehennam.* (*Matt. 10. 28.*) Quanto enim hæc mors eſt morte primâ funeſtior, tanto ejus horror eſt illius horrore gravior.

PRÆOCCUPATIO. Nec obſtat, quòd hac morte plexi in gehennâ perpetuò vivant. Nam in tantis cruciatibus vivere nihil aliud eſt quàm indeſinenter perire : [Z] Nam etſi anima in pœnis vivat æternis, quibus & ipſi ſpiritus cruciabuntur immundi, mors illa potiùs dicenda eſt æterna, quàm vita. Nulla quippe major & peior eſt mors, quàm ubi non moritur mors : ſed quòd animæ natura, per id quòd immortalis creata eſt, ſine qualicunque vitâ eſſe non poteſt, ſumma mors ejus eſt alienatio à vitâ Dei in æternitate ſupplicii". (*Z. Aug. l. 6. de Civitat. cap. 12.* — *Vide eund. Enchiridi cap. 92.*) Neque verò animæ duntaxat, ſed & ipſa quoque corpora damnatorum in gehenna durabunt inexuſta, etſi non inuſta. Cujus rei exemplum exhibetur utcunque figurativum in ſyndonibus confectis ex lino asbeſtino, quod vocant *vivum* : de quo Plinius : [A] Inventum eſt, inquit, quod ignibus non abſumeretur : *vivum* id vocant, ardenteſque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, ſordibus exuſtis ſplendeſcentes igne magis, quàm poſſent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis favillam à reliquo ſeparant cinere. Naſcitur in Indiæ deſertis ſole aduſtis, ubi non cadunt imbres, inter diras ſerpentes : aſſueſcitque vivere ardendo". (*A. Plinius lib. 19. c. 1.*) De eodem lino differit in ſuis Memorabilibus l. 1. tit. 4 Guido Pancirollus, inter alia memorans, *Neronem mantile inde habuiſſe.* (*Pancirollus.*) Ex hujuſmodi itaque lino *Mulier fortis*, id eſt, Eccleſia, *Sindonem facit & cingulum* ; dum populis, ſive jam converſis ſive etiam convertendis, prædicat ardorem flammæ gehennalis ; quâ damnatorum non ſolùm animæ, ſed & corpora, quæ ſunt velut interulæ animarum, urentur quidem, ſed non exurentur ; ardebunt inceſſanter, ſed non interibunt ; flagrabunt, ſed in malum ſuum perſeverabunt ; cruciabuntur, ſed non conſumentur ; egreſſum optabunt, ſed non impetrabunt ; conſpectum lucis efflictim deperibunt, ſed tenebris offuſa cernere nequibunt ; pedum ſaltem ac manuum liberum uſum deſiderabunt, ſed inſtitis conſtricti neutiquam obtinebunt : de quibus inſtitis, uti & de prememoratis tenebris, partim implicitè partim etiam explicitè, loquitur Salvator, dum jubet deſtitutum veſte nuptiali, *Ligatis manibus & pedibus, mitti in tenebras exteriores.* (*Matt. 22. 13.*) Ejuſmodi manuum ac pedum inſtitæ ſeu ligamenta alibi appellantur *Rudentes inferni*, alibi item *vincula æterna* : (*2. Pet. 2. 4. Judæ v. 6.*) funes nimirùm asbeſtini, ſive de lino vivo confecti atque compacti, quos nec ignis exurat, nec tempus edax rerum exterat : qui idcircò dicti *Rudentes*, quia inſtar funium nauticorum robuſti ſunt ; idcircò item *vincula æterna*, quia nunquam exterenda, nunquam diſſolvenda aut dilaxanda. Talibus ergo conſtrictæ ſuccidiæ illæ gehennales, jacebunt obrutæ *tenebris exterioribus* : quas Apoſtolus Petrus *Caliginem tenebrarum*, & coapoſtolus ejus Judas *Procellam tenebrarum* nuncupat ; (*2. Pet 2. 17. Iude v. 13.*) Beda denique [B] *Æternam noctem damnationis*, & ſuperiùs ad cap. 8. v. 12. *Noctem æternæ damnationis*, appellat : eâ locutionis (*B Beda l. 3. in caput 22. Matth. v. 13.*)

tionis varietate ſubindicans & noctem fore æternam, & damnationem æternam. Imitari nimirum voluit ſupernum hyperdidaſcalum, qui cum dixiſſet reprobos fore mittendos *In ignem æternum*, ne quis ſuſpicaretur ignem quidem fore æternum, ſed ejus uſtionem aut nullam aut temporariam; ſubdidit mox de iiſdem reprobis, *Ibunt hi in ſupplicium æternum*. Ubi Auguſtinus pro *ſupplicium* legit *combuſtionem*: & continuò ſubinfert; [C] Erit „ergo æterna combuſtio, ſicut ignis; & eos in illam ituros veritas dicit". In hujus ſupplicii augmentum cedit, quòd ignis iſte gehennalis luce careat, etſi acerrimâ urendi vi polleat. Et huc refert Baſilius hemiſtichium illud Pſalmographi, *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, hoc eſt, ſeparantis vim flammæ illuſtratoriam, ab uſtoriâ: [D] Si eſt ignis, inquit „Chryſoſtomus, quomodo ſunt tenebræ? „Vides hinc, quòd ille ignis ſit hoc noſtro „moleſtior: non enim lucet. Rursùs ſi ignis „eſt, quomodò perpetuò urit? Vides quem-„admodùm etiam hinc ſit hoc noſtro gra-„vior: non enim extinguitur, ideoque *in-„extinguibilis* dicitur. Cogitemus ergo quan-„tum ſit malum, uri perpetuò, & eſſe in te-„nebris, & innumerabiles emittere ejulatus, & ſtridere dentibus; & ne audiri quidem".

Mat. 25. 41. — *Ibid. v. 46.* — *C. Aug. lib. de Fide & oper. c. 15. Vide Enchiridii c. 112. & l. 21. de Civit. c. 23. & 24.* — *Vide Baſil. in Pſal. 28.* — *Pſalm. 28. 7.* — *D Chryſoſt. Homil. 1. in Epiſt. ad Hebræos in parte Morali.* — *Mar. 9. 44.*

XCIII. Hanc igitur cogitationem, ſive meditationem gehennalis ſupplicii, inculcando ac fovendo, *Mulier fortis ſindonem facit, & vendit; cingulumq; tradit Chananæo.* Ex variis quippe divinæ Scripturæ & Eccleſiaſticorum Procerum ſententiis, tanquam asbeſtinis filis, contexit ſindonem, & compingit cingulum Chananæo tradendum; dum ei ob oculos repræſentat miſerias, quibus indeſinenter torquentur, qui in tartarum detruduntur: dum totum cœtum concionatoriè interrogat cum ſacro vate, *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Dum item ex eodem vate profert illud oraculum, à Chriſto Domino reprobis in gehenna tortis applicatum, *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*: addens inſuper illud Eccleſiaſtici; *Vindicta carnis impii, ignis & vermis.* Quibus filis ex Scripturâ contextis, vel in funem complicatis, ait ipſa unicuique Chananæo, ſive jam converſo ſive ad converſionem invitato: [E] Si quando te „ſenſeris ad unum quodpiam cieri ac proſilire „peccatum, ad mentem revoca formidabile „illud nec ulli mortalium tolerabile Chriſti „Judicium, in quo Judex quidem in alto „ſublimique throno præſidebit, creatura por-„rò omnis prætrepida & intremiſcens ad ip-„ſius illuſtrem & glorioſum adventum adſta-„bit. Eò ſinguli quique ſiſtentur, de his „examinandi quæ quiſque geſſit in vivis: de-„inde eos qui multa perperàm in vitâ admi-„ſerant, horrendi quidam ac triſtes circumſta-„bunt Angeli, ignem paratum contuentes, „ignem expirantes; propter propoſiti ama-„rulentiam, vultum nocti ſimilem præferen-„tes, præ mœrore atque hominum odio li-„veſcentes. Deinde conſpicient barathrum „in imum patens, tenebras impermeabiles, „ignemque obſcurum, cauſticas quidem vi-„res habentem, ſed luce carentem. Inde ver-„mium innumerabilium genus venenoſum „atque carnivorum, continuò quidem eſi-„tans, nec tamen ſe ſatians, intolerabiles do-„lores morſibus infigens. Poſtremò om-„nium duriſſimam pœnam, probrum illud „& confuſionem ſempiternam. Hæc tu time, „eoque timore eruditus quaſi fræno quopiam „abarce animum & cohibe ad vitioſas con-cupiſcentias propendentem". Porrò quoniam *Chananæus*, ut §. 89 ex Pagnini & Vatabli verſione vidimus, interpretatur *negotiator*, lubet hìc exhibere quæ extant in Sermone *De quinque Negotiatoribus & quinque regionibus* apud Bernardum: ubi diſſerens author de regione quartâ, ſic ſcribit ad propoſitum: "Quarta „regio eſt regio gehennalis. O regio dura & „gravis, regio extimeſcenda, regio fugien-„da, terra oblivionis, terra afflictionis, ter-„ra miſeriarum, *In quâ nullus ordo, ſed ſempiternus* „*horror inhabitat*; locus lethifer, in quo ignis „ardens, ubi frigus rigens, vermis immor-„talis, fœtor intolerabilis, mallei percutien-„tes, tenebræ palpabiles, confuſio peccato-„rum, inundatio vinculorum, horribiles dæ-„monum facies! Totus tremo atque horreo „ad memoriam illius regionis, & concuſſa „ſunt omnia oſſa mea: *Quomodo cecidiſti Luci-„fer, qui manè oriebaris! Omnis lapis pretioſus „operimentum tuum*, modò *ſuper te ſternitur tinea, „& operimentum tuum vermis.* O Deus, quanta „diſtantia inter operimentum pretioſi lapidis, „& operimentum vermis; inter delicias pa-„radiſi, & tineam corrodentem inferni! „Scio quia *Paratus eſt ille ignis diabolo & Angelis* „*eius*, & hominibus ſimilibus ejus; ubi ſine „ſine punientur, ſine morte morientur, ſine „ceſſatione torquebuntur. *Vivens igitur in in-„fernum deſcende*, percurre mentalibus oculis „tormentorum officinas; fuge ſcelera & vitia, „pro quibus ſcelerati homines & vitioſi pe-„rierunt: habe odio iniquitatem, & dilige „legem Domini, & in tam formidoloſis nundinis fac ſarcinam tuam odium peccati". Optimè igitur ſibi conſuluerit, qui in infernum ſponte deſcendit vivus, ne poſt mortem eò detrudatur invitus. Quapropter cùm plurimæ ſint peregrinationes piæ admodùm atque perutiles, nulla aut certè perrara eſt, quæ huic æquari, nedum præferri queat. Quod ipſum jam pridem ante nos operosè & cum applauſu aſſeruit & pleriſque lectoribus ſuis perſuaſit

Iſa. 33. 14. — *Iſa. 66. 24. & Mar. 9. 43.* — *Eccli. 7. 19.* — *E. Baſil. in Pſal. 33.* — *Vide ſuprà § 89.* — *Bernardus.* — *Iob 10. 22.* — *Iſa. 14. 12.* — *Ezech. 28. 13.* — *Iſa. 14. 11.* — *Mat. 25. 41.* — *Pſal. 54. 16.*

Digitized by Google

Antonius Guevara.

vir eruditus Antonius Guevara in quadam
Epiſtola ad Præfectum conventus Alcalenſis :
" Piè faciunt, inquiens, qui Romam, Com-
,, poſtellam ſive fanum S. Jacobi, Hieroſo-
,, lymam, & alia loca ſacra, religionis ergò
,, viſitant. At non minùs ſalutare ego exiſti-
,, mo, Infernum adire. Nam ſicut Sanctarum
,, reliquiarum, & Sanctorum locorum con-
,, templatio, ad pœnitentiam vitæque emen-
,, dationem homines provocant : ita, atque
,, etiam multò magis, pœnarum metus à
,, peccatis deterrebit. Eant alii Compoſtel-
,, lam, adeant Montemſerratum, viſitent
,, B. Virginem Guadalupæ, S. Lazarum Hiſ-
,, pali, mittant munera ſua ad Sanctum Se-
,, pulchrum, & ad alia Terræ Sanctæ loca,
,, & indulgentias illic propoſitas acquirant :
,, equidem pietatem horum omnium laudabo,
,, meque lubenter etiam comitem, ſi facere
,, poſſim, ipſis adjungam : unum tamen hunc
,, locum mihi reſervatum volo, ut ſcilicet
,, quotidie, atque adeò omnibus momentis
,, Infernum viſitem. Multum facit, multum
,, laborat, multum itineris conficit, multum
,, diſcit, qui quotidie ad Infernum deſcendit.
,, Judæi ſemel tantùm quotannis ad templum
,, Hieroſolymitanum ſacrificii celebrandi
,, causâ conveniebant; Romani quinto quo-
,, que ferè anno luſtrum condebant; Græci
,, Olympiadas quarto quovis anno celebra-
,, bant; Ægyptii ſeptimo quolibet templum
,, Iſidis renovabant. Qui verè Chriſtianus eſt,
,, ſingulis horis, imò momentis, ad Infernum
,, deſcendet : jugis enim ſupplicii jugis debet
,, eſſe memoria. In peregrinationibus religio-
,, ſis ſumptus faciendi, labores ſuſtinendi,
,, multaque pericula adeunda ſunt : ad hanc
,, verò unam nihil præter animum & memo-
,, riam requiritur. Hæc ſicco pede, ſed non
,, ſiccis oculis, conficienda tibi datur. O Bea-
,, tos, qui quotidie Infernum adeunt, ibique
,, ſuperbos dejectos, invidos emaciatos, lur-
,, cones fame enectos, iracundos deſpectos,
,, luxurioſos alioſque aliis ſuppliciis exhauſtos
,, vident : *Deſcendant* ergo *in infernum viventes.*
,, Quo minùs ſanctam hanc peregrinationem
,, obeas, non morbus te excuſabit, non pau-
,, pertas aut viatici inopia impediet : nihil pe-
,, dibus hìc opus eſt, ſed mentis alis : *Deſcen-*
,, *dant* ergo *in infernum viventes.* Rideant quan-
,, tumcunque velint, qui ſibi omnis elegan-
,, tiæ arbitri videntur : rideant, inquam, eos
,, qui in oratoriis aut muſæis ſuis Infernum
,, habent depictum. Mihi certè ejuſmodi pi-
,, cturæ aſpectus valde utilis, imò neceſſarius
,, videtur; cùm plures formidine pœnæ, quàm
,, gloriæ cæleſtis amore à peccatis abſti-
,, neant".

CAPUT XXVIII.

Decimumſextum Poëmatis ejuſdem verſiculum inchoat Hebraica littera Ain, *quæ unâ interpretatione denotat* oculum, *alterâ* fontem; *utrâque in Eccleſiam aptè quadrante: ut quæ cæcutientibus Gentilibus exhibuerit ſe* oculum, *perinde ac claudicantibus Judæis* pedem; *atque à Sponſo ſuo in Canticis dicta fuerit* Fons ſignatus: *cujus fontis ſignaculum quiſquis ſolvere tentat, exitioſè errat, ſeque ipſum enecat; ad exemplum Ægyptii exercitûs, in mari rubro extincti. Cur Eccleſia dicta ſit* indui fortitudine, *& cur item* decore? *Pro* fortitudine *induitur purpurâ; pro* decore, *byſſo. Quâ ratione Chriſtiani tribulationibus hic vexati adimpleant, quæ deſunt paſſionum Chriſti? Eccleſia non ſolum Sponſa, ſed & Corpus eſt Chriſti. Etſi Paſſionum Chriſti nihil ſuperſit ſupplendum in capite, multa tamen ſuperſunt ſupplenda in corpore. Eccleſia* in die noviſſimo *gratulanter* ridebit, *quia in diebus ante noviſſimis longanimiter lugebit. Chriſtus indumentis ſuis veſtit Eccleſiam Sponſam ſuam, ut Ionathas Davidem amicum ſuum. Similitudo amictûs illecebra eſt amicitiæ. Hominis interioris unicus eſt in utroque ſexu amictus, tametſi exterioris varius. Quotquot per baptiſmum Chriſto initiantur, ipſo amiciuntur.*

XCIV.

Vide Hiero. hic ſuprà §. 41. item Ambroſ. & Bedam in Pſalm. 118. litt. Ain.

SEquitur in Alphabetico Salomonis Poëmate verſiculus decimusſextus, inchoatus in Hebræo à litterâ ejuſdem ordinis, *Ain* dictâ; quæ juxta omnes interpretatur *oculus*, item *fons*: quarum interpretationum unaquælibet congruenter aptatur *Mulieri forti*, id eſt, Eccleſiæ. Inprimis namque ipſa *oculum* ſe exhibet, quatenùs cæcos

in

in viam rectam adducit, & adductos per
eandem deducit, ac perducit. Unde ex ejus
[Job 29.15.] perſonâ & in ejus typo ait Beatus Job, *Oculus*
[Greg. l. ... Moral. p. 14 aliàs ... & 21.] *fui cæco, & pes claudo*: F. Sancta Eccleſia, inquit
„ Papa Gregorius, extremis tribulationibus
„ deprehenſa, antiquorum reminiſcitur tem-
„ porum, quando & docendo illuminare con-
„ ſueverat, & adjuvando firmare. Unde præ-
„ cedentis membri ſui ore loquitur, dicens:
„ *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Quia enim duos
„ in ſe populos collegit, Judaicum ſcilicet
„ atque Gentilem, rectè poteſt *cæco* Gen-
„ tilis, *claudo* autem Judaicus populus de-
„ ſignari: Gentilis quippe quaſi oculos non
„ habuit, quia non receptâ lege non vidit
„ quo ire debuiſſet; at contrà Judaicus habens
„ oculos, claudus fuit: quia legem quidem
„ ſciendo tenuit, ſed in eâ greſſum recti ope-
„ ris non tetendit. Si enim Gentilis populus
„ minimè cæcus fuiſſet, Propheta non diceret,
[Iſa. 9. 2.] „ *Populus qui ſedebat in tenebris lucem vidit ma-*
„ *gnam.* Rurſùm ſi Iſraëliticus populus à bo-
„ no opere minimè claudicaſſet, nequaquam
[Pſal. 17. 46.] „ voce Domini Pſalmiſta dixiſſet, *Filij alieni*
„ *mentiti ſunt mihi, filij alieni inveterati ſunt, &*
claudicaverunt à ſemitis ſuis". Breviter & appo-
ſitè Beda ſententiam ex Job relatam hac pa-
[G. Beda l. 2. in Job c. 12.] raphraſi illuſtrat: G. Erranti in tenebris igno-
„ rantiæ præbui lumen veritatis, & claudi-
„ cantibus in viis Domini monſtravi rectæ
viæ itinera". Quæ paraphraſis etſi ad litteram
de ipſo Beato Job intelligatur, aptiſſimè ta-
men juxta allegoriam Eccleſiæ adaptatur; cui
in perſonâ Apoſtolorum dictum eſt à Chriſto,
[Mat. 5. 14.] *Vos eſtis lux Mundi.* Nec obſtat quòd eadem
[PRÆOCCUPATIO.] Eccleſia aliquoties in Canticis *Sponſa* dicatur,
& *Columba* nominetur, quæ quidem oculis
prædita ſit, ſed oculus ipſa non ſit: neque
enim dictum eſt ei, Oculus tu columba: ſed
[Cant. 1. 14.] *Oculi tui columbarum.* Cùm enim Eccleſia di-
verſis conſtet membris, quorum aliqua fun-
guntur officio oculorum, ut Prælati ac Di-
rectores plebium; alia officiis aliorum mem-
brorum, ut Prædicatores officio oris, Miſſio-
narii officio pedum, Confeſſarii officio au-
rium &c. rectè attribuitur corpori quod ſin-
gulis congruit membris, rectè item ſingula
hæc dicuntur corporis membra. Sic ergo Ec-
cleſia dicitur *oculus*, dicitur habere oculos:
dicitur *pes*, & dicitur habere pedes: ſicque
conſequenter de cæteris. Neque enim totum
corpus Beati Job fuit oculus, aut pes: & ta-
[Gregorius.] men ipſe ait, *oculus fui*, & *pes fui*: " Sancta Ec-
„ cleſia, ait loco mox citato Gregorius, ſic
„ conſiſtit unitate fidelium, ſicut corpus no-
„ ſtrum unitum eſt compage membrorum:
„ alia namque ſunt membra in corpore, quæ
„ intuendæ luci deſerviunt; alia, quæ à ter-
„ reno minimè diſiunguntur: *oculus* quippe
„ luci intenditur, & ne cæcari valeat à pul-
„ vere cuſtoditur; *pes* verò tunc ſuum offi-
„ cium rectè peragit, cùm ſuſcipiendum terræ
„ pulverem non refugit. Quæ tamen corporis
„ membra viciſſim ſibi ſua officia impartien-
„ do copulantur, ut *pes* oculis currat, & *oculus*
„ pedi proſpiciat. Sic itaque, ſic Sanctæ Ec-
„ cleſiæ membra debent & officio eſſe diſtin-
„ cta, & charitate conjuncta, ut ſummi viri
„ eorum viam provideant qui terrenis nego-
„ tiis vacant, quatenùs velut ad lumen ocu-
„ lorum pes ambulet, & rurſùm quicquid ter-
„ renis negotiis implicati agunt, hoc ad ma-
„ jorum utilitatem referant: ut pes, cujus via
„ proſpicitur, non ſibi tantùmmodò, ſed
etiam oculis gradiatur". Avebit fortè quis
ſcire, cur oculi Eccleſiæ, quos Gregorius
jam relatus dicit eſſe *ſummos viros*, qui nimi-
rùm *intuendæ luci deſerviunt*, dicantur *oculi co-*
lumbarum? Cùm variæ à variis aſſignentur hu-
jus rei rationes, mihi ſanè placet ea quam à
Richardo Victorino allegatam reperi, & hìc
exhibeo: H. Solent columbæ, ait ipſe, ſuper [H Rich. Victor in Cantica cap 17.]
„ rivos aquarum reſidere, ut umbram acci- [Vide Hugonem Victor.]
„ pitris in aquis videant, & ita ſuper aquas [l. 1 Beſtiarij]
„ ſe projicientes ejus ungues evadant. Ita boni [cap. 9.]
„ viri in ſpiritualibus exercitati umbras dæ-
„ monum in Scripturâ vident, dum omnimo-
„ das eorum deceptiones ibi reperiunt, qui-
„ bus non ſolùm per aperta mala, ſed etiam
„ per occulta fallere ſolent: in quâ etiam vi-
„ dent, quòd modò per ſpeciem boni, modò
„ per intelligentiam falſam illudunt. quæ à
„ ſimplicibus & minùs exercitatis in ſpiritua-
„ libus, ſana & perfecta creduntur. Contra
„ omnem itaque errorem vel impuritatem
„ quam inimicus ſuggereret, vel erroneus ali-
„ quis & ſeductus affirmaret. Eloquia divina
„ ſunt inſpicienda, & quæ ſuggeruntur vel au-
„ diuntur his conferenda, ut recipiantur, vel
„ confutentur. Hæc enim ſunt *Eloquia caſta,* [Pſal. 11. 7.]
„ *argentum igne probatum*, à terrenis ſeparatum,
„ & à ſeptiformi Spiritu purgatum. Quic-
„ quid enim ſacræ Scripturæ conſonat & con-
„ cordat, quam Spiritus Sanctus condidit,
„ ſanum & integrum credendum eſt: &
„ quicquid ab illâ diſcordat, noxium eſt re-
„ putandum. Sanum enim eſſe non poteſt,
„ quod à Spiritu Sancto quoquo modo diſ-
„ crepat". Ecce cur Eccleſiæ dictum ſit, *Oculi*
tui columbarum.

XCV. Hinc obviè perſpicitur quàm aptè
in *Mulierem fortem* ſub typo Eccleſiæ quadret
littera *Ain*, quatenùs interpretatur *oculus*: vi-
deamus porrò num ſimiliter eidem congruat
altera ejuſdem litteræ interpretatio, quæ *fon-*
tem ſonat. Congruit prorſus, prout evincit
authoritas magni Sponſi, qui & quid ſuæ
Sponſæ congrueret optimè novit, & nihil in-
congruum aſſerere unquam voluit aut potuit:
Hortus concluſus, ait ipſe, *ſoror mea ſponſa. hortus* [Cant. 4. 12.]
concluſus,

Digitized by Google

I. Hugo Victor. Ser. 60. *concluſus*, *fons ſignatus*: I. Sancta Eccleſia, ait
,, Hugo Victorinus, in ipſis Canticis Canti
,, corum diverſis nominibus appellatur: ali-
,, quando quippe vocatur *Sponſa*, aliquando
,, *Amica*, aliquando *Soror*, aliquando *Columba*,
,, aliquando *Pulchra* ſive *Formoſa*. Ipſa nimi-
,, rum *Sponſa* eſt fide, *Amica* dilectione, *Soror*
,, cæleſtis hæreditatis participatione, *Columba*
,, ſimplicitate, *Formoſa* decore juſtitiæ. *Hortus*
,, *concluſus es ſoror mea ſponſa*, *hortus conclu-*
,, *ſus*. Per *hortum*, Sanctæ Eccleſiæ ſanctam
,, converſationem intelligimus, ex quâ virtu-
,, tum & bonorum operum germina indeſi-
,, nenter oriri videmus. Qui hortus aptè *con-*
,, *cluſus* dicitur, quia forti munimine diſcipli-
,, næ undique munitur, ne fraudulentus hoſtis
,, uſpiam irrumpat, & juſtitiæ plantationem
,, evellat & auferat. Qui & apertè bis nomi-
,, natur, ut per hoc fructus ejus duplex expri-
,, matur, fides ſcilicet & operatio, ſive etiam
,, vita conjugum & continentium, aut etiam
,, dilectio Dei & proximi, vel certè vita acti-
,, va & contemplativa. Per *fontem* autem hu-
,, jus horti intelligitur ſapientia cæleſtis: qui
,, *fons*, velut ad irrigandum paradiſum, *in*
Gen. 2. 10. ,, *quatuor flumina dividitur*, dum divina Sapien-
,, tia quatuor Euangeliorum prædicatione per
,, univerſam Eccleſiam derivatur. Qui etiam
,, *ſignatus* eſſe rectè perhibetur, quia ſapientia
,, Dei multis ac diverſis ænigmatibus in ſacrâ
,, Scripturâ velatur. Hinc eſt quòd Paulus ait:
I. Cor. 2. 7. ,, *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio*, *quæ ab-*
,, *ſcondita eſt*, *quam Deus prædeſtinavit in gloriam*
noſtram". Et venerabilis Beda in ſuis Canti-
K. Beda l. 4. in Cantica. corum Allegoriis: K. *Hortus*, inquit, eſt Ec-
,, cleſia, quæ multifaria ſpiritalium operum
,, germina gignit: *Fons* eſt, quæ doctrinâ ſa
,, lutari redundat, quâ fidelium ſuorum men-
,, tes, quas diſperſas præparaverat, quaſi areo-
,, las aromatum irrigat. Unde ſcriptum eſt,
Prov. 18. 4. ,, *Aqua profunda*, *verba ex ore viri*; *& torrens re-*
,, *dundans*, *fons ſapientiæ*. Hinc & Apoſtolus
1. Cor. 3. 6. ,, ait, *Ego plantavi*, *Apollo rigavit*, *Deus autem*
,, *incrementum dedit*. *Ego plantavi*, quaſi in horto
,, Domini, aromata virtutum: *Apollo rigavit*,
,, quaſi de *fonte ſignato* doctrinæ cæleſtis: *Deus*
,, *autem*, quaſi ſuos operarios, ne fruſtra la-
,, borarent, adjuvit. *Concluſus* eſt autem *hortus*
,, iſte, quia Domini ac Redemptoris ſui pro-
,, tectione munita perſiſtit Eccleſia, ne im-
,, probâ unquam vel hominum infidelium vel
,, immundorum ſpirituum irruptione viole-
,, tur, & à fructuum cæleſtium prolatione
,, paſſim conculcata retardetur. *Signatus* eſt
,, *fons* iſte, quia ſermo fidei, qui in Euangelio
,, eſt, ſignaculo tutatus, nullâ errantium va-
Epheſ. 4. 5. & 6. ,, let unquam incurſione turbari: *Unus* enim
,, *Dominus*, *una fides*, *unum baptiſma*, *unus Deus*
,, *& Pater omnium*. Quod ſignaculum vivi *fontis*
,, qui ſolvere nititur; errat, nec *fontem* vitæ
,, profanare valet: ſed in hoc ſe potius, dum
,, impius ingerit, necat; ad exemplum exer-
,, citûs Ægyptii, qui in myſtico rubri maris
,, baptiſmate, quo Dei populus ſalvatus eſt,
,, dum non credendo, ſed perſequendo ſancta,
ingredi præſumpſiſſet, extinctus eſt". Et du-
dum ante hos Ambroſius in Epiſtolâ ad Ver-
cellenſes: L. *Hortus concluſus*, inquit, *ſoror mea* L. Ambroſ. l. 5 Epiſt. 21. editionis Romanæ.
,, *ſponſa*, *hortus concluſus*, *fons ſignatus*: Chriſtus
,, hoc dicit ad Eccleſiam, quam vult eſſe vir-
,, ginem *ſine maculâ & rugâ*. Bonus hortus vir- Epheſ. 5. 26.
,, ginitas, quæ plurimos boni ferat fructus
,, odoris. *Hortus clauſus*, quia undique vallata
,, eſt muro caſtitatis. *Fons ſignatus*, eò quòd
,, virginitas ſit fons & origo pudicitiæ, quæ
,, inviolata cuſtodiat integritatis ſignacula:
,, in quo fonte imago Dei luceat, quia cum
,, munditiâ corporis congruit etiam puritas
,, ſimplicitatis. Nec poteſt dubitare quiſquam
,, quin Eccleſia virgo ſit, quam etiam in Co-
,, rinthiis deſpondit Apoſtolus Paulus *Virgi-* 2. Cor. 11. 2.
nem caſtam aſſignare Chriſto". Et Ambroſio
ſynchronus Philo Carpathiorum Antiſtes:
,, M. *Fons ſignatus*, inquit, ſponſa dicitur, quia M. Philo Carpath. in cap. 4. Canticorum.
,, in baptiſmate ſignaculum Jeſu Chriſti acce-
,, pit, ex ejus ſacratiſſimi ſanguinis fonte per-
,, lota. Unde non licet ampliùs ſponſæ adul-
,, terino diaboli ſigillo inſculpi, ne dicam
inuri". Et Gregorius Papa de eadem Sponſa
differens: N. *Fons* dicitur, inquit, quia dum N. Gregor. in caput 4. Cantic.
,, cæleſtia aſſiduè cogitat, dum ſcientiam Scri-
,, pturarum ſemper in ventrem memoriæ con-
,, gregat, quaſi aquas viventes ſancta mens in
,, ſe gignere non ceſſat, quas ſitientibus pro-
,, ximis præbere ut reficiantur valeat". His addi
poteſt Lucas ille Cornelienſis Abbas, qui Sum-
mariolis ſupplevit Aponii in Cantica Com-
mentarium: O. Eſt igitur, inquiens, *hortus* O. Lucas Cornelienſis in Summariolis ad Aponium.
,, *concluſus* Eccleſia, credendo perfectum ho-
,, minem Chriſtum virginem peperiſſe: eſt &
,, *fons ſignatus*, Verbum Patris Chriſtum
,, Deum verum credendo in hominem ex ute-
,, ro proceſſiſſe, qui eſt *fons vitæ*, & *fons lumi-* Pſalm 35. 10.
,, *nis*. Fit ergo Eccleſia *fons*, utpote corpus Joan. 6. 27.
,, ejus effecta: & ſicut fons vitæ *ſignatus à Pa-* Cant. 4. 12.
,, *tre* dicitur Chriſtus; ita & Eccleſia, *fons*
,, *ſignatus*, regali videlicet ſignaculo crucis,
,, appellatur à Chriſto; continens intra ſe
,, aquam baptiſmatis, quam ſignaculo ex pre-
,, tioſo fonte ſuſcipiunt iniqui, dum lavan-
tur". Addi denique poteſt Iſidorus, qui in
Expoſitione Canticorum ait: P. *Hortus con-*
,, *cluſus* Eccleſia eſt, quia multifaria ſpiritua- P. Iſidorus Hiſpal. in caput 4. Cantic. v. 12. Vide Theodoret. in caput 4 Canticor. v. 12.
,, lium operum germina gignit: *Fons* eſt, quia
,, doctrinâ ſalutari redundat; *concluſus*, quia
,, Domini protectione munita perſiſtit; *ſigna-*
,, *tus*, ſermone fidei". Quam interpretatio-
nem penè verbatim exſcripſit Beda mox ſuprà
hìc adductus.

XCVI. Perpenſâ jam litterâ initiali quoad
utram-

utramque ejus interpretationem, & oſtenſo quàm bellè ſecundùm utramque congruat *Mulieri forti*, id eſt, Eccleſiæ; ut quæ & *oculus* ſit, & *fons*: ſupereſt modò ut integrum ipſum verſiculum aggrediamur, & ſuo initio congruere doceamus, qui tam in vulgatâ, quàm in pagninianâ & vatablianâ editione ſic exhibetur: *Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die noviſſimo.* (Prov. 31. 25.) In editione 70. Interpretum, ſignanter Antuerpianâ, articulus hic deeſt, ejuſque loco hiatus relictus eſt vacuus: qui tamen ſuppletur infrà, uti & hìc ex Ambroſio vel Auguſtino, eandem editionem ſequi in reliquo iſto carmine Alphabetico ſolitis; quorum prior habet, *Fortitudinem & honeſtatem induit, & lætata eſt in diebus ultimis*: poſterior, *Fortitudine & decore induta eſt, & lætata eſt in diebus noviſſimis*: [Q] *Decore*, ait hic, tan- (Q. Auguſt. Serm 45. de Diverſis cap. 15.)
„ quam byſſo; *fortitudine*, tanquam purpurâ:
„ quia enim fortis, ideò in paſſione ſangui-
„ nea. *Et lætata eſt in diebus noviſſimis*: hìc ergo
„ diu tribulata; Nam unde haberet purpurea
veſtimenta, ſine tribulatione"? Paulò fuſiùs alter, eodem tamen ſenſu: [R] *Fortitudinem*, in- (R. Ambroſ. in cap 31. Proverb. cap. 10.)
„ quiens, *& honeſtatem induit*: *fortitudinem* uti-
„ que, tanquam purpuram; *honeſtatem*, tan-
„ quam byſſum. Quia fortis, lætatur in paſ-
„ ſione: quia honeſta, *Specioſi pedes euangeli-* (Rom. 10. 15)
„ *zantium pacem, euangelizantium bona*! Ideò
„ autem *in diebus ultimis lætatur*, quia in hoc
„ Mundo jugiter tribulatur. Quare pulchrè
„ ſcriptum eſt, *Beati qui lugent, quoniam ipſi con-* (Matth. 5. 5.)
„ *ſolabuntur*: & Dominus ad diſcipulos, *In* (Joan. 16. 33.)
„ *Mundo preſſuram habebitis*: &, *Triſtitia veſtra* (Ibid. v. 20.)
„ *convertetur in gaudium.* Sine tribulatione
„ unde haberet purpureum indumentum?
„ Hinc ſciſcitanti Prophetæ, *Quare rubra ſunt* (Iſa. 63. 2.)
„ *veſtimenta tua, & indumenta tua ſicut calcati*
„ *torcularis*? reſpondet, *Torcular calcavi ſolus*". (Ibid. v. 3.)
Ubi obiter notandum, *ſciſcitationem* hanc finalem dirigi ad Chriſtum, in cælum à paſſione & glorioſâ reſurrectione aſcendentem; & ſimiliter ipſum eſſe qui reſpondet, *Torcular calcavi ſolus*: neque enim ait, ſola; quaſi Eccleſiæ eſſet vox: ſed ait, *ſolus*. Nihilominùs rectè ab Ambroſio eadem *ſciſcitatio* ac *reſponſio* accommodatur Eccleſiæ; ut quæ non ſolùm ſponſa, ſed & corpus ſit Chriſti, juxta illud Apoſtoli: *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.* (Col. 1. 24.) Neque verò id ignoravit Ambroſius, ſed crebrò ac disertè aſſeruit; non obſcurè aut ambiguè, ſed apertè ac ſignatè: ut cùm ait: [S] Corpus Chriſti, Eccleſia eſt". Et ſuperiùs in Pſal. 43. v 6. "Corpus Chriſti, Eccleſia eſt, quæ vinculo ſtringitur charitatis". (S. Ambr. in Pſalm. 118. Octonar. 15. ad titulum.) Hinc igitur fit, ut quæ de Chriſto dicta leguntur, per quandam velut idiomatum communicationem corpori ejus myſtico attribuantur. Quam communicationem agnovit etiam aliquoties Auguſtinus, ſignanter cùm ait:
„ [T] Chriſtus unus eſt cum omnibus membris (T. Aug. Ser. 61 de Verb. Domini c. 4. Vide Serm. 45 c. 3 & Serm 214. de tempore cap. 6. & 7. & q. 69 inter 83 & Tract. 12. in Joan.)
„ ſuis, tanquam caput cum corpore ſuo. Quæ
„ autem corpus ejus, niſi Eccleſia; ſicut di-
„ cit Gentium Doctor *Vos eſtis corpus Chriſti,* (1 Cor. 12. 27.)
„ *& membra ex parte*? Cùm ergo nos cecide-
„ rimus, & propter nos ille deſcenderit, quid
„ eſt, *Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de* (Joan. 3. 13.)
„ *cælo*; niſi quia nemo aſcendit, niſi unus cum
„ eo factus, & tanquam membrum compactus
„ in ejus corpore qui deſcendit"? Et Præfat. in Pſal. 142. "Apoſtolus dicit, *Ut ſuppleam quæ* (Col. 1. 24.)
„ *deſunt preſſurarum*, non mearum, ſed *Chriſti*:
„ *in carne*, non jam Chriſti, ſed *mea*. Patitur (Vide Aug. in Pſal. 86.)
„ ergo adhuc Chriſtus preſſuram, non in car-
„ ne ſuâ in quâ aſcendit in cælum, ſed *in carne*
„ *mea* quæ adhuc laborat in terrâ. Chriſtus,
„ inquit, preſſuram patitur in carne mea: *Vivo* (Gal. 2. 20.)
„ *ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Niſi
„ enim Chriſtus in membris ſuis, hoc eſt, in
„ fidelibus ſuis, preſſuram ipſe pateretur, Sau-
„ lus in terrâ Chriſtum in cælo ſedentem non
„ perſequeretur. Denique apertè hoc expo-
„ nens quodam loco idem Apoſtolus ait, *Sicut* (1. Cor. 12. 12.)
„ *corpus unum eſt, & membra multa habet, omnia*
„ *autem membra corporis cùm ſint multa unum eſt*
„ *corpus: ita & Chriſtus*: non ait, ita & Chri-
„ ſtus & corpus ejus; ſed, *corpus unum membra*
„ *multa, ita & Chriſtus.* Totum ergo Chriſtus;
„ & quia totum Chriſtus, ideo caput de cælo:
„ *Saule*, inquit, *Saule, quid me perſequeris*"? (Act. 9. 4.)
Juxta hunc igitur loquendi modum, per quandam velut idiomatum communicationem, illud reſponſum Chriſti, *Torcular calcavi*, ab (Iſa. 63. 3.) Ambroſio accommodatur Eccleſiæ, tanquam corpori ejuſdem Chriſti: nec particula, *ſolus*, ibidem ſubjuncta excludit corpus iſtud Chriſti, ſed eos duntaxat qui extranei ſunt ipſi. Unde idem Auguſtinus lib. 1. de Peccatorum meritis cap. 31. "Homines Sancti, ait, &
„ fideles Chriſti, fiunt cum homine Chriſto
„ unus Chriſtus: ut omnibus per ejus gratiam
„ ſocietatemque aſcendentibus, ipſe unus
„ Chriſtus *aſcendat in cælum, qui deſcendit de cælo*". Hìc eandem vim habet vocula, *unus*, quam ſuprà vocula, *ſolus*. Proinde ſicut illa, ita nec iſta excludit corpus Chriſti myſticum, id eſt, Eccleſiam: quæ utique & cum ſuo capite Chriſto *aſcendit*, & cum eodem *torcular calcavit*; imò adhuc calcat, *Adimplens ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne ſuâ.* Inde igitur rectè dicitur *induere fortitudinem*; ſive, *Ex tribulatione*, ut Ambroſius ait, *habere purpureum indumentum*: nam, ut Auguſtinus ait, *Unde haberet purpureum veſtimentum, ſine tribulatione?*

XCVII. Huic interpretationi ex Auguſtino & magiſtro ejus Ambroſio adductæ addamus aliam, ex Bedâ & Rabano, vulgatam editionem ſecutis adducendam: [V] *Fortitudo*, aiunt ipſi, ad (V. Beda & Rabanus in caput 31. Proverb. v. 25. item Beda lib de Muliere forti, litt. Ain.)
„ tolerandam perverſorum improbitatem, *Decor*

 ad

„ ad exercendam virtutum gloriam pertinet : „ *decor*, quia operatur juſtitiam ; *fortitudo*, quia „ patitur perſecutionem propter juſtitiam : & „ ideò *Ridebit in die noviſſimo*, id eſt, gaudebit „ in retributione regni cæleſtis, quod dole- „ bat in certamine vitæ præſentis. Mos ete- „ nim Scripturæ eſt, pro gaudio *riſum* ponere:
Luc. 6. 21. „ ſicut Dominus ait, *Beati qui nunc fletis, quia* „ *ridebitis* : & Beatus Job, *Os veracium replebitur* „ *riſu*. Similem ſanè huic ſententiam Propheta „ de Domino Salvatore, hujus *fortiſſimæ Mu-*
Pſal. 92. 1. „ *lieris* viro, poſuit, dicens : *Dominus regnavit,* „ *decorem induit , induit Dominus fortitudinem*.
Vide Bedam in Pſal. 92. v. 1. „ Cùm enim prædicaret Euangelium regni, „ aliis placebat, & benè de eo loquebantur: „ aliis diſplicebat, & hi detrahebant, lace- „ rabant , mordebant , conviciabantur. Ad „ eos ergo quibus placebat, *decorem induit:* „ ad eos quibus diſplicebat, *fortitudinem induit*. „ Imitare ergo & tu Dominum tuum, ut „ poſſis eſſe veſtis ipſius : eſto cum decore ad „ eos quibus placent bona opera tua, eſto for- tis adversùs detractores ". Ab his non mul- tùm diſcrepat Arboreus : quia tamen nonnihil diversè ſenſum præſentis verſiculi exprimit, locum ejus exſcribam ; emiſſis interim finali- bus aliquot lineis, in quibus ipſa eorum verba
W. Arbor. in cap. 31. Proverb. litt. *Am.* tranſcripſit : W. Munitur Eccleſia , inquit „ ipſe, *fortitudine*, & armaturâ Dei adversùs „ detractores, hoſtes fidei, & Principes tene- „ brarum harum : ſiquidem verbo doctrinæ, „ & nonnunquam patientiâ , detrahentium „ ora obturat ; ſanâ doctrinâ errores hæreti- „ corum profligat , & revincit ; & in die ma- „ lo, generosè certando adversùs dæmones,
Eph. 6. 16. „ victoriam reportat : denique *Scuto fidei omnia* „ *tela nequiſſimi* & calidiſſimi ſerpentis *ignea* „ *extinguit* ; retinet & magnitudinem animi, „ ac invictam conſtantiam in perferendis pro- „ pter juſtitiam perſecutionibus. Amplexatur „ *decorem*, ad exercendam virtutum gratiam. „ Et quia in arduo & admodùm difficili cer- „ tamine tentationum & tribulationum plus „ mœroris quàm gaudii habuit, *In die noviſſimo* „ *ridebit*. Hinc illud Chriſti, *Beati qui nunc fletis,* „ *quia ridebitis*. Huic quoque Salomonis ſen- „ tentiæ confine eſt quod dicit Propheta de „ Salvatore, *Dominus regnavit, decorem induit,* *induit Dominus fortitudinem* ". Reliqua ſunt Be- dæ & Rabani finalia verba mox ex ipſis ci- tata, quæ lubens prætereo, prout jam ſuprà promiſeram. Admoneo interim, ea deſumpta eſſe ex Auguſtini Commentario in Pſalm. 92. ubi pleniùs ediſſeruntur. Quibus addi poteſt
X. Greg. in Pſal. 4. Pœnitent. v. 20. & illud Gregorii : X. De Sancta Eccleſia ele- „ ctorum dicitur, *Fortitudo & decor indumentum* „ *eius*. Qui enim ita ſe in virtutibus decorum „ exhibet, ut tamen tentationum impugna- „ tionibus non repugnet, hic nimirùm *decore* „ ad tempus *induitur*, ſed nequaquam *fortitu-* „ *dine veſtitur*. Quia verò Sancti Dei, & ex „ operibus juſtitiæ fulgidi, & ex adverſario- „ rum impugnationibus apparent veſtiti, rectè „ de eis ſub typo Eccleſiæ dicitur, *Fortitudo &* *decor indumentum eius* ". Non ſola nimirùm for- titudo, nec ſolus decor : ſed *Fortitudo & decor*; Cùm enim ipſa ſit *Amica* Sponſi ſui, prout (Cant. 1. 9. & 15. item 2. 10. & 13. item 4. 1. & 7. &c.) eam ipſe in Canticis blandiſſimè & creberrimè compellat, toto conatu nititur eidem ſuo ſpon- ſo conformari : ut quemadmodùm ipſe *fortis* *in prælio* dictus eſt, *& Dominus virtutum* ; ſic & (Pſal. 23. 8. & 10.) ipſa, ad ejus imitationem, *fortitudine & decore induatur : fortitudine* nimirùm , in præliando adversùs Mundum, carnem, & dæmonem; *decore* , in exhibendo quarumlibet virtutum ſpecimina. Hoc quippe gemino ornamento belli & pacis circumamicta meretur audire vo- cem illam Sponſi, *Tota pulchra es amica mea, &* (Cant. 4. 7.) *macula non eſt in te* : ita nimirùm pulchra es, ut nec fortitudini tuæ decor, nec decori forti- tudo deſit ; ſed fortitudo decore niteat, & decor fortitudine vigeat. Hinc igitur *macula* *non eſt in te*, quâ fias diſſimilis mei, qui *decorem* (Pſal. 92. 1.) *induiſſe* perhibeor *& fortitudinem*: Indidem quo- que *Amica mea* es, quia morum imitatio amo- ris eſt inſtigatio : ſiquidem nihil tam proclive eſt, quàm ut ſimile diligat ſibi ſimile. Quod vidit Philoſophus, cùm ſcriberet : Y. *Similis* (Y. Ariſt. 1. 9. Ethic. c. 3.) *ſimili amicum eſt*. Vidit quoque author Manua- lis Auguſtino adſcripti, cùm diceret : Z. Ut (Z. Apud Auguſt. in Manuali c. 26.) „ familiariùs diligeretur ab homine Deus, in ſimilitudine hominis apparuit ". Jonathas fi- lius Regis Saul, ad firmandam amicitiam cum Davide, *Expoliavit ſe tunicâ quâ erat indutus, &* (1. Reg. 18. 4.) *dedit eam David, & reliqua veſtimenta ſua, uſque* *ad gladium & arcum ſuum , & uſque ad baltheum*. Quorſùm hoc ? Utique ad firmandam amici- (Vide Henr. Marcellium in Aenamentario Scientifico p. 5. tit 58. Diſt. 3 n. 1.) tiam, ſimilitudine etiam veſtium : ut nimi- rùm quorum animæ fuerant jam amoris glu- tine conjunctæ, prout ibidem v. 1. præmitti- tur, eorum corpora regalium veſtimentorum ornatu & inſignibus ſibi mutuò aſſimilaren- tur. Etenim uti morum, ita & habitus, ſimi- litudo, ad amicitiam confert. Cùm ergo Chri- ſtus tam arctâ amicitiâ conglutinari dignatus ſit *Mulieri forti*, ut diceret ei, *Sponſabo te mihi* (Oſe. 2. 19.) *in ſempiternum* ; congruum omninò fuit, ſimili eam veſte indui, quâ erat ipſe indutus : ut quemadmodùm de ipſo ſcriptum eſt, *Decorem* (Pſal. 92. 1.) *indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem* ; ita & de ipſa ſcriberetur, *Fortitudo & decor indu-* (Prov. 31. 25.) *mentum eius*. Nec obſtat quòd cùm ipſe ſit vir, (PRÆOCCUPATIO.) & illa mulier, diſſimilia congruere eis indu- menta videantur. Etenim Apoſtolo teſte, (Vide ſuprà §. 37.) *Quicunque in Chriſto baptizantur, Chriſtum in-* (Gal. 3. 27. & ſeqq.) *duunt : non eſt Iudæus, neque Græcus ; non eſt ſervus, neque liber ; non eſt maſculus, neque femina : omnes enim unum ſunt in Chriſto Ieſu*. Neque verò ſermo nobis eſt de veſte hominis exterioris, quæ diverſa congruit viris & feminis : ſed de veſte hominis

Digitized by Google

hominis interioris, quæ communis eſt viris ac feminis. Accedit quòd hic agatur de veſte
Prov. 31.25. *Mulieris fortis*, quando ipſa *ridebit in die noviſſimo*:
Ephes. 4. 13. de quo loquens Apoſtolus, dicit *Occurſuros omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in VIRUM perfectum*. Non quòd ibi defuturus ſit ſexus femineus, ſed quòd ibi ſexus etiam ipſe femineus compariturus ſit *Virili pectore fortis*. Sexu proinde erunt feminæ, ſed quæ pectoris fortitudine viri ſint.

CAPUT XXIX.

Decimumſeptimum ejuſdem Poëmatis verſiculum inchoat decimaſeptima Hebraici Alphabeti littera, Phe *dicta, quæ juxta Hieronymum interpretatur* Os, *juxta Ambroſium* Os aperui, *item* Erravi. *Mulier fortis ſecernendo pretioſum à vili, fit quaſi os Domini. Hinc qui eam audit, ipſum Dominum audit; & qui eandem ſpernit, eundem ſpernit. Sicut inexcuſabiles fuerunt qui Chriſto perſonaliter prædicanti diſcrediderunt, ita & qui eidem per Eccleſiam tanquam os ſuum loquenti credere renuunt. Vt Eccleſia os ſuum ſalubriter aperiat, ad eum cujus ipſa os eſt clamat*, Domine labia mea aperies. *Deſertores Eccleſiæ calumniantur eam errare, cùm ipſi errent: ſicut Ægyptia Putipharis uxor impudicitiam ſuam caſto Ioſepho affinxit. Idcircò Eccleſia* erraſſe *ſe profitetur, quia de nativis errorum tenebris ad adoptitiam Veritatis lucem ſe fuiſſe tranſlatam reminiſcitur. Memoria priſtinæ vilitatis, parens eſt ac fotrix humilitatis. Agathoclis Siculi & Leſci Polonici Regum memorabile huc ſpectans exemplum. Mulier fortis, velut altera Dido*, Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſcit.

XCVIII Hieron. ſuprà §. 48. SEquitur in Alphabetico *Mulieris fortis* encomio verſiculus decimusſeptimus, inchoatus à decimaſeptimâ Alphabeti Hebraici litterâ, *Phe* dictâ; quæ juxta Hieronymum §. 48. relatum interpretatur *Os*: ubi ad tollendum æquivocationis nubilum addit ipſe, *Ab ore, non ab oſſe dictum intellige, ne litterarum ambiguitate fallaris.*
A. Beda in Pſalm. 118. Octonar. 17. in titulo. Quem ſecutus Beda: A· *Phe*, inquit, *os*, ab *ore*, non ab *oſſe*". Ambroſius aſſignat duas ejuſdem litteræ interpretationes: B· *Phe*, inquiens, „ littera decimaſeptima, latinè ſignificat, *Erravi*, ſive etiam, *Os aperui*". Eccleſiæ typum gerenti Hieremiæ aiebat olim Deus, *Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris*. Separat Eccleſia pretioſum à vili, dum veritatem à falſitate, honeſtatem à pravitate, ſanctitatem à profanitate diſcernit. Quid enim pretioſius illis, quid vilius iſtis? Ipſa eſt *columna & firmamentum veritatis*, ipſa eſt viva regula honeſtatis, ipſa eſt ſacrarium ſanctitatis: ipſa eſt etiam ex adverſo profligatrix falſitatis, execratrix pravitatis, eliminatrix profanitatis. Ipſa eſt igitur *quaſi os Domini, ſecernens pretioſum à vili*: & idcircò ipſe Dominus, loquens de peccatore fraternè correpto, & ſpretâ correptione ad Eccleſiam demùm delato, ait: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*, hoc eſt, perinde eum habeas, ac ſi Deo per ſeipſum loquenti diſcredidiſſet, aut præcipienti rebellaſſet: quia nimirùm perinde eſt utrum Deus per ſe, an per Eccleſiam tanquam *Os ſuum* præſcribat quidpiam credendum, aut præcipiat faciendum, vel prohibeat ut cavendum. Hinc Dominus alibi diſcipulis Eccleſiam repræſentantibus ait, *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit*. Alibi quoque idem ipſe Dominus ait de ſibi diſcredentibus, *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. In quem locum Auguſtinus: C· Poteſt movere quærentes, inquit, „ utrum hi ad quos non venit Chriſtus, nec „ locutus eſt eis, habeant excuſationem de „ peccato ſuo? Si enim non habent, cur di„ ctum eſt, propterea iſtos non habere, quia „ venit & locutus eſt eis? Si autem habent, „ utrum ad hoc habeant ut à pœnis alienen„ tur, an ut mitiùs puniantur? Ad hæc in„ quiſita, pro meo captu, Domino donante, „ reſpondeo: habere illos excuſationem, non „ de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, „ quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos „ non venit, & quibus non eſt locutus. Sed „ non in eo ſunt numero hi, ad quos in diſci„ pulis venit, & quibus per diſcipulos eſt lo„ cutus; quod & nunc facit: nam per Eccle„ ſiam ſuam loquitur Gentibus, & per Eccle- ſiam

Marginal notes: B. Ambroſ. in Pſal. 118. Octonar. 17. in præfatione. — Hier. 15. 19. — 1. Tim. 3. 15. — Matt. 18. 17. — Luc. 10. 16. — Joan. 15. 22. — C. Auguſt. Tractat. 89. in Joan.

„ ſiam ſuam venit ad Gentes. Ad hoc enim
Luc. 10. 16. „ pertinet quod ait, *Qui vos recipit, me recipit:*
„ *& qui vos ſpernit, me ſpernit.* Paulus quoque
2. Cor. 13. 3. „ Apoſtolus ait, *An vultis experimentum accipere*
ejus, qui in me loquitur Chriſtus" ? Si Chriſtus eo ipſo Gentibus locutus eſt, quòd Eccleſia iiſdem ſit locuta; conſequens omnino eſt, Eccleſiam, Chriſti *Os* eſſe, organum ſcilicet per quod loquitur ipſe. Rursùs ſi nequeunt excuſari tanquam non audiſſent Chriſtum ſibi loquentem, qui Eccleſiam audierunt ſibi prædicantem; proculdubiò per Eccleſiam loquitur Chriſtus, & diſcredens Eccleſiæ diſcredit ori Chriſti. Quod ſi ita eſt, quis ambigat Eccleſiam rectè dici *Os* Chriſti; adeoque audiendo Eccleſiam audiri Chriſtum, & ſpernendo Eccleſiam ſperni Chriſtum? Atque hinc planum eſt, aptè in Eccleſiam quadrare initialem hujus verſiculi litteram, *Phe*, quatenùs ea interpretatur *os*. Addit Ambroſius huic interpretationi verbum, *aperui:* ut integra interpretatio ſit, *os apertum*. Quæ ad Eccleſiam relata indicat, eam non ideò fieri *os Domini*, ut ſilendo obmuteſcat; ſed ut vocem in fortitudi-
2. Tim. 4. 2. ne exaltando euangelizet, *Prædicet verbum, inſtet opportunè importunè, arguat, obſecret, increpet in omni patientiâ & doctrinâ*. Cæterùm quia Eccleſia divino magiſterio didicit, apertionem oris utilem ac fructuoſam munus eſſe ipſius
Pſal. 50. 17. Dei, idcircò ad ipſum quotidie exclamat, *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Non enim ignorat petiiſſe Apo-
Epheſ. 6. 19. ſtolum ſuffragia fidelium, *Vt detur ſibi ſermo in apertione oris ſui cum fiduciâ, notum facere myſterium Euangelii.* Nec item ignorat dixiſſe Deum
Exod. 4. 12. Moyſi, *Ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris.* Ubi Vatablus vertit, *Verbum meum erit in ore tuo, & docebo te quid loquaris:* & 70. Interpretes planiùs ad propoſitum, *Ego aperiam os tuum, & inſtruam te quod locuturus es.* Eccleſia
Hier. 15. 19. igitur *ſeparando pretioſum à vili*, fit *quaſi os Domini:* & eadem *aperiendo os* laudem dicit Domino; ſed ut hoc præſtet, aperitur ei os à Domino. Unde Auguſtinus contra inimicos gra-
D. Aug. l. 2. ad Bonif. c. 9. Vide q. 9. in Exodum. tiæ Dei dimicans: D. Dominus admonet, inquit, ut præparemus voluntatem, in eo quod legimus, *Hominis eſt præparare cor.* Et ta-
Prov. 16. 1. Prov. 8. 35. juxta 70. „ men ut hoc faciat homo, adjuvat Deus, quia „ *præparatur voluntas à Domino:* & Deus aperit „ os, ita jubendo, ut nemo poſſit, niſi ipſe
Pſal. 50. 17. „ id faciat adjuvando, cui dicitur, *Labia mea* „ *aperies.* Nunquid iſtorum (*Pelagianorum*) „ aliqui ita deſipiunt, ut aliud eſſe conten„ dant *os*, aliud *labia*; & mirabili vanitate ho„ minem dicant aperire os, labia verò homi„ nis Deum? Quanquam Deus illos etiam „ ab hac abſurditate compeſcit, ubi ad Moy„ ſen famulum ſuum dicit: *Ego aperiam os tuum,* *& inſtruam te quid debeas loqui*". Abſit ut *Mulier fortis*, id eſt, Eccleſia, imitari velit eos, qui apud Pſalmographum jactuosè effutiebant, *Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt: quis noſter Dominus eſt?* Pſalm. 11. 5.

XCIX. His de primâ & tertiâ litteræ *Phe* interpretatione præmiſſis, reſtat media; quâ juxta Ambroſium, initiò hujus capitis relatum, interpretatur, *Erravi.* Quæ interpretatio plurimùm arridet Sectariis hujus temporis, uti & veteribus eorum Patriarchis; qui ut ſuam ab Eccleſiâ apoſtaſiam juſtificent, eandem à rectâ fide aberraſſe, & aberrando defeciſſe, contendunt: E. Impuris nimirum E. Theodoret. Epiſt. 145.
„ mulieribus, ut Theodoretus olim aiebat, „ ſimile quidpiam factitantes: quæ, cùm for„ mam ſuam habeant venalem, caſtas matro„ nas meretriciis probris divexant, & impu„ dicitiæ ſuæ vocabula eandem deteſtantibus „ imponunt. Hoc *Ægyptia illa olim fecit*, quæ Gen. 39. 14.
„ turpis deſiderii ſervitutem amplexa; cùm „ caſtum Joſephum petulanter aggreſſa fuiſſet, „ nec tum ineſcare aut voluptatis laqueis irre„ tire prævaluiſſet, continentiæ amatorem calumniata eſt alieni thori prædonem". Hanc impudicam Ægyptiam imitantur plerique hujus temporis Novatores, reſumentes veterem Luciferianorum cantilenam: F. Quibus, teſte F. Hieron. Dialogo contra Lucif. c. 1.
„ Hieronymo, familiare erat dicere, *Factum de Eccleſiâ lupanar*". Sed utinam aliquando reſipiſcentes imitentur eum, qui apud eundem Hieronymum ibidem cap. 8. ad gremium Eccleſiæ de illâ Sectâ reverſus, & jam ſanum ſapiens, aiebat: "Gratias ago Chriſto Deo, „ qui in pectus meum Veritatis lumen infu„ dit; ne adhuc ore ſacrilego virginem ejus, ſcortum diaboli clamarem". Interim dum hoc optamus & præſtolamur, monſtremus eis quomodo *Mulieri forti*, id eſt, Eccleſiæ, quam mox *virginem Chriſti* à reſipiſcente illo dici audivimus, congruat præſens littera *Phe*, quatenus interpretatur, *Erravi.* Quis adeò obſurdeſcat, ut non audiat illud Propheticum, *Omnes nos* Iſa. 53. 6.
quaſi oves erravimus? Ex quo rectè ſubinſert in Commentario idem Hieronymus: "Indi„ guimus itaque miſericordiâ Dei, dicentes in „ Pſalmo, *Erravi ſicut ovis perdita:* quæ ſcilicet Pſalm. 118. 176.
„ in Euangelii parabolâ, Paſtoris ſolliciti *Hu-* Luc. 15. 5.
meris reportata eſt". Quænam illa ovis perdita, niſi natura humana, in primo quidem Adam perdita ac variis errorum ambagibus à paſcuo vitæ elongata, ſed per ſecundum Adam quæſita, inventa, atque humeris reportata? Etenim, ut præclarè ait Fulgentius: G. Quia G. Fulg. de Incarnat. & grat. c. 22.
„ primus homo in ſuperbiam diabolicâ eſt per„ ſuaſione dejectus, in quo perdidit humi„ litatem, perdidit fidem: Perdens autem „ fidem, perdidit divinam protectionem, ſicut „ ſcriptum eſt, *Qui non credit Deo, à Deo non pro-* Eccli. 2. 15.
tegitur. Exinde cœpit ſuperbire terra & ci„ nis, quia *In vitâ ſuâ projecit intima ſua.* Ad ipſa Eccli. 10. 10.
„ intima ut homines redeant, divinus non de-

finit

Digitized by Google

Iſa. 46. 8. „ ſinit ſermo clamare, dicens: *Redite prævaricatores ad cor.* Verùm quia illi *Caro ſunt, Spiritus vadens & non rediens*, nec unquam velle redire poteſt *ovis errans*, niſi fuerit boni paſtoris inquiſitione præventa, & *humeris* re-portata: propterea paſtor bonus *Venit quærere & ſalvam facere ovem perditam*; quæ paſtorem ſuum quærere non poteſt, priuſquam ab eo quæratur; ſed à quærente prævenitur, ut quærat". Huic eidem ovi erraticæ accommodat Proſper hemiſtichium iſtud mox hìc præmiſſum à Hieronymo adductum, *Erravi ſicut ovis quæ periit*: [H] Hæc eſt *ovis*, inquiens, propter quam paſtor ejus, nonaginta novem dimiſit in montibus; & eam quærens, Judaicis laceratus eſt vepribus, & cruentatus verberibus". Quid autem ei jam inventæ præſtiterit, explicat idem ipſe in Epiſtola ad Demetriadem cap. 13. nimirum " Ut peccato corrupta, vanitatibus ebria, ſeductionibus circumſepta, difficultatibus impedita, non remaneret in languoribus ſuis; ſed per opem miſerentis Medici curata revaleſceret, & gauderet ſe non interrogantem edoctam, & non quærentem eſſe quæſitam". Qui rursùs lib. 1. de vocatione Gentium cap. 7. " Omnes homines, inquit, in primo homine ſine vitio conditi ſumus, & omnes naturæ noſtræ incolumitatem prævaricatione ejuſdem hominis perdidimus: inde tracta mortalitas, inde multiplex corporis animique corruptio, inde ignorantia & difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, ſacrilegi errores, timor vanus, amor noxius, injuſta gaudia, pœnitenda conſilia; & non minor miſeriarum multitudo, quàm criminum. His ergo atque aliis malis in naturam humanam irruentibus, fide perditâ, ſpe relictâ, intelligentiâ obcæcatâ, voluntate captivâ, nemo in ſe unde repararetur invênit". Hæreditariam iſtam *intelligentiæ obcæcationem* perpendens Apoſtolus dicebat fidelibus à Chriſto jam illuminatis, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ubi, ut Auguſtinus ſcitè advertit, [I] Cùm diceret, „ *tenebræ*, non addidit, *in Domino*: cùm autem „ dixiſſet, *lux*, addidit utique, *in Domino*: quia in ſeipſis lux eſſe non poſſent". Ex ſeipſis igitur tenebræ fuerant, perinde ac reliqui qui in tenebris remanſerunt; ſed *Deus, qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus ipſorum*; ut lux eſſent in ipſo, qui tenebræ ex ſeipſis fuerant cum aliis, & cum iiſdem tenebræ manſiſſent, niſi ille lucem à tenebris diſcreviſſet, de quo Auguſtinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 7. " Ille te diſcernit, inquit, qui „ unde diſcernaris impertit, pœnam debitam „ removendo, indebitam gratiam largiendo: „ ille diſcernit, qui *cùm tenebræ eſſent ſuper abyſſum, dixit, Fiat lux, & facta eſt lux; & diviſit*, hoc eſt, diſcrevit, *inter lucem & tenebras*: non enim cùm ſolæ eſſent tenebræ, quid diſcerneret invenit; ſed lucem faciendo diſcrevit: ut juſtificatis impiis dicatur, *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*: ac ſic, *qui gloriatur*, non in ſeipſo, ſed *in Domino glorietur*".

[Margin: *Pſal.* 77. 39. — *Luc.* 19. 10. — H. *Proſp. in Pſalm.* 118. v. 176. — *Ephef.* 5. 8. — I. *Aug. lib. de Perfect. juſt.* c. 12. — 2. *Cor.* 4. 6. — *Gen.* 1. 3. & 4. — *Ephef.* 5. 8. — 2. *Cor.* 10. 17.]

C. Quoniam igitur *Mulier fortis*, id eſt, Eccleſia, perſpicaci oculo divinitùs illuminato videt quid pridem ex carnali ſuâ nativitate fuerit, & qualis ex ſecundâ ſuâ nativitate, utique ſpiritali, evaſerit; idcircò jam renata, & luce perfuſa, gratulabundè exclamat, *Erravi*: hoc eſt, quamvis per Dei gratiam nunc videam, tamen ex culpâ parentali in tenebris errorum cæca olim jacueram: [K] Si attendamus, inquit Auguſtinus, hæreditariam pœnam noſtram, totus Mundus cœcus eſt: ideò venit Chriſtus illuminator, quia diabolus fuerat excæcator: omnes cæcos naſci fecit, qui primum hominem decepit". Quemadmodùm ergo Apoſtolus, in gente alioqui Prophetarum natus, veriſſimè ac ſaluberrimè ſcripſit, *Eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri*: ita Eccleſia attendens hæreditariam totius humani generis cæcitatem, rectiſſimè ac ſaluberrimè dicere poteſt, *Cæca fui, ſicut & cæteri.* Rursùs quia cæcitas eſt mater erroris, non minùs rectè ac ſalubriter uſurpat ac ſibi vendicat litteram Hebraicam *Phe*, quatenus ea latinè interpretatur *Erravi.* Rectiſſimè quidem, quia ex vi primæ nativitatis *erravit ab utero*: ſaluberrimè denique, quia agnitio infirmitatis, gradus eſt ſanitatis. Unde Ambroſius: [L] Quoniam ovis, inquit, quæ erravit, quærenda eſt à paſtore, ne pereat: ideò „ dicit, *Erravi.* Dic & tu iniquitates tuas, ut „ juſtificeris. Quòd lapſum fateris, in eo tibi „ cum omnibus commune conſortium eſt, quia „ nemo ſine peccato. Negare hoc, ſacrilegium „ eſt: Solus enim Deus ſine peccato. Confiteri hoc Deo, impunitatis remedium eſt". Porrò præterquam quòd hujuſmodi confeſſio ſit impunitatis remedium, multiplex aliud ſecum adfert emolumentum: nam inprimis incentivum eſt humilitatis, quæ fundamentum eſt ac fomentum totius ædificii ſpiritalis: „ [M] Magnus eſſe vis? inquit Auguſtinus, Ab imo incipe. Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis? De fundamento priùs cogita humilitatis". Et Epiſt. 56. ad Dioſcorum: " Niſi humilitas, inquit, omnia quæcunque benè facimus & præceſſerit, & comitetur, & conſecuta fuerit, & propoſita quam intueamur, & appoſita cui adhæreamus, & impoſita quâ reprimamur; jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum de manu extorquet ſuperbia". Ad hanc porrò virtutem comparandam, & oppoſitum ſuperbiæ vitium cavendum, non parùm conducit con-

[Margin: K. *Auguſt. Homil.* 41. *inter* 50. *cap.* 1. *Vide Tract.* 44. *in Joan.* — *Ephef.* 2. 3. — *Pſalm.* 57. 4. — L. *Ambroſ. in Pſal.* 118. *Octonar.* 22. v. 176. — M. *Aug. Ser.* 10. *de verb. Domini cap.* 1.]

Digitized by Google

contemplatio & confeſſio priſtinæ vilitatis ac obſcuritatis in qua aliquando jacuimus, & de quâ in ſublimiorem illuſtrioremque ſtatum emerſimus. Unde monetur quiſque ſic evectus, *Ne in die bonorum immemor ſit malorum:* atque item, ut *Memmerit paupertatis in tempore abundantiæ.* Memorabile hujus rei exemplum nobis in ſeipſo præbuit Agathocles, qui figulo patre prognatus, fictilia vaſa quotidie adhibebat menſæ, etiam Siciliæ regno potitus, quibus ſuæ priſtinæ vilitatis ac paternæ artis jugiter admoneretur. Qua de re extat Auſonii non inelegans Epigramma iſtud: N. *Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea Regem, Atque abacum Samio ſæpè oneraſſe luto; Fercula gemmatis cùm poneret horrida vaſis, Et miſceret opes pauperiemq; ſimul: Quærenti cauſam reſpondit, Rex ego qui ſum Sicaniæ, figulo ſum genitore ſatus.* Simile quidpiam ex Chromero memorat Petrus Gregorius, de Leſco Polonorum Rege, qui cùm ex infimâ conditione ad regiam dignitatem forte fuiſſet evectus, O. Illud obſervavit, ut „ rudibus & craſſis pannis aulæorum loco „ uteretur, niſi ſi quid daret ſplendori prin„ cipatus in publicum proditurus, propter ex„ ternos homines. Quin ibi quoque cùm „ eſſet, craſſos pannos, quibus ante adeptum „ principatum uſus fuiſſet, ob oculos ſibi poni „ jubebat, quibus aſſiduè admoneretur ſuæ „ priſtinæ fortunæ, & unde ad tantum fortunæ faſtigium evectus fuiſſet". Secundò eadem priſtini ſtatûs recordatio & confeſſio ingerit homini gratitudinem erga ſuum evectorem, ſine cujus gratuitâ dignatione in priſtino luto fæcis hæſiſſet, nec unquam ad præſentem felicitatis ſtatum pertigiſſet: atque inde inſtigatur ad proferendum illud Pſalmographi, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Hoc autem quàm ſit decorum pariter ac fructuoſum, indicat qui ait: P. Quid „ melius & animo geramus, & ore proma„ mus, & calamo exprimamus, quàm *Deo* „ *gratias?* Hoc nec dici brevius, nec audiri „ lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuo- ſius poteſt". Hoc ipſum obviè cerni poteſt ex turpitudine & damnoſitate oppoſitæ ingratitudinis, de qua author Soliloquiorum eidem Auguſtino attributorum ita Deum alloquitur cap. 18. "Scio quòd ingratitudo „ multum tibi diſpliceat, quæ eſt radix totius „ mali ſpiritalis, & ventus quidam deſiccans „ & urens omne bonum, obſtruens fontem „ divinæ miſericordiæ tuæ ſuper hominem, „ quâ & mala mortua jam oriuntur, & viva „ jam opera moriuntur, & ultrà non adipiſcuntur". Tertiò item eadem recordatio & confeſſio excitat affectum compaſſionis & commiſerationis erga eos, qui in eâ unde nos evaſimus miſeriâ adhuc verſantur. Unde noſtra *Mulier fortis*, recogitans ſtatum ſuum priſtinum caliginis & erroris, unde per Dei gratiam educta emerſerat, opportunè uſurpare poterit illud Didonis, Q. *Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.* Porrò quia diſcit ſuccurrere, diſcit conſequenter non invidere: ſuccurrit quippe ex affectu charitatis, qui foras mittit invidiæ livorem, quia *Charitas non æmulatur.* Unde quidam non infimi ordinis inter hujus *Mulieris fortis* filios ait ex matris ſuæ ſenſu ac perſonâ: R. Non invideamus de longin„ quâ regione remeantibus, quia & nos fui„ mus in regione longinquâ; ſicut Iſaias do„ cet, ſic dicens: *Qui ſedebant in regione umbræ* „ *mortis, lux orta eſt illis.* Regio ergo longinqua, umbra eſt mortis". Quoniam igitur *Mulier fortis* olim jacuerat tenebris obſita in umbrâ mortis, idcircò recogitans ſtatum illum ſuum dicit, *Erravi:* & hoc dicendo, humiliat ſe, & gratias agit illuminatori ſuo, & *non ignara mali, miſeris*, illic adhuc cæcutientibus, *ſuccurrere diſcit*; non invidens, ſed gratulans illinc remeantibus. Quid horum non congruit ei? Quid horum ſervit Sectariorum calumniantium ſcopo? An quòd Eccleſia agnoſcat ſe *erraſſe?* Diſcant ergo diſcernere inter ſenſum compoſitum & diviſum, inter appellationem formalem & materialem, inter ſtatum & diſtractionem: & ridiculam deprehendent ſuam cavillationem. Quando enim Eccleſia *erraſſe* ſe profitetur, ad homines reſpicit quibus materialiter ipſa conſtat, & qui erroribus ſubjacuerant priuſquam de ipsâ eſſent. Nec de his controverſia nobis eſt cum Sectariis, niſi fortè reſuſcitent hæreſim Pelagij, negantis naſci homines *Naturâ filios iræ*, tenebris obſcuratum cor habentes, lucis ſupernæ & internæ expertes. Sed controverſiam ipſi nobis ſuſcitant de jam erectâ, ex fidelibus ab errore nativo eductis conflatâ, à bono paſtore quæſitâ, inventâ, humeris reportatâ, & eidem deſponſatâ. Hanc quippe contendunt poſt hæc omnia erraſſe, defeciſſe, ſcortum infame evaſiſſe, priſtinas tenebras incurriſſe, periiſſe. Cui eorum calumniæ ne apparenter quidem favet ipſa, cùm dicit ſe, eo ſenſu quem exhibuimus, *erraſſe.* Redeant ergo ipſi ad ſe, redeant ad ipſam à quâ ſegregarant ſe: replicent viritim illam Luciferiani reſipiſcentis palinodiam §. proximo relatam: *Gratias ago Chriſto Deo, qui in pectus meum veritatis lumen infudit; ne adhuc ore ſacrilego virginem eius, ſcortum diaboli clamarem.*

Eccli. 11. 27.
Ibid. 18. 25.
N. Auſonius Epigram. 8. Vide Fulgoſum lib. 3. Exemplorum cap. 4.
O. Pet. Greg. l. 4. de Republica cap. 10. num. 10. Vide Chromerum l. 2. de Geſtis Polon.
Pſal. 115. 12.
P. Auguſt. Epiſt. 77.
Vide Bernard. Serm. 2. de Septem Panibus. & Serm. 51. in Cantic.
Q. Virgil. l. 1. Æneid. v. 634.
1. Cor. 13. 4.
R. Ambroſ. l. 7 in caput 15. Lucæ.
Iſaiæ 9. 2.
Epheſ. 2. 3.
Vide ſuprà §. 99.

CAPUT

CAPUT XXX.

Explanationi litteræ initialis ſubditur elucidatio verſiculi inde inchoati, cujus variæ exhibentur in latinum facta tranſlationes. Divini muneris eſt os ſuum aperire ſapientiæ. *Legem credendi lex ſtatuit ſupplicandi. Expenditur quod ſcriptum eſt*, Linguam nullus hominum domare poteſt. *Eccleſia inter paleas & zizania peregrinans, multa quidem tolerat; ſed quæ ſanæ fidei aut probæ vitæ diſſonant non approbat, nec facit, nec tacet. Ejus mores ſummariè ex Auguſtino commemorantur. Sola dicere ſuo Sponſo poteſt*, Nova & vetera ſervavi tibi: *& quænam iſta? De* ore *hominis exterioris, &* ore *interioris: nec non de utriuſque* apertione *ſive ad intromittendum, ſive ad emittendum. Auditores Beati Iob expectantes eloquium ejus ſicut pluviam*, aperiebant os ſuum quaſi ad imbrem ſerotinum. *Romanus exercitus hiante ore pluviam à Chriſtianis impetratam excepit. Sapientiæ cum pluviâ analogia.* Sapientiæ *vocabulo lex antiqua congruè intelligitur, quæ inſtruebat quidem intellectum, ſed non molliebat affectum. Per* Legem Clementiæ *ſignatur Euangelica, quæ abolendo culpam relevat pœnam.*

CI. HUc uſque per integrum caput ini-
tialis litteræ hujuſce verſiculi
interpretationem protendimus,
nunc ipſius verſiculi textum ex-
pendamus; cujus tenorem vulga-
Prov. 31. 26. tus Interpres latinè ſic expreſſit, *Os ſuum ape-*
Pagninus. *ruit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius*: Pa-
gninus ſic, *Os ſuum aperuit ſapienter, & lex cle-*
Vatablus. *mentiæ fuit in lingua eius*: Vatablus eodem mo-
do, excepto quòd pro verbo, *fuit*, ſubſtitue-
Interpretes rit verbum, *verſatur*: Septuaginta denique In-
70. terpretes latinè tranſlati, *Os ſuum aperuit at-
tentè & legitimè, & ordinem poſuit linguæ ſuæ:
fortitudinem & decorem induit, & lætata eſt in
diebus noviſſimis.* Ubi poſtremum hemiſtichium
huc tranſpoſitum eſt de loco ſuo, quò inte-
grum verſiculum conſtituit juxta cæteras edi-
tiones, prout §. 96 notavimus: nec tranſ-
poſitum duntaxàt, ſed & de integro verſicu-
lo appendix alterius factum; ut proinde Al-
phabeticum *Mulieris fortis* encomium non ad-
æquet numero verſuum numerum litterarum
Hebraici Alphabeti, ſed unitate deficiat. Ve-
rùm, ut eodem §. 96. monui, potuiſſet hoc
incommodum vitari, & hiatus ſuppleri, ex
Ambroſio & Auguſtino; qui veterem ſui tem
poris eorundem 70. Interpretum editionem
ſecuti, nullum hiatum ſuperiùs reliquerunt,
nullam appendicem hic aſſuerunt: ſed prior
Ambroſius. hoc loco ſcripſit, *Os ſuum aperuit ſapienter & le-
galiter, & gratia eius in linguâ eius:* Poſterior de-
Auguſtinus nique, *Os ſuum aperuit attentè, & ordinem poſuit
linguæ ſuæ.* Amborum Commentarius quoad
ſenſum coincidit, tametſi quoad verba ſub-
inde variet: qui ſic apud Ambroſium jacet:
„ s. Præſtet nobis Dominus in illius *Mulieris* S. Ambroſ. in cap. 31. Proverb. c. 10. & Aug. Serm 45. de Diverſis c. 15. & 16.
„ domo conſtitutis, illam laudantibus, illi
„ cohærentibus, cum illâ & in illâ *virum* ejus
„ expectantibus; ut & nos *ſapienter os* no-
„ ſtrum *aperiamus*: non temerè, ſed cautè,
„ ſed *legaliter*; unde Apoſtolus, *cum timore*, 1. Cor. 2. 3.
„ inquit *& tremore multo fui apud vos*: ac ſi di-
„ ceret, ut ſubjungit, *Os meum non temere ape-* Ibid. v. 4.
„ *rui, ſed prædicatio mea fuit in oſtenſione ſpiritus*
„ *& virtutis*: & alibi, *Os noſtrum patet ad vos* 2. Cor. 6. 11.
„ *ò Corinthij*, quia ſapienter aperuit. Quocir-
„ cà fidelium ſe orationibus alibi commen-
„ dans, dicit: *Vt detur mihi ſermo in apertione* Eph. 6, 19.
„ *oris mei cum fiduciâ, notum facere* &c. *Et gra-*
„ *tia eius in linguâ eius*: Gratia in ejus lingua,
„ quia nihil perturbatum, nihil inordinatum
„ docuit: non accipiens nomen Domini Dei
„ ſui in vanum, non ſentiens creaturam de
„ Creatoris exiſtere ſubſtantiâ, non præpo-
„ nens potioribus inferiora, nec inferioribus
„ potiora ſubmittens; ſed omnia juſtè diſpo-
„ nens, laudans Deum ut Creatorem, Angelos
„ verò & homines ut creaturas. Nihil pulchrius
„ ordine: unde & ipſa dicit, *Ordinate me in di-* Cant. 2. 4.
„ *lectionem:* nolite præpoſterè agere, nolite per-
„ turbare & confundere quæ Deus ordinavit:
„ *Ordinate me in dilectionem*, amate me tanquam
„ me, amate Deum tanquam Deum; ne Deum
„ offendatis propter me, ne me offendatis pro-
pter alium quempiam". Ubi mirum cuipiam
videri fortè queat, cur ambo iſti Patres com-
mentarium ſuum deprecativè ordiantur.
Verùm admirari deſinet, ſi animum reflectat
ad iſtud

Digitized by Google

T Celeſtin. Epiſtol. 1. cap. 11. ad iſtud Celeſtini Papæ oraculum, T· *Legem credendi lex ſtatuit ſupplicandi.* Hinc quippe planum fit, iſtorum Patrum Commentarium deprecatorium implicitè continere expoſitorium: ut quoniam ipſi ſupplicant *Præſtari nobis à Domino, ut in illius Mulieris domo conſtituti, illam laudantibus, illi cohærentibus, cum illâ & in illâ Virum ejus expectantibus, ſapienter os noſtrum aperiamus:* eo ipſo exponant inprimis, divini muneris eſſe, ut *os noſtrum ſapienter aperiamus,* juxta ea quæ §. 98. dicta ſunt. Quibus addi poteſt

Jac. 3. 8. illud Jacobi Apoſtoli oraculum, *Linguam nullus hominum domare poteſt:* V· Si linguam, in-

V. Auguſt. Serm. 4 de verbis Domini c. 2. „ quit Auguſtinus, nullus hominum domare „ poteſt, ad Deum confugiendum eſt, qui „ domet linguam noſtram. Si enim tu eam „ domare volueris, non potes, quia homo es: „ *Linguam* autem *nullus hominum domare poteſt.* „ Attendite ſimilitudinem ab ipſis beſtiis „ quas domamus: equus non ſe domat, ca„ melus non ſe domat, elephantus non ſe do„ mat, aſpis non ſe domat, leo non ſe domat: „ ſic & homo non ſe domat. Sed ut dometur „ equus, bos, camelus, elephantus, leo, „ aſpis, quæritur homo. Ergo Deus quæratur, ut dometur homo". Hinc itaque claret, Patres iſtos petendo præſtari nobis à Deo ut *ſapienter aperiamus os noſtrum*, implicitè aſtruere divini opitulaminis neceſſitatem, ad ſapienter aperiendum os noſtrum: " Oratio enim, ut „ idem Auguſtinus Epiſt. 95. ait, clariſſima eſt gratiæ teſtificatio". Secundò ſimiliter indidem colligitur, divini eſſe muneris, *ut in domo illius Mulieris conſtituamur, ipſam laudemus, illi cohæreamus, cum illâ & in illâ Virum ejus expectemus.* Dum enim illi Patres hæc omnia à Deo nobis præſtari precantur, hoc ipſo ea omnia Dei dona eſſe teſtantur. Unde idem Auguſtinus Epiſt. 107. apertiſſimè clamat: " Prorsùs non oramus Deum, ſed orare nos „ fingimus, ſi nos ipſos, non illum credimus „ facere quod oramus. Prorsùs non gratias „ Deo agimus, ſed nos agere fingimus, ſi unde „ illi gratias agimus, ipſum facere non puta„ mus. Labia doloſa ſi in hominum quibuſ„ cunque ſermonibus ſint, ſaltem in oratio„ nibus non ſint. Abſit ut quod facere Deum „ rogamus oribus & vocibus noſtris, eum facere negemus cordibus noſtris". Quæ omnia planè conſona ſunt Celeſtiniano iſti oraculo mox adducto, *Legem credendi lex ſtatuit ſupplicandi.*

CII. Eſt præterea in eodem Commentario diligenter attendendum, ac memoriæ imprimendum, magnificum illud teſtimonium ſapientiæ & innocentiæ, quod iidem Patres *Mulieri forti*, id eſt, Eccleſiæ, perhibent, dicentes de eâ: *Nihil perturbatum, nihil inordina-*

W. Auguſt. Epiſt. 119. cap. 19. *tum docuit.* Unde Auguſtinus cùm alicubi dixiſſet, W· Eccleſiam Dei inter multam pa„ leam multaque zizania conſtitutam multa tolerare": continuò ſubdidit in rem præſentem: " Et tamen quæ ſunt contra fidem, vel „ bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit". Si enim quidquam horum approbaret aut faceret, eo ipſo quidpiam perturbatum & inordinatum verbo vel facto ſuo doceret, adeoque à præſenti encomio *Mulieris fortis* excideret. Quid autem verbo doceat & exemplo firmet, ſummariè perſtringit idem Auguſtinus lib. de Moribus Eccleſiæ cap. 30. ita ad ipſam gratulariè exclamans: " Eccleſia Ca„ tholica, mater Chriſtianorum veriſſima, „ non ſolùm ipſum Deum, cujus adeptio vita „ eſt beatiſſima, puriſſimè atque caſtiſſimè co„ lendum prædicas; nullam nobis adorandam „ creaturam inducens, cui ſervire jubeamur; „ & ab illâ incorruptâ & inviolabili æterni„ tate, cui ſoli homo ſubjiciendus eſt, cui ſoli „ rationalis anima cohærendo non miſera eſt, „ excludens omne quod factum eſt, quod ob„ noxium commutationi, quod ſubditum „ tempori; neque confundens quod æterni„ tas, quod veritas, quod denique pax ipſa „ diſtinguit, nec rurſùm ſeparans quod Ma„ jeſtas una conjungit: ſed etiam proximi di„ lectionem atque charitatem ita complecte„ ris, ut variorum morborum, quibus pro „ peccatis ſuis animæ ægrotant, omnis apud „ te medicina præpolleat. Tu pueriliter pue„ ros, fortiter juvenes, quietè ſenes, prout „ cujuſque non corporis tantùm, ſed & animi „ ætas eſt, exerces ac doces. Tu feminas viris „ ſuis non ad explendam libidinem, ſed ad „ propagandam ſobolem, & ad rei familiaris „ ſocietatem, caſtâ & fideli obedientiâ ſubji„ cis. Tu viros conjugibus non ad illuden„ dum imbecilliorem ſexum, ſed ſinceri amo„ ris legibus præficis. Tu parentibus filios li„ berâ quadam ſervitute ſubjungis, parentes „ filiis piâ dominatione præponis. Tu fratri„ bus fratres religionis vinculo firmiore at„ que arctiore quàm ſanguinis nectis. Tu om„ nem generis propinquitatem & affinitatis „ neceſſitudinem, ſervatis naturæ voluntatiſ„ que nexibus, mutuâ charitate conſtringis. „ Tu dominis ſervos non tam conditionis ne„ ceſſitate, quàm officii delectatione doces ad„ hærere. Tu dominos ſervis, ſummi Dei, „ ſcilicet communis domini, conſideratione „ placabiles, & ad conſulendum quàm coër„ cendum propenſiores facis. Tu cives civi„ bus, gentes gentibus, & prorsùs homini„ bus homines, primorum parentum recorda„ tione, non ſocietate tantùm, ſed quâdam „ etiam fraternitate conjungis. Doces Reges „ proſpicere populis, mones populos ſe ſub„ dere Regibus. Quibus honor debeatur, qui„ bus affectus, quibus reverentia, quibus ti„ mor, quibus conſolatio, quibus admonitio, quibus

Vide Greg. lib. 12. Regiſtri Epiſt. 31. ad interrogationem 7.

Digitized by Google

„ quibus cohortatio, quibus diſciplina, quibus „ objurgatio, quibus ſupplicium, ſedulò do-„ ces: oſtendens quemadmodùm & non om-„ nibus omnia, & omnibus charitas, & nulli debeatur injuria". Ut *Mulier fortis* prædicare, docere, oſtendere hæc omnia cum reliquis documentis humanæ vitæ probiter inſtituendæ neceſſariis queat, maximâ ſapientiâ præditam eſſe proculdubiò oportet. Et hanc quidem ſibi affluere ſatis ipſa agnoſcit, cùm ait Sponſo ſuo in Canticis: *In portis noſtris omnia poma, nova & vetera ſervavi tibi, dilecte mi*: X. Hoc „ eſt dicere, inquit Ambroſius, Teneo man-„ data omnia novi & veteris Teſtamenti. „ Sola hoc dicere Eccleſia poteſt: non dicit „ alia congregatio, non dicit Synagoga; nec „ ſecundùm litteram nova tenens, nec ſecun-„ dùm ſpiritum vetera. Non dicit hæreſis Ma-„ nichæa, *vetera ſervavi tibi*, quæ Prophetas non „ ſuſcipit. Meritò *dealbata* cernitur, quæ utriuſ-„ que fulget gratiâ Teſtamenti. Reſpondet ei „ Sponſus, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum*, „ *ut ſigillum ſuper brachium tuum*. Quæ *Nova & vetera ſervaſti mihi*, ſignaculum meum es, ad „ imaginem meam es & ſimilitudinem: fulget „ in te imago juſtitiæ, imago ſapientiæ, imago „ virtutis: & quia imago Dei in corde tuo „ eſt, ſit & in operibus tuis". Nunquid ergo huic congruit *aperire os ſuum ſapientiæ*, *quæ & ipſa ſapientiæ imago* eſt? Sed cùm duplex ſit *os*, & duplex ſimiliter *oris apertio*, dubitaverit fortè quis de quonam *ore*, vel de quânam *oris apertione*, intelligendus ſit præſens verſiculus, an ſcilicet de ore cordis, an de ore corporis: item an de apertione oris quæ fit ad intromittendum, an quæ ad emittendum: nihil enim horum eſſe quod non intelligi iis vocibus queat, Scripturæ ſtylus evincit. Nam de ore corporis, & apertione ejus ad emittendum ſermonem, intelligitur quod ait Matthæus loquens de Chriſto, ſedente in monte coram diſcipulis: *Aperiens os ſuum docebat eos, dicens* &c. Dari ſimiliter os cordis rectè colligit Auguſtinus ex eo quòd cordi in Scripturis divinis crebrò attribuatur locutio, vel dictio, quæ proculdubiò ad os ſpectant: Y. Eſſe quidem „ *os cordis*, ait ipſe, ex hoc jam intelligi po-„ teſt, quòd ubi *locutio* eſt, ibi *os* non abſurdè „ intelligitur: nec rectè diceretur, *Qui loquitur* „ *veritatem in corde ſuo*, niſi & os in corde rectè intelligeretur". Idipſum colligit Fulgentius ex eo, quòd gaudium, proprium utique attributum cordis, attribuatur equidem ori, cùm dicitur: *Repletum eſt gaudio os noſtrum*. Cæterùm quoties alterutro ore loquimur, toties illud ad emittendum verbum aperimus: ad intromittendum verò quidpiam deforis adventans aperiri os, teſtatur Pſaltes, cùm de ſeipſo ait; *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum*. Idipſum quoque claret ex iſtis Dei verbis ad

Cant. 7. 13.
X. Amb. in Pſal. 118. v. 176.
Cant. 1. 5. juxta 70.
Ibid. v. 6.
Prov. 31. 26.
DUBITATIO.
Mat. 5. 2.
Y. Aug. l. de Mendacio c. 16.
Vide l. 15. de Trinit. c. 10.
Pſal 14. 3.
Vide Fulg.
Pſal. 125. 2.
Pſ. 118. 131.

hominem, *Dilata os tuum, & implebo illud*. Ubi Auguſtinus cum pleriſque veteribus conſtanter legit, *Aperi os tuum, & implebo illud*. Quæ loca congruenter intelligi poſſunt tam de ore cordis, quàm de ore corporis.

CIII. Hujus dubitationis deciſioni facem prætendunt Beda & Rabanus in ſuo communi ad præſentem verſiculum Commentario, qui juxta ipſos vulgatam editionem ſecutos ſic ſonat, *Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus*: Commentarius denique illorum Tractatorum ſic: Z. Ad hoc tantùm loquens *os* „ *aperuit*, ut ſapientiam doceret; juxta illud „ Apoſtoli, *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non* „ *procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei*, „ *ut det gratiam audientibus*. Vel certè *os aperuit* „ cordis, ad diſcendam ab ipsâ interiùs Sa-„ pientiâ veritatem, quam alios foras doceret. „ Utrique autem ſenſui, quia utrumque facit „ Eccleſia, concinit apertè quod ſequitur, „ *Et lex clementiæ in linguâ ejus*: illa videlicet, „ ut non ſtatim, more Legis Moyſaicæ, pec-„ cantes puniret; ſed miſericorditer ad pœni-„ tentiæ remedia vocaret. Cujus clementiæ „ exemplum ab ipſo Deo & Salvatore noſtro „ manifeſtè percepit, quùm oblatâ ei pecca-„ trice muliere, *Si quis*, inquit, *ſine peccato eſt*, „ *primus in illam mittat lapidem*: & ſic eam à „ crimine, quod patrarat, ſub conditione am-„ pliùs non peccandi, miſeratus abſolvit". Hinc apertè habemus, poſſe hoc loco indifferenter intelligi *os* corporis, & *os* cordis; & ſimiliter quandam *apertionem* utrique reſpectivè correſpondentem: nimirùm *apertionem* emiſſivam correſpondentem *ori* corporis, & intromiſſivam correſpondentem *ori* cordis. Prior quippe harum importatur iis initialibus commentarii hujus verbis, *Ad hoc tantum loquens os aperuit; ut ſapientiam doceret*: poſterior item iſtis, *Os aperuit cordis, ad diſcendam ab ipsâ interiùs ſapientiâ veritatem*. Ubi in eo quod mox ſubditur, *quam alios foras doceret*, ſatis innuitur inſuper *apertio* emiſſiva *oris* cordis. Sicut enim in priore iſtius ſententiæ parte dicitur Eccleſia aperire os cordis ad diſcendum, hoc eſt, ad intromittendam ſapientiam deſuper infundendam: ita in ſequenti additamento dicitur aperire idem ipſum *os* cordis, ut *alios foras doceat*, hoc eſt, ut ſapientiam priori apertione intromiſſam, poſteriore apertione in aliorum uſum docendo emittat. Qua in re auſcultat monito Proverbiaſtis, qui cùm præmiſiſſet, *Bibe aquam de ciſternâ tuâ, & fluenta putei tui*; ſubdidit eveſtigiò, *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide*. Rectè omninò: nam alibi ſcriptum eſt, *Sapientia abſconſa, & theſaurus inviſus; quæ utilitas in utriſque*? A. Sunt, inquit „ Bernardus, qui ſcire volunt eo tantùm fine, „ ut ſciant, & turpis curioſitas eſt: & ſunt qui „ ſcire volunt ut ſciantur ipſi, & turpis vanitas

Pſal. 80. 11.
Prov. 31. 26.
Z. Beda & Rabanus in caput 31. Prov. v. 26. item Beda l. de Muliere Forti litt. Ibe.
Eph. 4. 29.
Io. 8. 7.
Prov. 5. 15. & 16.
Eccli 20. 32.
A. Bernar. Serm. 36 in Cantica. Vide Hugonem Victor. l. 2 de Clauſtro animæ c. 12.

„ eſt; qui profectò non evadent ſubſannantem „ Satyricum, & ei qui ejuſmodi eſt decantan- „ tem, *Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat* „ *alter:* & ſunt qui ſcire volunt ut ſcientiam „ ſuam vendant, v. g. pro pecuniâ, pro ho- „ noribus; & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt „ quoque qui ſcire volunt ut ædificent, & „ charitas eſt; & item qui ſcire volunt ut „ ædificentur, & prudentia eſt. Horum om- „ nium ſoli ultimi duo non inveniuntur in „ abuſione ſcientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut benè faciant". Ex his duobus ultimis proculdubiò eſt *Mulier fortis*, ſive Eccleſia: quippe quæ ſcire vult ut & ipſa ædificetur, & ut alios ædificet. Volendo autem ſcire, ut ipſa ædificetur; *os ſuum aperit ſapientiæ* in cor intromittendæ: & volendo ſcire, ut alios ædificet; *os ſuum*, primò quidem cordis, ac deinde etiam corporis, *aperit ſapientiæ*, in aliorum eruditionem foras emittendæ. Supereſt duntaxat ediſſerendum, an *os* etiam *corporis aperiat ſapientiæ* intromittendæ. Aperit prorsùs: neque enim minori aviditate inhiat ſapientiæ excipiendæ, quàm auditores Beati Job, de quibus ipſe ait: *Qui me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum: verbis meis addere nihil audebant, & ſuper illos ſtillabat eloquium: expectabant me ſicut pluviam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum.* Crebrò accidit, ut dum auribus quidpiam maximâ attentione auſcultatur, per quandam ſenſuum velut ſympathiam etiam os audientis aperiatur. Unde fit ut quamvis ore nequaquam audiamus, ejus tamen inter audiendum apertio habeatur pro attentiſſimæ auditionis indicio. Unde Pineda ediſſerens illa Jobi verba mox relata, *os ſuum aperiebant:* B Aperire os, inquit, ſæpè eſt ha- „ bitus loquentis, nunc è contrario tacentis, „ ſed deſiderantis, & inhiantis ad rem aliquam „ ſalutarem, ſicut Pſalmo 118. 131. *Os meum* „ *aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandata tua de-* „ *ſiderabam.* Aperto ore hiant famelici, & rem „ aliquam nimiùm ſollicitè expectantes, tum „ etiam & nimiùm attenti ac mente defixi „ in aliquid vel audiendum, vel intelligendum". Nihil itaque vetat, quin hemiſtichium iſtud Salomonicum de Muliere forti, *Os ſuum aperuit ſapientiæ*, intelligatur de *apertione oris* etiam corporalis ad intromittendam ſapientiam: quippe quæ non minori aviditate excipit fluenta ſapientiæ ſibi prædicatæ, quàm Romani quondam milites in prælio Marcomannico præ ſiti deficientes prodigioſam pluviam à Chriſtianis impetratam; quos Dio Caſſius memorat, C Cum primùm pluvia ca- „ deret, omnes in cælum ſuſpexiſſe, eamque „ in ora recepiſſe, deinde ſcutis galeiſque lar- „ giter ſorbſiſſe, & equis demùm ad bibendum dediſſe". Antiquus ſapientiæ cæleſtis præco Moyſes, optans ſuam prædicationem ab auditoribus inhianter excipi, *Concreſcat*, inquit, *ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.* Eccleſiaſticus quoque de præcone Sapientiæ loquens: *Si Dominus magnus voluerit*, inquit, *ſpiritu intelligentiæ replebit illum: & ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ.* Ipſa item increata Sapientia, cujus participatio quædam eſt omnis ſapientia creata, prædicitur à Pſalmographo, *Deſcenſura ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Hæc igitur increata & ſupereſſentialis Sapientia etiam priuſquam in uterum virginis, *Sicut pluvia in vellus*, deſcendiſſet, *aquâ ſapientiæ ſalutaris* Eccleſiam illius temporis *potavit:* poſtquam denique deſcendiſſet, *Legem clementiæ in lingua eius* poſuit. Quænam porrò ſit iſta *Lex clementiæ*, ex Bedæ & Rabani commentario mox relato datur intelligi: Lex nimirùm Euangelica, quæ, ut ex Proſpero § 73. retulimus, *Multiplicando clementiam ſuſtulit pœnam: ut peccatum non ulciſcendo plecteret, ſed remittendo deleret.* Unde non incongruè quis dixerit, Salomonem præſenti verſiculo attribuere accuratam utriuſque Teſtamenti peritiam *Mulieri forti*, ſive Eccleſiæ: ut quæ *os ſuum aperuerit ſapientiæ* illi, de qua ſcriptum eſt, *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit*; ac præterea *Legem clementiæ in linguâ* portarit, hoc eſt, Euangelicam legem clementiâ redundantem promptè calluerit: atque ita *Sit ſimilis homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera.*

Vide Perſium Sat. 1.

Job 29. 21. & ſeqq.

Vide Arboreum in caput 31. Proverb. v. 26.

B. Pineda in caput 29. Job v. 23. Vide Genebrard. in Pſal. 118. v. 131.

C. Dio Caſſius lib. 71.

Deut. 32. 2.

Eccli. 39. 8. & 9.

Pſal. 71. 6.

Eccli. 15. 3.

Prov. 31. 26.

Proſper ſuprà §. 73.

Eccli. 39. 1.

Matt. 13. 52.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

Decimumoctavum ejuſdem poëmatis verſiculum inchoat Hebraica littera Zade, *aliis* Zadic; *quam Hieronymus interpretatur* Juſtitiam, *Ambroſius* Conſolationem, *Arboreus inſuper* Triſtitiam, Regionem, Venerationem, *Iſaacus* Venationem, *Caninius* Hamum: *quæ omnes interpretationes ſingulatim adaptantur Eccleſiæ; cui Dominus ait*, Sponſabo te mihi in ſempiternum: *utique* in juſtitia & judicio, *atque adeo* in fide, *quæ juſtitiæ baſis eſt. Sicut abundant paſſiones Eccleſiam contriſtantes, ſic & conſolationes eandem lætificantes. Expenditur quod ſcriptum eſt*, Calix in manu Domini, vini meri, plenus miſto. *Quatenus Eccleſia ſit una* Regio, *licèt per omnes diſperſa regiones? De regione umbræ mortis, & regione umbræ vitæ. Eccleſia* regio vivorum, *&* terra ſanctorum, *in qua qui iniqua geſſerit, gloriam Domini non videbit. Nec ambigi poteſt quin eidem congruat venerationis tam activæ quam paſſivæ elogium, ut quæ gerat religionis antiſtitium. Cùm eidem quoque competat venationis & piſcationis exercitium, ratio aſſignatur cur hamo non præmittat, ſed ſubſequenter adjungat venabulum.*

CIV. Litteram *Phe* in Hebraico Alphabeto proximè ſequitur littera *Zade*, ſive, ut alii legunt *Zadic*, decimum octavum verſiculum Salomonici carminis inchoans. Hæc porrò littera, juxta Hieronymum §. 48. relatum, interpretatur *Iuſtitia*: quæ interpretatio placuit etiam Bedæ & Caſſiodoro in Pſal. 118. Octonario 18. necnon Genebrardo ibidem, & Euſebio apud ipſum. Juxta Ambroſium verò ibidem interpretatur *Conſolatio*. Arboreus verò omiſſâ harum priore, poſteriorem amplectitur, additis aliis tribus interpretationibus, quæ ſunt, *Regio*, *Triſtitia*, *Veneratio*. Caninius denique ſextam addit, quâ interpretatur, *Hamus*. Quæ quidem univerſæ interpretationes ſatis congruenter aptantur *Mulieri forti*, ſive Eccleſiæ, prout patet diſcurrendo per ſingulas. Prima etenim, quæ eſt *Iuſtitia*, adeò congruit Eccleſiæ, ut in dote ejus numeretur quâ deſponſata eſt viro ſuo,
Oſé. 2. 19. cujus ad ipſam vox eſt: *Sponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio*. Ubi ne quis putaret hanc dotem fore tranſitoriam, aut tempore abſumendam, præmiſerat ipſe ibidem ad eandem,
Ibid. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*. Cùm ergo ſponſus hicîne ad momentum quidem adhærere dignetur ſponſæ, dote illâ deſtitutæ, conſequens profectò eſt ut quæ *in ſempiternum* ei ſponſata manet, in ſempiternum juſtitiâ ſplendeat. Quid eſt enim *iuſtitia*, niſi ſanctitas? At verò profitemur omnes in ſymbolo fidei, *credere nos ſanctam Eccleſiam*: ut proinde Bernardus magnâ cum fiducia aſſeveret: D. Nemo „ſanè ambigit ſanctam eſſe ſponſam Sancti Sanctorum". Quiſquis ergo de hujus ſponſæ ſanctitate ambigit, nequaquam *ſanè*, ſed inſanè ambigit. Proinde cùm ſanctitas abſque juſtitiâ eſſe nequeat, profectò quiſquis eidem ſponſæ juſtitiam deeſſe unquam contendit, Apoſtolici ſymboli profeſſioni contradicit: ac per hoc dementiſſimè inſanit. Contendit porrò juſtitiam ei deeſſe, quiſquis calumniatur eam in fide defeciſſe; cùm ſcriptum ſit, *Iuſtus ex fide vivit*. Quod probè ſciens Eccleſiæ ſponſus, poſtquam dixiſſet ei, *Sponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio*; paulò infrà ſubdidit, *Sponſabo te mihi in fide*. Ubi ſubintelligi cenſenda eſt illa clauſula ſuperiùs expreſſa, *in ſempiternum*: ut quemadmodùm *deſponſatio in iuſtitiâ*, ita & *in fide*, jugiter perſeveret, nunquam intercidat. Sed cur poſt ſponſationem *in iuſtitiâ*, additum eſt, *& iudicio*? Cur putamus, niſi quia Eccleſia ſicut in acceptâ juſtitiâ conſtanter perſeverat, ita in decidendis fidei ac morum controverſiis inerranter judicat? Hanc quippe inerrantiæ prærogativam in eâ agnoſcit Apoſtolus, dum eam vocat *Columnam & firmamentum veritatis*. Noverat enim falli non potuiſſe nec fallere qui de ipsâ pridem dixerat, *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*. Ubi Iſidorus Peluſiota: E. Per *inferi portas*, inquit, „divinus ſermo hominum cœtus atque hæreſum blaſphemias intelligit: quibus omnibus obſiſtens Dei Eccleſia, eas quidem „frangit & expugnat, ab iis autem vinci non poteſt".

D. Bernard. Serm. 5. in Dedicatione Eccleſiæ. Vide Maximum Taur. Homil. de Traditione ſymboli.

Rom. 1. 17.

Oſé. 2. 20.

1. Tim 3. 15.

Matt. 16. 18.

E. Iſidorus Peluſ lib 1. Epiſt 238. Vide lib 3. Epiſt. 311.

Digitized by Google

poteſt. Qui rurſùs lib. 2. Epiſt. 246. " Quòd „ Sanctorum cœtus, inquit, ex rectâ fide „ atque optima vivendi ratione collectus, Ec„ cleſia ſit, inter eos conſtat, qui ſapientiam deguſtarunt ". Ex quo conſequens eſt, eos qui Eccleſiæ fidem aut vivendi rationem oppugnant, ne guſtum quidem ſapientiæ percepiſſe. Illius nimirùm ſapientiæ, de qua ſcriptum eſt, *Quæ deſursùm eſt ſapientia primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica* &c. [F.] Contra ra„ tionem, inquit Auguſtinus, nemo ſobrius, „ contra Scripturas nemo Chriſtianus, contra Eccleſiam nemo pacificus ſenſerit ". Nemo proinde eâ ſapientiâ quæ deſursùm eſt ſapit, qui contra Eccleſiam ſentit: quoniam ſapientia iſta non ſolùm *pudica* eſt, ſed & *pacifica*. Porrò ſi *pacifica*, proculdubiò pacificum reddit habentem. Ac per hoc *ſi contra Eccleſiam nemo pacificus ſentit*, nemo contra Eccleſiam ſentiens eâ ſapientiâ quæ deſursùm eſt ſapit. Quid ergo, nullamne ſapientiam talis habet? Habet prorsùs, ſed eam quæ zelum amarum & contentiones parit: de qua ibidem præmiſſum habetur, *Quòd ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris; nolite gloriari, & mendaces eſſe adversùs veritatem: non eſt iſta ſapientia deſursùm deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica*. Ubi per hoc quod ait, *Diabolica*, denotat hujus terrenæ animaliſque ſapientiæ authorem atque inſpiratorem: diabolum ſcilicet, ſerpentem antiquum, cui Deus olim poſt Evæ ſeductionem ait, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius*: ubi mox ſubditur unde nos conſolemur, *Ipſa conteret caput tuum*. Intereà tamen non ceſſat ille terrenam ſapientiam ſuis inſpirare diſcipulis, quæ parit in eis zelum amarum, pacis Eccleſiæ turbativum: [G.] Hujus arte Baſilides, inquit Leo „ Papa, hujus Marcion callet ingenio, hoc „ duce agitur Sabellius, hoc præcipitatur rec„ tore Photinus, hujus poteſtati famulatur „ Arius, hujus ſpiritui ſervit Eunomius. Tota „ denique beſtiarum talium cohors hoc præſi„ de ab Eccleſiæ unitate diſceſſit, hoc magiſtro à veritate deſcivit".

Iac. 3. 17.
F. Aug l. 4. de Trinit. cap. 6.
Ibid. v. 14. & 15.
Gen. 3. 15.
Ibid.
G. Leo Serm. 5. de Jejunio 10. Menſis.

CV. Hæc nunc ſufficere videntur pro aptandâ Eccleſiæ litterâ *Zade*, juxta eam interpretationem quâ denotat *juſtitiam*; quam oſtendimus ex Propheta unam eſſe è dotibus in quibus cæleſtis Sponſus *Mulierem fortem* ſibi deſponſavit, non tranſitoriè utique vel repudiabiliter, ſed *in ſempiternum*, adeòque indiſſolubiliter. Cujus quidem dotis occaſione duas alias ab eodem Propheta connumeratas perpendimus, *fidem* ſcilicet atque *judicium*: quarum prior ei præſtat, ut rectè ipſa credat; poſterior, ut pretioſum à vili inerranter diſcernat, fideique ac morum Canones certitudinaliter ſanciat: ut proinde *qui eam non audierit, tanquam ethnicus & publicanus habendus ſit*;

Mat. 18, 17.

nec ſolùm qui eam verbo vel ſcripto docentem non audierit, ſed & qui contra ritus ab ea generaliter frequentatos diſputaverit, inſolentiſſimè inſaniat: juxta illud Auguſtini de hujuſmodi ritibus differentis. [H.] Si quid ho„ rum tota per orbem frequentat Eccleſia, quin „ ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt ". Alibi quoque idem Auguſtinus hanc ipſam Eccleſiam affirmat [I.] Culmen au„ thoritatis obtinuiſſe; cui nolle primas dare, „ vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ ". His ergo de prima Hebraicæ illius litteræ interpretatione præmiſſis, veniamus ad ſecundam, quâ interpretatur *conſolatio*; eique propter doctrinæ affinitatem jungamus quartam, quæ ſonat *triſtitiam*: hæc enim conſolatione ſubſequente indiget, & conſolatio eam præcedentem lenit. De ambarum in Eccleſiâ partim alternatione, partim etiam permixtione, ita tractat Auguſtinus, ut nemini ambiguum relinquat, utramque in ipſam aptiſſimè quadrare: [K.] Ini„ mici omnes Eccleſiæ, inquiens, quoli„ bet errore cæcentur, vel malitiâ depraven„ tur, ſi accipiant poteſtatem corporaliter affli„ gendi, exercent ejus patientiam: ſi tantum„ modò malè ſentiendo adverſentur, exercent „ ejus ſapientiam; ut autem etiam inimici di„ ligantur, exercent ejus benevolentiam, aut „ etiam beneficentiam; ſive ſuaſibili doctrinâ „ cum eis agatur, ſive terribili diſciplinâ. Ac „ per hoc diabolus princeps impiæ civitatis, „ adversùs peregrinantem in hoc Mundo ci„ vitatem Dei vaſa propria commovendo, ni„ hil ei nocere permittitur: cui proculdubiò „ & rebus proſperis conſolatio, ut non fran„ gatur adverſis; & rebus adverſis exercitatio, „ ut non corrumpatur proſperis, per divinam „ providentiam procuratur: atque ita tempe„ ratur utrumque ex alterutro, ut in Pſalmo il„ lam vocem non aliunde agnoſcamus exortam, „ *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde* „ *meo, conſolationes tuæ iucundaverunt animam* „ *meam*. Hinc eſt & illud Apoſtoli, *Spe gau*„ *dentes, in tribulatione patientes*. Nam & id quod „ ait idem Doctor, *Quicunque volunt in Chriſto* „ *piè vivere, perſecutionem patientur*, nullis putan„ dum eſt deeſſe temporibus; quia & cùm „ ab iis qui foris ſunt non ſævientibus vide„ tur eſſe tranquillitas, & reverà eſt, pluri„ mumque conſolationis adfert, maximè infir„ mis: non tamen deſunt, imò multi ſunt in„ tùs, qui corda piè viventium ſuis perditis „ moribus cruciant: quoniam per eos blaſphe„ matur Chriſtianum & Catholicum nomen; „ quod quantò charius eſt eis qui volunt piè vi„ vere in Chriſto, tantò magis dolent, quod „ per malos intùs poſitos fit, ut minùs quàm „ piorum mentes deſiderant diligatur. Ipſi „ quoque hæretici, cùm Chriſtianum cogitantur

H. Auguſt. Epiſt. 118. c. 5.
I. Aug. l. de Utilitate credendi cap. 17.
K. Aug. l. 18. de Civit. c. 51.
Pſal. 93 19.
Rom. 12. 12.
2. Tim. 3. 12. Vide Leonẽ Serm. 9. de Quadrageſima c. 1. & Serm. 18. de Paſſione 2. 5. cap. 2. & Sermone 19. & Serm. de Machab. c. 2. & Epiſt. 91. ad Ruſticum Narbon.

Digitized by Google

,, tantur habere nomen, & Sacramenta Chri-
,, ſtiana, & Scripturas, & profeſſionem, ma-
,, gnum dolorem faciunt in cordibus piorum:
,, quia & multi volentes eſſe Chriſtiani, pro-
,, pter eorum diſſenſiones hæſitare coguntur;
,, & multi maledici etiam in his inveniunt
,, materiam blaſphemandi Chriſtianum no-
,, men, quia & ipſi quoquo modo *Chriſtiani*
,, appellantur. His atque hujuſmodi pravis
2. Tim. 3. 12. ,, moribus & erroribus hominum *Perſecutionem*
,, *patiuntur qui volunt in Chriſto pie vivere*, etiam
,, nullo infeſtante neque vexante corpus illo-
,, rum: patiuntur quippe hanc perſecutionem
,, non in corporibus, ſed in cordibus; unde
Pſal. 93. 19. ,, illa vox eſt, *Secundùm multitudinem dolorum*
,, *meorum in corde meo:* non enim ait, in corpo-
,, re meo, ſed *in corde.* Rursùs autem quo-
,, niam cogitantur immutabilia divina pro-
2. Tim. 2. 19. ,, miſſa, & quod ait Apoſtolus, *Novit Dominus*
Rom. 8. 29. ,, *qui ſunt ejus*, nimirùm *quos præſcivit & prædeſti-*
Joan. 17. 12. ,, *navit conformes fieri imaginis filii ſui, ex quibus*
,, *perire nullus poteſt:* ideò ſequitur in Pſalmo,
Pſal. 93. 19. ,, *Conſolationes tuæ jucundaverunt animam meam.*
,, Dolor autem ipſe qui fit in cordibus pio-
,, rum, quos perſequuntur mores Chriſtiano-
,, rum malorum, ſive falſorum, prodeſt do-
,, lentibus; quoniam de charitate deſcendit,
,, quâ eos perire nolunt, nec impedire ſalutem
,, aliorum. Denique magnæ conſolationes
,, fiunt etiam de correctionibus eorum, quæ
,, piorum animas tantâ jucunditate perfun-
,, dunt, quantis doloribus de ſuâ perditione
,, cruciaverant. Sed in hoc ſæculo, in his die-
,, bus malis, non ſolùm à tempore corporalis
,, præſentiæ Chriſti, & Apoſtolorum ejus;
,, ſed ab ipſo Abel, quem primum juſtum im-
,, pius frater occidit, & deinceps uſque ad hu-
,, jus ſæculi finem, inter perſecutiones Mun-
,, di, & conſolationes Dei, peregrinando pro-
currit Eccleſia". Huic Auguſtini loco, qui
alioqui ſufficere præſenti noſtro ſcopo videri
poſſet, addo ſimilem quidem ſenſu ſed verbis
ſuccinctiorem Chryſoſtomi locum, his verbis
L. Chryſoſt. Homil. 8. in Matthæum. digeſtum: L. Miſericors Deus mœſtis rebus
,, quædam etiam jucunda permiſcet. Quod
,, certè in Sanctis omnibus facit, quos neque
,, tribulationes neque jucunditates ſinit ha-
,, bere continuas; ſed tum ex adverſis, tum
,, ex proſperis, juſtorum vitam quaſi admira-
,, bili varietate contexit". Huc refert nonnemo
Pſal. 74. 9. iſtud Pſalmographi, *Calix in manu Domini vini*
meri plenus miſto, & inclinavit ex hoc in hoc:
M. Richard. Victorin. in Pſal. 74. ,, M. De hoc miſto, ait ille, homo potatur;
,, nam ab initio uſque ad finem ſæculi ſors ejus
,, per proſpera & adverſa aſſiduè variatur: quia
,, *calix in manu Domini plenus mixto.* Quantum-
,, cunque quis hìc floreat, neceſſe eſt ut ali-
,, quam amaritudinem ſentiat, quia *Calix in*
,, *manu Domini plenus mixto:* quantumcunque
,, item quis in hac vitâ dejicitur, omnino ali-
,, quâ quandoque conſolatione relevatur; quia
,, *Calix in manu Domini plenus mixto.* Si igitur
,, in omnibus, & uſque in finem ſæculi, hæc
,, viciſſitudinum alternatio cuſtoditur, mani-
,, feſtum eſt quàm rectè *Calix Domini mixto ple-*
,, *nus* eſſe perhibeatur. Si igitur perturbaris,
,, noli deficere; ſi conſolaris, noli ſecurus eſſe:
,, quia *inclinavit ex hoc in hoc.* In die malorum
,, memento bonorum, & in die bonorum me-
,, mor ſis malorum: quia *inclinavit ex hoc in*
hoc". Plura reperiet Lector apud ipſum autho-
rem ibidem, quæ legiſſe non pœnitebit.

CVI. Congruit ergo Eccleſiæ *conſolatio*,
congruit quoque *triſtitia* ſive *aſſlictio*. Sed quæri
poteſt an paſſivè duntaxat, an etiam activè?
Reſpondeo, utroque modo. Nam quòd ipſa
triſtitiam patiatur, & alternatione conſolatio-
nis levetur, proximo jam §. viſum eſt: quòd
verò etiam ipſa alios contriſtet, atque item
triſtibus conſolationem impertiat; non minùs
eſt certum. Quid enim aliud quàm triſtitiam
incutit, quando peccatoribus imminentem ſe-
veriſſimi exactoris ultionem, ni reſipiſcant,
denuntiat? *Etſi contriſtavi vos in Epiſtola*, ait 2. Cor. 7. 8. & ſeqq.
Apoſtolus Corinthiis, *non me pœnitet: etſi pœ-*
niteret, videns quòd Epiſtola illa, etſi ad horam, vos
contriſtavit; nunc gaudeo: non quia contriſtati eſtis,
ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati
enim eſtis ſecundùm Deum, ut in nullo detrimentum
patiamini ex nobis. Quæ enim ſecundùm Deum triſti-
tia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.
Hâc itaque triſtitiâ, quæ ſecundùm Deum eſt,
Eccleſia non obiter aut perfunctoriè, ſed ex
propoſito ac ſeriò peccatores contriſtat. Rur-
ſùs quoque ne hos ipſos exceſſiva triſtitia ab-
ſorbeat, levamen conſolationis ſubingerit, &
inter opera miſericordiæ ſpiritalis hanc ipſam
mœſtorum conſolationem recenſet, fidelibuſque
exercendam inculcat: ut quemadmodùm ipſa
à Deo conſolationem in ſuis preſſuris accipit;
ſic etiam aliis in preſſurâ poſitis eandem im-
pertiat; recolens illud Apoſtoli: *Deus totius* 2. Cor. 1. 3. & 4.
conſolationis conſolatur nos in omni tribulatione no-
ſtrâ, ut poſſimus & ipſi conſolari eos qui in omni
preſſurâ ſunt. Quibus præmiſſis, tranſeamus ad
reliquas interpretationes litteræ *Zade*, ſive
Zadi; quarum una eſt, quâ denotat *Regionem*,
quæ definiri poteſt, Tractus ſeu diſtrictus, ab
hominibus unâ lege ſub uno regimine utenti-
bus inhabitatus. Quanquam autem Eccleſia,
pro ſtatu ſignanter novi Teſtamenti, *De regio-* Pſal. 106. 2. & 3.
nibus congregata ſit, à ſolis ortu & occaſu, ab
aquilone & mari: rectè tamen *Regio* ſingulariter
appellatur, quia incolis unâ lege ſub uno regi-
mine utentibus tota inhabitatur. Et quid mi-
remur eam dici unam *Regionem*, cùm reperia-
mus eam ſingulariter dici etiam *Domum*? Ait
quippe Apoſtolus Timotheo: *Ut ſcias quomodo* 1. Tim. 3. 15.
oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia
Dei vivi. In quem locum Ambroſiaſter, qui

Digitized by Google

N. Ambroſ. in caput 3. prioris ad Timoth. v. 15. Damaſo Papæ ſynchronus extitit: N Cùm „ totus Mundus, inquit, Dei ſit, Eccleſia „ tamen *domus ejus* dicitur; cujus hodie rector eſt Damaſus". Huic ipſi Damaſo ſcribens ex Oriente Hieronymus: O. Ego, inquit, nul- „ lum primum niſi Chriſtum ſequens, Beati- „ tudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, com- „ munione conſocior: ſuper illam petram ædi- „ ficatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra „ hanc DOMUM agnum comederit, profa- nus eſt". Si mirum tibi videtur quòd tanta Eccleſiæ per orbem diffuſæ amplitudo ad unius domus anguſtias coarctetur, quid di- cturus es Martyri Cypriano, qui ultrà pro- greſſus, uni eam cubiculo aſtringit? P. Adul- „ terari, ait ipſe, non poteſt Sponſa Chriſti, „ incorrupta eſt, & pudica: unam domum „ novit, unius CUBICULI ſanctitatem caſto pudore cuſtodit". Quamvis enim pluri- mi ſint numero, & diſſiti locis, qui Eccle- ſiam conſtant, tamen morum conformitas fa- cit ut unâ domo vel etiam uno cubiculo ſint contenti; id eis præſtante illo, *Qui inhabitare facit unius moris in domo.* Ubi pro eo quòd no- ſtra editio vulgata habet, *unius moris*, complu- res veteres legunt, *unanimes*: ſignanter Cypria- nus, qui libro mox citato ſubdit inferiùs: „ Sacramentum Paſchæ nihil aliud in Exodi „ lege continet, quàm ut agnus, qui in figurâ „ Chriſti occiditur, in domo unâ edatur. „ Loquitur Deus, dicens: *In domo una come- „ detur, non ejicietis de domo carnes foras.* Caro „ Chriſti & Sanctum Domini ejici foras non „ poteſt, nec alia ulla credentibus præter unam „ Eccleſiam domus eſt. Hanc domum, hoc „ unanimitatis hoſpitium deſignat & denun- „ tiat Spiritus Sanctus in Pſalmis, dicens: „ *Deus qui inhabitare facit unanimes in domo.* In „ domo Dei, in Eccleſiâ Chriſti, *unanimes* „ habitant, concordes & ſimplices perſeve- rant". Propter hanc unanimitatis compagem univerſæ regiones per quas Eccleſiæ membra diffunduntur, una *regio* rectè dicuntur. Pro- miſerat Deus per Ezechiëlem ſe *Facturum eos in gentem unam*, qui priùs diſperſi fuerant per varias nationes: & paulò pòſt ſubdidit, *Paſtor unus erit omnium eorum.* Quod ipſum virtute ſuæ paſſionis adimplendum fore declaravit Chriſtus, quando, exiſtente adhuc penes ſo- los Judæos Eccleſiâ, dicebat: *Animam meam pono pro ovibus meis: & alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus paſtor.* Huc quoque ſpectat quòd cùm Caiphas Judæorum tunc Pontifex dixiſſet *Expedire ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pe- reat*; divinus Euangeliſta myſterium notans ſubdiderit continuò: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit; ſed, cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetavit, quòd Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, con- gregaret in unum:* non utique in arctiorem lo- cum eos redigendo, ſed fidei ac religionis unitatem, cum mentium unanimitate tri- buendo: ut ſint velut unius regionis incolæ, unius domus inhabitatores, unius cubiculi contubernales, unius ovilis congregales. Pa- tet igitur quàm non incongruenter Eccleſiæ adaptetur littera, *Zade*, ſive *Zadi*, quatenùs ea interpretatur *Regio.* Abſit enim ut minor ſit unitas fidelium in bono, quàm infidelium in malo. Et tamen hi omnes, quantumvis di- verſis erroribus cæcati, unius regionis incolæ dicuntur à Prophetâ, dum Chriſtum lucem gentium adventurum prænuntians, & præ- teritùm pro futuro prophetaliter uſurpans: *Populus*, inquit, *qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mor- tis, lux orta eſt eis.* Non ait, in regionibus plu- raliter; ſed ſingulariter, *in regione umbræ mor- tis*, hoc eſt, in ditione illius qui dicitur *Rector tenebrarum*, & *Nomen illi Mors*: cujus umbræ congruenter opponitur umbra vitæ, hoc eſt, umbra ejus qui ait, *Ego ſum via, & veritas, & vita.* De qua ejus umbrâ ei aiebat olim ex fi- delium perſonâ Hieremias, *In umbrâ tuâ vive- mus in gentibus*: & Sponſa ſub Eccleſiæ figurâ in canticis, *Sub umbrâ illius, quem deſiderave- ram, ſedi.* Sedet proinde Eccleſia ſub umbrâ Chriſti, quatenùs quieſcit in fide Chriſti, quæ propter obſcuritatem *umbra* dicitur in compa- ratione futuræ claritatis, in futurâ vitâ expe- ctatæ. Cæterùm quia fides eſt baſis juſtitiæ fidelium, ſicut ſcriptum eſt, *Iuſtus ex fide vivit*: idcircò regio iſta umbræ vitæ vocatur etiam *regio vivorum*, dicente Pſalmographo: *Placebo Domino in regione vivorum*, hoc eſt, placebo Deo in Eccleſiâ hìc per fidem peregrinante, ut per- venire valeam ad Eccleſiam in ſpecie decoris triumphantem. Ubi iterum notandum, Pſal- mographum non dicere pluraliter, in regio- nibus vivorum; ſed ſingulariter, *in regione vi- vorum.* Quæ quidem *regio vivorum*, apud alium Prophetam dicta eſt etiam ſingulariter *Terra Sanctorum*, cùm de quodam improbo intra Ec- cleſiam delinquente dicitur: *In terrâ Sanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini.*

O. Hieron. Epiſt. 57. — P. Cyprian. l. de unitate Eccleſiæ. — Pſal. 67. 7. — Exod. 12. 46. — Ezech. 37. 22. — Ibid. v. 24. — Ioan. 10. 15. & 16. — Ioan. 11. 50. — Ibid. v. 51. & 52. — Iſa. 9. 2. — Ephes. 6. 12. — Apoc. 6. 8. — Ioan. 14. 6. — Thren. 4. 20. — Cant. 2. 3. — Rom. 1. 17. — Pſal. 114. 9. — Iſa. 26. 10.

CVII. Binæ adhuc ſuperſunt hujus litte- ræ interpretationes; una quâ ſignificat *vene- rationem*, altera quâ *hamum.* Ad quarum pri- mam quod attinet, dubitari omninò non po- teſt, quin *Mulieri forti*, id eſt, Eccleſiæ, con- veniat *veneratio*; idque tam activè, quàm paſſi- vè ſumpta. Ipſa eſt enim inviolatæ religionis Antiſtes, quæ Deo ſupremam latriæ venera- tionem, & Sanctis ſive Angelis ſive homini- bus, tanquam Dei amicis ac ſuis apud ipſum patronis, condecentem Duliæ cultum ritè impendit. Ipſa item eſt, cui tanquam ſpirituali matri ac nutrici omnes probi filii ſui ac filiæ filialem

filialem reverentiam ſtudioſè pariter & devotè exhibent: prout inferiùs patebit uberiùs, cùm ad iſtum Salomonici carminis verſiculum fuerit perventum, *Surrexerunt filij ejus, & beatiſſimam prædicaverunt; vir ejus, & laudavit eam.* Neque enim vir ejus laudaret eam, ſi in exhibendo ſibi aut ſuis Sanctis cultum, reſpectivè debitum, irreligioſam aut ſuperſtitioſam deprehenderet eam: neque filii eam prædicarent beatiſſimam, niſi judicarent materuali veneratione digniſſimam. Interim verò monendus eſt Lector, præſentem hanc litteram, *Zade*, ab Iſaaco apud Del-Rium in caput 1. Threnorum v. 18. interpretari non **venerationem**, ut eſt apud Arboreum ſuprà, ſed **venationem**; niſi fortè apud alterutrum error irrepſerit typographicus: quo ſecluſo poterit hæc cenſeri ſeptima iſtius litteræ interpretatio, ſed quæ in reipsâ non multùm diſcrepat ab interpretatione ſexta, quæ eſt Caninii, & ſonat *hamum*, quo denotatur piſcatio; cui affinis quodammodò eſt venatio: altera namque exercetur pro capturâ animalium in aquis degentium, altera pro capturâ animalium in terrâ morantium, aut in aëre volantium.

Prov. 31. 28.

Quamvis autem nonnulli Patres corporalem venationem improbare, atque ab Eccleſia alienare videantur; ſpiritalem tamen venationem, uti & piſcationem, eidem magnoperè congruere non inficiantur, ſed planè teſtantur. Quibus patrocinari videtur Deus ipſe, cùm per Prophetam ait de diſperſis quos colligere ſtatuerat: *Ecce ego mittam piſcatores multos, & piſcabuntur eos; & poſt hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.* Et quidem de piſcatione ſpiritali ſecuros fecit nos Chriſtus, qui primos vocans Apoſtolos ad ſui ſequelam: *Venite poſt me*, inquit, *& faciam vos fieri piſcatores hominum.* De venatione item ait Ambroſius: Q. Reperiuntur in montibus & „ in collibus venatores Domini, qui inveſtigant eos qui capiuntur ad vitam: ſic enim „ dixit per Hieremiam Deus, *Ecce mitto multos* „ *piſcatores, & multos venatores; & venabuntur* „ *eos ſuper omnem montem, & ſuper omnem collem.* „ Ibi ergo populus Dei quæratur, & inveniatur in Petri & in Pauli doctrinâ, gratiâ, „ diſciplinâ: ut non in convalle ſint, ubi fletus; ſed in montibus, *à quibus unumquemque Chriſtus illuminat*". Mirabitur fortè quis cur Deus ſuprà apud Hieremiam dixerit miſſurum ſe venatores *poſt* piſcatores, & non ſimul, vel ante eos? Vidit Auguſtinus moveri poſſe hoc ſcrupulo quoſdam minùs eruditos, minùſve attentos: & ideò præoccupans ait: R. Piſcatores fuerant Apoſtoli, & Dominus dixit eis, *Faciam vos piſcatores hominum:* Per „ Prophetam autem dicitur, quòd *Deus primò* „ *piſcatores erat miſſurus, poſteà venatores.* Primò „ piſcatores miſit, poſteà venatores mittit. „ Quare piſcatores? Quare venatores? Quia „ de abyſſo & profundo maris ſuperſtitionis „ idololatriæ piſcati ſunt credentes retibus fidei. Venatores autem quò miſſi ſunt? Cùm „ illi vagarentur per montes & colles, id eſt, „ per ſuperbias hominum, per tumores terrarum: mons unus *Donatus*, & alius mons „ *Arius*, alter mons *Photinus*, alter mons *Novatus*; per iſtos montes errabant, venatoribus „ indigebat error ipſorum: ideò & diſtributa „ ſunt officia piſcatorum, & venatorum; ne „ fortè iſti dicant nobis, *Quare Apoſtoli neminem* „ *coëgerunt, neminem impulerunt?* Qui piſcator „ eſt, retia mittit in mare, quod incurrerit trahit. Venator autem ſylvas cingit, ſentes excutit, terroribus undique multiplicatis cogit „ in retia. Ne hàc eat, ne illàc eat: inde occurre, inde cæde, inde terre; non exeat, non effugiat". Hinc non ſolùm habemus congruere Eccleſiæ *hamum*, ſed & *venabulum*; illum nimirùm ad *piſcandum*, iſtud ad *venandum*: piſcationem ipſa exercet circa eos qui nunquam intùs fuerant, ut ſuâ ſponte accedentes, & hamum deglutientes, de mari ſuperſtitionum extrahantur, & in domum religionis introducantur: venationem autem circa eos exercet, qui cùm intùs jam fuiſſent, foras per hæreſim vel apoſtaſiam excurrerunt; ut redire compellantur: " Unde & ipſe Dominus, ait idem Au- „ guſtinus Epiſt. 50. ad magnam cœnam ſuam „ priùs *adduci* jubet convivas, poſteà *cogi.* Nam „ cùm ei ſervi ſui reſpondiſſent, *Domine, factum* „ *eſt ut juſſiſti & adhuc eſt locus: Exite*, inquit, *in* „ *vias & ſepes, & quoſcunque inveneritis, cogite intrare.* In illis ergo qui leniter primò *adducti* ſunt, „ completa eſt prior obedientia: in iis autem qui *coguntur*, inobedientia coërcetur". Cui doctrinæ inſiſtens Angelicus Doctor, communiter in Scholis receptus: S. Infidelium, inquit, „ quidam ſunt, qui nunquam ſuſceperunt fidem, „ ſicut Gentiles & Judæi: & tales nullo modo „ ſunt ad fidem compellendi ut ipſi credant, quia „ credere voluntatis eſt. —Alii verò ſunt infideles, qui quandoque fidem ſuſceperunt, & „ eam profitentur, ſicut hæretici & quicunque „ apoſtatæ: & tales ſunt etiam corporaliter „ compellendi, ut impleant quod promiſerant, & teneant quod ſemel ſuſceperunt". Et rurſùs ibidem ad 3." Sicut vovere, inquit, eſt voluntatis, reddere autem neceſſitatis: ita accipere „ fidem eſt voluntatis, ſed tenere eam acceptam „ eſt neceſſitatis; & ideò hæretici ſunt compellendi ut fidem teneant". Ad compellendum igitur hujuſmodi excurſores Eccleſia rectè exercet venationem, utens venabulo coërcitionis: ad introducendum verò extrarios ritè exercet piſcationem, utens hamo illectionis. Cæterùm

Vide Ambr. in Pſal. 118. Octon. 8. & Aug. in Pſal. 103. & Ioan. Sariſb. l. 1. Polycrat. c. 4. & Petr. Bleſenſem Epiſt. 56.

Hier. 16. 16.

Mat. 4. 19.

Q Ambr. in Pſal. 118. Octon. 6. Vide lib. 6. Hexam. c. 8. & Baſilium Homil. 3. in illud. Attende tibi ipſi.

Pſal. 75. 5.

SCRUPULUS.

EXCUTITUR.

R Auguſt. Tract. de Utilitate jejunii c. 9.

Vide Iſidor. lib. de Nativit. Domini cap. 55.

Vide Aug. Epiſt. 204.

Luc. 14. 21.

Ibid. v. 23.

S D. Thom. 2. 2. q. 10. a. 8. in corp.

Digitized by Google

Cęterùm qui de myſticâ hujuſmodi venatione Haeſtenus. plura ſcire avet, legat Benedicti Haeſteni Prępoſiti nuper Affligenienſis opus poſthumum in duodecim libros diſtinctum, & *venationis ſacra* titulo prænotatum.

CAPUT XXXII.

Verſiculus ejuſdem poëmatis decimus octavus variè à variis Interpretibus in Latinum tranſlatus ſiſtitur: & Mulieris fortis *circa familiæ ſuæ converſationem cura ac ſollicitudo expenditur. Hujus Mulieris domus non alia eſt quàm domus Dei, cujus amplitudinem Propheta Baruch prædicat. Eccleſiæ oculi ſunt Epiſcopi, quorum nomen, à* ſpeculatione *ductum, admonet eos muneris injuncti: & quod illud? Variæ ſpeculæ per myſticam hanc Hieruſalem diſpoſitæ, in quarum primâ excubat* Domnus Apoſtolicus, *in ſecundâ* Patriarchæ, *in tertiâ* Archiepiſcopi, *in quartâ* Epiſcopi, *in quintâ* Archidiaconi, *in ſextâ* Archipresbyteri, *in ſeptimâ* Presbyteri. *Sicut cuſtodibus Civitatum hoſtili incurſioni obnoxiarum, ita & Eccleſiæ ſpeculatoribus incumbit in alto reſidere, vigilare, circumſpicere, circuire, tubis clangere, fiſtulas inflare, citharizare, & cantare: quæ omnia ſingulatim allegorizantur. Cur Mulier fortis* conſiderare *dicatur non vias, ſed* ſemitas domus ſuæ? *Non omnis via eſt ſemita, ſed quæ arcta eſt atque anguſta. Via impiorum ſpatioſa; piorum verò adeò ſtricta, ut Chryſoſtomus eam funi intenſo comparet, & viatores funambulis, quibus alteroversùm delabi peremptorium ſit.*

CVIII. Expeditis in hunc modum variis interpretationibus litteræ iſtius initialis, dicamus nunc de ipſo verſiculo quem illa inchoat. Is in vulgatâ editione noſtrâ ita exprimitur,
Prov. 31. 27. *Conſideravit ſemitas domûs ſuæ, & panem otioſa non comedit.* Pagninus ſic vertit, *Speculata eſt vias domûs ſuæ, & panem pigritiæ non comedit.* Vatablus conformiter, excepto quòd verba temporis præteriti legat præſentialiter. Septuaginta Interpretes in Latinum verſi ſic exhibent, *Conſtrictæ manſiones domorum ejus, cibos autem pigros non manducavit: Os autem aperit ſapienter, & congruenter legibus.* Ubi poſtrema lacinia ſuperfluè adjicitur, quæ jam ſuprà præceſſerat, & ſuo loco à nobis cap. 30. exhibita & elucidata eſt: nec hoc loco apud Ambroſium vel Auguſtinum extat, qui alioquin ſequi hìc plerunque ſoliti ſunt editionem 70. Interpretum tunc uſitatam: quorum prior ita legit, *Anguſtæ ſemitæ domus ejus, cibos autem otioſa non comedit:* poſterior verò ita, *Severæ converſationes domorum ejus, cibos autem pigros non comedit.* Commentarius utriuſque idem penè eſt etiam quoad verba; ut non ſit operæ pretium ſeparatim deſcribere. Sic autem apud
T. Auguſt. Sermon. 45. de Diverſis cap 16. & Ambroſ. in cap. 31. Proverb. c. XI. Auguſtinum exhibetur: [T] *Severæ converſationes domorum ejus:* Severæ, fortes, diſtrictæ; ,, non eſt ubi defluatur, non amat diſſolutionem. *Cibos autem pigros non comedit:* merito ,, tantum acquiſivit. Hìc ergo iſta laborioſa, ,, vigilans, ſollicita, ſeverè caſtigans domum ,, ſuam, ſurgens de noctibus, intuens lucernam ne extinguatur, in tribulatione fortis, ,, nondum receptis promiſſis pavens, brachia ,, ſua in ſuſum firmans, non pigrum panem ,, manducans; ob labores iſtos quaſi paupertatis & neceſſitatis ſæcularis quid erit ei, ,, quia in diebus noviſſimis lætata eſt? Quid ,, erit, audire vultis? Audite. Propter quam ,, ſpem ardeat lucerna noſtra totâ nocte, nunc ,, audite: *Surrexerunt filii ejus, & ditati ſunt.* ,, Modò in paupertate vivimus, in paupertate vigilamus; & quum morimur, in paupertate dormimus. Sed ſurgemus, & ditabimur; tunc ditabuntur filii ejus. *Surrexerunt filii ejus, & ditati ſunt:* compara nunc ,, quaſlibet divitias terræ hujus, obnoxias furibus & tineis. Quid te jactas? Quia infirmus es, ideò ſunt tibi multa neceſſaria: ,, opus eſt ut multùm veſtiaris, quia frigus ,, pati non potes; jumentis utaris, quia pedibus ambulare non potes. Iſta fulcimenta ,, ſunt infirmitatis, non ornamenta poteſtatis. ,, Quæ divitiæ ſunt Angelorum? Unam veſtem habent lucis, nunquam teritur, nunquam ſordidatur. Illæ ſunt veræ divitiæ, ,, ubi nulla erit inopia, nulla indigentia. Quid ,, modò quæris hoc, antè quàm ſurgas? Si ,, filius es Mulieris hujus, attende quando tibi divitiæ promittantur'. Jungamus huic Ambroſii & Auguſtini communi Commentario

rio commūnem ſimiliter Bedæ ac Rabani Commentarium, qui vulgatam Bibliorum editionem Latinam ſuprà hìc exhibitam ſecuti, ita eandem ediſſerunt: V. *Semitas domus ſuæ* „ *conſiderat*, quia cunctas ſuæ conſcientiæ cogitationes ſubtiliter inveſtigat. *Panem otioſa non* „ *comedit*, quia hoc quod de ſacro Eloquio intelligendo percepit, ante æterni Judicis „ oculos exhibendo operibus oſtendit. Item „ *domus* hujus Mulieris, habitatio eſt patriæ „ cæleſtis: *Semitæ domus* illius, præcepta juſtitiæ, quibus ad æternæ vitæ manſionem pervenitur. Quas profectò *ſemitas* benè *conſiderat*, & diligenter quibus actibus ad ſuperna „ pervenire debeat inſpicit; & quæ agenda „ didicit, ſedula exercere non deſinit. *Panem* „ *otioſa non comedit*, cùm ſacrificia Dominici „ corporis percipiens ſtudet imitari actu, quod „ myſterio celebrat: multùm ſollicita, ne indignè panem Domini comedendo, & calicem bibendo, *judicium ſibi manducet & bibat*; „ ſed ut patiendo pro Chriſto, ac lachrymas „ fundendo, bonis quoque actibus inſiſtendo, „ paſſionum ipſius exempla ſequatur quantum „ valet. Poteſt & ſimpliciter accipi quòd *panem otioſa non comedat* Mulier fortis, juxta „ illud Apoſtoli, *Qui non operatur, non manducet*: & ipſe de ſe ait, *Quoniam ad ea quæ* „ *mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ*. Unde meritò, luxuriantes „ viduas arguens, adjungit: *Simul autem &* „ *otioſæ diſcunt circumire domos: non ſolùm otioſæ, ſed verboſæ, & curioſæ*". Parùm ab his quoad verba diſcrepat Arboreus, ſed quia vivaciùs exprimit ſenſum ſibi cum eis communem, non pigebit eum ſuo ſtylo loquentem audire. Ait igitur ad præſentem verſiculum prout in vulgatâ editione jacet: W Eccleſia diligenter „ examinavit, diſcuſſit, & expendit omnes „ cogitationes & affectiones cordis ſui, ne „ quid inveniretur quod ſuo ſponſo diſpliceret. Hinc illud Aggæi, *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras*. Sunt & *ſemitæ* ipſius Eccleſiæ, „ quibus ad æternam beatitudinem contendit, „ divina præcepta, & Euangelica conſilia, ac „ ſaluberrima documenta, quæ ſapienter penſanda ſunt; & utiliter exercenda. Sed *nec* „ *ſuum panem oſcitanter*, & in umbratili otio „ degens, Eccleſia *comedit*; ſed *ſudavit & alſit*, „ & ſe totam honeſtis officiis & laboribus addixit: *Si quis enim non vult operari*, authore Paulo, *nec manducet*". Ex quorum omnium ſenſu, etſi aliis atque aliis verbis expreſſo, reſultat, commendari hìc à Salomone *Mulierem fortem*, ſive Eccleſiam, ab aſſiduâ curâ ac vigilantiâ circa mores & converſationes familiarium, ſive domeſticorum ſuorum. Ad cujus imitationem Euangelicas matresfamilias Apoſtolus vult *Domus curam habere*, hoc eſt, domeſticorum ſuorum converſationi vigilanter ſuperintendere. Utrumque enim ſexum illa ejuſdem Apoſtoli ſententia reſpectivè concernit, *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet; fidem negavit, & eſt infideli deterior*. Quæcunque interim materfamilias huic curæ operam gnaviter impendit, eo profectò ipſo *Panem otioſa non comedit*: neque enim otiatur, quæ tanto negotio occupatur: *O Iſrael*, exclamat Propheta, *quàm magna eſt domus Dei!* Quanto autem major fuerit domus, tanto majori occupatione in eâ curandâ eſt opus. Cùm ergo Dei domus ipſa ſit & hujus Mulieris domus, nonne conſectaneum eſt ut hujus Mulieris occupatio tanto ſit major, quanto Dei domus eſt vaſtior? *Non* ergo *otioſa*, ſed prorſùs negotioſa, *panem comedit*, quæ jam amplæ domus inſpectioni invigilat.

V. Beda & Rabanus in cap. 31. Proverb. v. 27. Item Beda lib. de Muliere forti, litt. Zadic. Vide Lyranum in caput 31. Proverb. v. 27. — 1. Cor. 11. 29. — 2. Theſ. 3. 10. — Act. 20. 34. — 1. Tim. 5. 13. — W. Arboreus in caput 31. Proverbior. v. 27. — Agg. 1. 5. — Vide Horat. de Arte Poët. — 2. Theſ. 3. 10. — Tit. 2. 5. — 1. Tim. 5. 8. — Bar. 3. 24.

CIX. Porrò ad pleniorem præſentis verſiculi intelligentiam non parùm conducit relata ſuperiùs tranſlationum varietas. Ubi inprimis quod vulgatus Interpres expreſſit verbo *conſiderandi*, Pagninus & Vatablus tranſtulerunt per verbum *ſpeculandi*; quod eam ſuperintendentiam ac ſuperinvigilantiam denotat, à qua religionis in Eccleſiâ Antiſtites peculiari nomine nuncupantur *Epiſcopi*; Græco quidem vocabulo, ſed diuturnâ jam conſuetudine latinizato, quod *ſpeculatorem*, vel *exploratorem*, aut *excubitorem*, ſive *obſervatorem* latinè ſonat: ut nimirùm hujuſmodi Prælati ipſo ſuo nomine admoneantur ſui officii, quod eſt explorare vitam & converſationem gregum ſibi reſpectivè commiſſorum: X. Ideo, inquit Auguſtinus, altior locus poſitus eſt Epiſcopis, „ ut ipſi ſuperintendant, & tanquam cuſtodiant „ populum: nam & Græcè quod dicitur *Epiſcopus*, hoc latinè *Superintentor* interpretatur; „ quia ſuperintendit, quia deſuper videt". Et Serm. 51. de Sanctis: " *Epiſcopus* inde appellatus eſt, quia ſuperintendit, quia intendendo curat. Unuſquiſque ergo in domo „ ſua, ſi caput eſt domui ſuæ, debet ad eum „ pertinere Epiſcopatus officium, quomodò „ ſui credant, ne aliquis ipſorum in hæreſim „ incurrat, ne uxor, ne filius, ne filia; ne ipſe ſervus, quia tanti eſt emptus". Author libelli de Duodecim abuſionum gradibus apud eundem in Appendice tomi 9. " Ab Epiſcopo, ait gradu x. quid ſui nominis dignitas teneat inquiratur, quoniam cùm *Epiſcopus* Græcum nomen ſit, *Speculator* interpretatur. Quare verò Speculator ponitur, & „ quid à ſpeculatore requiritur, Dominus ipſe „ denudat, cùm ſub Ezechiëlis Prophetæ perſonâ Epiſcopo officii ſui rationem denuntiat, ita inquiens: *Speculatorem dedi te domui Iſraël*" &c. Huc quoque ſpectat Ambroſii iſta ſententiola: Y. Quid aliud interpretatur *Epiſcopus*, niſi *Superinſpector*"? Breviter & appoſitè Iſidorus: Z. *Epiſcopi* Græcè, inquit,

Vide lib. 1. § 318. — X. Auguſt. in Pſal. 126. Vide lib. 19. de Civitat. cap. 19. — Ezech. 3. 17. — Y. Amb. lib. de Dignitate Sacerdotali cap. 6. — Z. Iſidorus lib. 7. Originum c. 12.

Digitized by Google

„ inquit, latinè *Speculatores* interpretantur:
„ nam ſpeculator eſt præpoſitus in Eccleſiâ,
„ dictus eò quòd ſpeculetur atque proſpiciat
„ populorum infra ſe poſitorum mores & vi-
tam". Et alter item Iſidorus iſto vetuſtior:
A. Iſidor. Peluſ. lib. 1 Epiſt. 149. „ [A] *Epiſcopus*, inquit, ex ipſo nomine, quid
„ ipſius muneris atque officii ſit, perſpectum
„ habere debet: Eum enim inviſibilium &
„ occultarum ferarum impetus, Eccleſiæ ig-
„ navias, Monachorum negligentias, iniquo-
„ rum hominum improbitates, viduarum ca-
„ lamitates, pupillorum egeſtates, altaris ſuſ-
„ piciones, Diaconorum morbos, juvenum
„ flagitia, ſenum mala conſilia *ſpeculari* opor-
„ tet; atque omni ex parte oculum eſſe, om-
„ nia proſpicientem, nec quidquam negligen-
tem". Epiſcopi igitur ex ſuo officio, per no-
men indicato, *Speculatores* ſunt, ſive *Superin-*
ſpectores; adeòque cuſtodes non ſolùm platea-
rum ac ſemitarum myſticæ Hieruſalem, id eſt,
Sanctæ Eccleſiæ, ſed & murorum ejuſdem;
Iſa. 62. 6. de quibus per Prophetam ait ei Dominus: *Su-*
per muros tuos, Hieruſalem, conſtitui cuſtodes. In
B. Hugo Victor Ser. mon. 40. quem locum Hugo Victorinus: [B] *Hieruſa-*
„ *lem*, inquit, civitas ſancta, & civitas San-
„ cti, Sancta Eccleſia eſt, cujus Rex peregrè
„ proficiſcens præpoſuit ei *cuſtodes* ac *ſpeculato-*
„ *res*, qui eam die & nocte cuſtodiant, & à
„ malo defendant. Sunt ergo diverſæ ſpecu-
„ læ, & diverſi *ſpeculatores*, imò *ſpeculatorum*
„ ordines, qui in diverſis locis ſanctæ civita-
„ tis præſideant, hoſtes arceant, cives cuſto-
„ diant. In primâ Speculâ reſidet *Dominus*
„ *Apoſtolicus*, qui ſicut omnibus præſidet, ita
„ omnibus providere debet: in ſecundâ Spe-
„ culâ ſunt *Patriarchæ*, in tertiâ *Archiepiſcopi*, in
„ quartâ *Epiſcopi*, in quintâ *Archidiaconi*, in
„ ſextâ *Archipresbyteri*, ſive, ut in quibuſdam
„ locis appellantur, *Decani*; in ſeptimâ *Preſ-*
„ *byteri*. Et in his omnibus quicunque ſunt
„ dignitate ſublimiores, ipſi ſunt civitatem
„ cuſtodiendi magis debitores: & officia ſin-
gulorum, ſpeculæ ſunt eorum". Ubi notan
dum, quatuor primos ordines, Epiſcoporum
propriè eſſe claſſes, charactere quidem pares,
ſed juriſdictione diſpares, ſibique ſubalternos:
tres verò reliquos non niſi quâdam participa-
tione cuſtodiæ ac ſuperinſpectionis Epiſcopa-
lis dici *ſpeculatores*; quia nimirùm ſuperiori-
bus ſpeculatoribus tanquam ſubſpeculatores
ſubſerviunt, in opitulamen ſollicitudinis aſ-
ſumpti. Quomodò autem cuſtodes iſti ac ſpe-
culatores obire debeant munus ſuum, ediſſe-
rit idem author ibidem inferiùs, exemplo
utens eorum quibus terrenarum civitatum cu-
ſtodia incumbit: "Solent, inquiens, civi-
„ tatum cuſtodes ac ſpeculatores, maximè
„ tempore bellorum, in alto ſedere, vigilare,
„ circumſpicere, per totam civitatem præci-
„ puè noctibus circuire, tubis clangere, fiſtu-
„ las inflare, citharizare, & cantare. Sic ſic fa-
„ cere debent ſpeculatores civitatis noſtræ:
„ debent quippe *in alto ſedere*, per ſpiritalem
„ converſationem; ut eorum converſatio non
„ ſit in terrâ, ſed in cælo; non in carne, ſed
„ in ſpiritu: quatenus eorum anima non hu-
„ milietur in pulvere, & venter eorum non
„ conglutinetur terræ; ſed ſuper montem ex-
„ celſum aſcendant euangelizantes Sion, &
„ pedes ſint ſpecioſi ſuper montes annuntian-
„ tium pacem, prædicantium ſalutem, di-
„ centium Sion, *Regnabit Deus tuus*. Debent Iſa. 52. 7.
„ *vigilare*, per circumſpectionem: ut intuitum
„ vertant à dextris, ne proſperis fallantur; à
„ ſiniſtris, ne adverſis frangantur; retrò, per
„ præteritorum utilem memoriam; antè, per
„ futurorum providentiam. Debent vigilan-
„ do *circumſpicere*, ne ex improviſo hoſtis adve-
„ niat, portas frangat, vel murum irrumpat,
„ domos accendat, turres evertat, cives oc-
„ cidat, ſpolia detrahat, civitatem deſtruat,
„ populum abducat. Debent *circuire totam ci-*
„ *vitatem*, id eſt, gentem ſibi commiſſam, &
„ ſcrutari, ne lapide cujuſquam virtutis de-
„ lapſo murus diſciplinæ vel ad modicum in-
„ firmetur; &, ſi id contigerit evenire, quan-
„ tociùs fieri poteſt, reſarcire. Quod ille benè
„ adimplevit, qui ait: *Præter illa quæ extrinſe-* 2. Cor. 11. 28.
„ *cùs ſunt, inſtantia mea quotidiana; ſollicitudo om-*
„ *nium Eccleſiarum*. Debent *tubis clangere*, per
„ terribilem prædicationem. ----- Debent *fi-*
„ *ſtulas inflare*, per blandam conſolationem:
„ aptum enim eſt ut aſperitatem & duritiam
„ terroris ſequatur blandimentum conſolatio-
„ nis; ut per ſequentem ſuavitatem, præce-
„ dens aſperitas temperetur. Has fiſtulas ha-
„ bere jubentur prædicatores, ubi ſcriptum
„ eſt: *Dicite puſillanimis, confortamini*. Debent Iſa. 35. 4.
„ *citharizare*, per bonam operationem: ci-
„ thara namque, quæ digitis tangitur ut ſo-
„ num edat, bonam operationem rectè figu-
„ rat. Hæc cithara ſex habet chordas, ſex vi-
„ delicet opera miſericordiæ: *Eſurivi, & dedi-* Matt. 25. 34.
„ *ſti mihi manducare* &c. Debent *Cantare*, per
„ laudem, & gratiarum actionem: ſemper
„ enim gratias agere debent Domino, bono-
„ rum omnium largitori. Debent ergo ſancti
„ *Speculatores* in alto ſedere, per ſpiritalem con-
„ verſationem: vigilare, per circumſpectio-
„ nem: circuire, per ſollicitudinem: tubis
„ clangere, per prædicationem: fiſtulas infla-
„ re, per conſolationem: citharizare, per bo-
„ nam operationem: cantare, per gratiarum
„ actionem. Et hæc omnia facere debent *die* Iſa. 62. 6.
„ *& nocte*, id eſt, in proſperis & adverſis. Unde
„ & ipſe Iſaias, cujus verba propoſuimus, de
„ ſe ipſo dixit: *Super ſpeculam Domini ego ſum,* Iſa. 21. 8.
„ *ſtans iugiter per diem; & ſuper cuſtodiam meam*
„ *ego ſum, ſtans totis noctibus*. Et quaſi rogare-
„ tur, Quouſque? *Donec*, inquit, *ſtabiliat,* Iſa. 62. 7.
& do-

Digitized by Google

& donec ponat Hieruſalem laudem in terra".

CX. Per hujuſmodi igitur cuſtodes ac ſpeculatores ſuos, tanquam per oculos proprii corporis ſui, Mulier fortis *Conſiderat ſemitas domûs ſuæ*. Ubi Pagninus quidem & Vatablus, §. 108. relati, pro *ſemitis* verterunt *vias*, genericum vocabulum pro ſpecifico ſubſtituentes: ſed vulgatus Interpres rectiùs maluit proprium ac ſpecificum nomen exprimere, *ſemitas* vertendo: quo nomine non quævis promiſcuè via, ſed arcta duntaxàt ſive anguſta ac diſtricta intelligitur. Unde 70. Interpretum editio ibidem latinè exhibita ſonat, *conſtrictæ manſiones*: apud Ambroſium quoque ibidem relatum legitur, *Anguſtæ ſemitæ*; & apud Auguſtinum, *ſeveræ converſationes*. Qui ambo in communi Commentario ibidem exhibito, quaſi rationem iſtius anguſtiæ ſive ſeveritatis proferentes, aiunt de *Muliere forti*, ſive de Eccleſiâ per eandem figuratâ, *Non amat diſſolutionem*. Et meritò ſanè, cùm non ignoret dixiſſe virùm ſuum, cui placere per omnia ſatagit, *Spatioſam viam ducere ad perditionem, arctam verò ad vitam*. Igitur non amat Eccleſiæ diſſolutionem, quia præcavere vult domeſticorum ſuorum perditionem: amat verò diſtrictionem, quia percupit eorundem ſalvationem. *Semitas* ergo *conſiderare* dicta eſt, quia ſemitas à ſuis teri deſiderat, eaſdemque amat: ubi autem amor, ibi oculus; & ubi oculus, ibi conſideratio, contemplatio, ſpeculatio. Ipſa Eccleſia, ut §. 38. vidimus, myſtico vocabulo dicitur *Sion*, quod vocabulum Hebraicum latinè interpretatur *ſpeculatio*, ſive *contemplatio*: ut vel hinc Mulier iſta fortis advertat quàm non ſit ſibi alienum, ſed ex officio proprium, *ſpeculari ſemitas domûs ſuæ*. Ubi non admodùm intereſt an pluraliter dicas *ſemitas domorum*, an ſingulariter *ſemitam domûs*. Legimus dixiſſe Pſalmographum Deo, *Semitam meam inveſtigaſti*, & alibi, *Tu cognoviſti ſemitas meas*. Idem utrobique eſt ſenſus, quamvis priori loco, *ſemita* exprimatur ſingulariter, poſteriori pluraliter. Apud eundem quoque legitur ſingulariter *via iuſtorum*, cùm tamen alibi pluraliter memoret *vias vitæ*: quæ proculdubiò non aliud ſunt quàm *via iuſtorum*, quam Chriſtus quoque ipſe ſingulariter vocat *Viam arctam, quæ ducit ad vitam*. Viæ ergo vitæ, idipſum ſunt quod via ducens ad vitam: ſicut apud Proverbiaſten *ſemitæ vitæ*, idipſum ſunt quod ſingulariter *Iuſtorum ſemita*. Similiter apud Apoſtolum Eccleſia ſingulariter dicta eſt *Domus Dei*, cùm tamen apud eundem alibi pluraliter, *Sollicitudo omnium Eccleſiarum*, legatur. Qua de re lubet Auguſtinum audire differentem: "Omnis ſemita, ait ipſe, via eſt, non „omnis via ſemita eſt. Quare ergo viæ juſto„rum dictæ ſunt *ſemitæ*, niſi quia ANGVSTÆ „ſunt? Via lata impiorum, via anguſta juſto„rum. Quæ *via*, ipſa & *viæ*: quemadmodùm „quæ *Eccleſia*, ipſa *Eccleſiæ*; & quod *cælum*, ipſi „*cæli*: pluraliter dicuntur, & ſingulariter di„cuntur. Propter unitatem Eccleſiæ, una Ec„cleſia; *Vna eſt columba mea*, inquit, *una eſt* „*matri ſuæ*: propter congregationes fraternas „per loca, multæ ſunt Eccleſiæ: *Eccleſiæ*, in„quit, *Iudææ, quæ erant in Chriſto, gaudebant*, „*quòd ille qui nos perſequebatur, nunc Euangelizat* „*fidem, quam aliquando vaſtabat: & in me glori*„*ficabant Deum*. Eccleſias hìc dixit, & unam „Eccleſiam dicit cùm ait, *Sine offenſione eſtote* „*Iudæis & Græcis, & Eccleſiæ Dei*. Sic ergo & „*via* & *viæ*, & *ſemita*, & *ſemitæ*. Quare *ſemita*, „& quare *ſemitæ*? Quomodò rationem reddi„dimus quare *Eccleſiâ*, & *Eccleſiæ*, debemus & „hìc reddere rationem. *Semitæ* dictæ ſunt Dei, „quia multa præcepta ſunt: ſed quia eadem „multa præcepta ad unum rediguntur, quia „*Plenitudo Legis eſt dilectio*, propterea *viæ* iſtæ „in multis præceptis ad unam colliguntur, & „*via* dicuntur; quia via noſtra charitas eſt. „Videamus ſi charitas via eſt: audiamus „Apoſtolum, *Adhuc*, inquit, *ſupereminentiorem* „*VIAM vobis demonſtro*. Quam dicis, ô Apoſto„le, *Supereminentiorem viam*? Quam dico audi: „*Si linguis hominum loquar & Angelorum, chari*„*tatem non habeam, factus ſum velut æramentum* *ſonans, aut cymbalum tinniens*". Hinc igitur habemus, non ſolùm non multùm referre an prædicta vocabula ſingulariter an pluraliter exprimantur, ſed inſuper quomodò *ſemitæ* contra vias ſpatioſas diſtinguantur. Sed interim ut noverimus quàm arcta ſit via ducens ad vitam, notandum occurrit, eam à Pſalmographo vocari non ſolùm *ſemitam*, ſed & *funiculum*. Ait quippe ipſe Domino, *Semitam meam, & funiculum meum inveſtigaſti*. Ubi per *funiculum* non malè quis intellexerit ſemitam adeò arctam, ut tenui funi quam viæ appareat ſimilior. Quapropter Chryſoſtomus non dubitat homines viam vitæ decurrentes aſſimilare funambulis, qui ſuper funem in aëre protenſum incedunt: "Omni ex parte, inquiens, nos compo„namus: & ſicut eos qui ſuper *funem inten*„*ſum* ingrediuntur, ne parùm quidem licet „eſſe ſocordes (nam quod parùm eſt, magnum „affert damnum; ſiquidem everſus præ„cipitatur, & illicò perit) ita nec fieri po„teſt ut nos ſimus ſocordes aut deſides. „Anguſtam ingredimur viam, præcipitiis „undique circumdatam, quæ duos ſimul non „capit pedes. Ecce quantâ nobis opus ſit di„ligentiâ! Ecce quomodò non ſolùm pedes, „ſed & oculos muniunt ejuſmodi funambuli! „Nam etſi alibi videantur attendere, & pes „firmo hæreat veſtigio, equidem oculus „à profundo caligans univerſum dejicit. „Sed ſibi ac ſuo greſſui oportet attendere: & „ideò ſcriptum eſt, *Ne declines ad dextram*, neque

Marginal notes: Prov. 31. 27. Vide ſuprà §. 108. — Mat. 7. 13. & 14. — Pſal. 138. 3. — Pſal. 141. 4. — Pſal. 1. 6. — Pſal. 15. 11. — Mat. 7. 14. — Prov. 2. 19. — Prov. 4. 18. — 1. Tim. 3. 15. — 2. Cor. 11. 28. — D. Aug. in Pſalm. 141. Vide Greg. l. 16 Moral. cap 24 & Homil 27. in Euang. — Cant. 6. 8. — Gal. 1. 22. & 23. — 1. Cor. 10. 32. — Rom. 13. 10. — 1. Cor. 12. 31. — 1. Cor. 13. 1. — Pſal. 138. 3. — D. Chryſoſt. in priorem ad Theſſal. Homil. 9. — Prov. 4. 27.

Digitized by Google

„ *neque ad ſiniſtram.* Magnum quippe eſt vitii „ profundum, magna præcipitia, magnæ inferiùs tenebræ: anguſtias obſervemus, cum „ timore & tremore ambulemus. Nemo viâ „ hujuſmodi incedens effunditur in riſum, „ aut gravatur ebrietate; ſed in ſobrietate & „ jejunio viam aggreditur: nemo hac incedens confert ſecum quidquam ſuperfluum; „ præclarè enim cum eo agitur, ſi ſuccinctus „ & expeditus poſſit evadere: nullus ſuos „ aggravat pedes, ſed liberos dimittit ac ſolutos. Quomodo igitur nos tot curis implicati, & oneribus prægravati, ſperamus „ poſſe nos viam tam anguſt m decurrere, atque ad metam pervenire? Neque enim Dominus ſimpliciter dixit eam eſſe anguſtam, „ ſed cum admiratione. *Quàm anguſta eſt via!* Mat. 7. 14. „ hoc eſt, valde anguſta: ſic enim & nos loqui ſolemus de iis quæ in magnâ habentur admiratione".

CAPUT XXXIII.

Non amat Mulier fortis diſſolutionem, ſed providet diſciplinæ rigorem. Hinc quorundam laxonum exorbitantias priſco rigori adverſas per Apoſtolicum Præſulem in ſupremâ ſpeculâ excubantem noviſſimè proſcripſit, quarum ſeries exhibetur, & Cenſuræ tenor ſubnectitur. In die Iudicii talem ab Hierarchis Eccleſiam Princeps Paſtorum exacturus eſt, qualem à Patribus acceperant. Via vitæ à Chryſoſtomo dicta funis, *à Pſalmographo diminutivè* funiculus, *à Chriſto emphaticè* arcta, *atque ob anguſtiam* foramen acus. *Cernentes laxones quàm difficile ſit gibboſos camelos per foramen acus in civitatem habitaculi tranſmittere, tentarunt ipſum foramen acûs impactis probabilitatum uncinis diſtendere: imitantes quadantenus Trojanos, qui portas urbis effractis muris ampliarunt, ut equum Argolicum ſine mutilatione vel extenuatione intromitterent. Via cæli aſſimilata ponti anguſto, è quo in dextram aut ſiniſtram deſiliens ſubterfluentis amnis vorticibus immergitur. Nemo abſque gratiâ Dei decurrere quit viam cæli.*

CXI. NOn abſque peculiari Numinis diſpoſitione eveniſſe arbitror, ut dum præſentis verſiculi elucidationi incumberem, ad manus meas inopinatò pervenerit Rômana Cenſura, ſuperiori Menſe diſtricta, & hoc ipſo Octobri Menſe Romæ publicata, adversùs octo ſupra viginti laxioris doctrinæ Articulos, à quibuſdam neotericis non ſatis conſideratè partim adinventos, partim reſuſcitatos: quorum proſcriptio luculenter oſtendit quàm verè de Muliere forti ſub Eccleſiæ ænigmate ſcripſerint Ambroſius & Auguſtinus § 108. adducti, *Non amat diſſolutionem*: quàm item opportunè quiſque noſtrûm rogatus cur Eccleſia laxiorem illam doctrinam diſploſerit, reſpondere queat: Quia *conſideravit ſemitas domus ſuæ*, hoc eſt, quia feriò ſecum perpendit, regulas fidei ac morum ſuæ familiæ non eſſe vias ſpatioſas, ſed ſemitas arctas. Magiſterio namque viri ſui didicit, illas *ducere ad perditionem*, has verò *ad vitam*: & ideò cùm ſit ipſa materno affectu ſollicita, ne filii ſui deflectentes à ſemitâ vitæ vergant in perditionem, proſcribendo laxitates præſcripſit arctitates. Itaque die 24. Septembris 1665. conditum, & die 2. inſequentis Octobris promulgatum eſt Romæ Decretum hìc ſubinſertum: *Sanctiſſimus Dominus Noſter audivit non ſine magno animi ſui mærore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire: & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Euangelicâ ſimplicitate, ſanctorumq́ Patrum doctrinâ, & quem ſi pro rectâ regulâ fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quarè, ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema Veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu veriùs perverti, contingeret, idem Sanctiſſimus D. N. ut oves ſibi creditas ab einſmodi ſpatioſâ latâq́, per quam itur ad perditionem, viâ, pro Paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sacrâ Theologiâ Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus, feriò commiſit. Qui tan-*

Mat. 7. 13. & 14.

CENSURA ROMANA ADVERSUS LAXITATES.

tum

tum negotium ſtrenuè aggreſſi, eiq; ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis uſque ad hunc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper unaquâq; ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſingillatim expoſuerunt.

CXII. *HOMO nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. VIR Equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. SENTENTIA aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Iulii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt. PRAELATI Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursâ. QVAMVIS evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis. CONFESSARIVS, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſteà legendam in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſſione; ac proinde non eſt denunciandus. MODVS evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt: ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi. DVPLICATVM ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idq; poſt decretum Vrbani VIII. POST Decretum Vrbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, aliâ parte ſtipendii ſibi retentâ. NON eſt contra iuſtitiam, pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre: neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam iuramento firmatâ, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram. PECCATA in confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere. MENDICANTES poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtentâ ad id Epiſcoporum facultate. SATISFACIT præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſtè reprobato. QVI facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. POENITENS propriâ authoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat. QVI beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere in confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. EST licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione, ſpargere minantem, occidere; quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni, publicè & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur. LICET interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ viâ non poteſt innocens damnum evitare. NON peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehenſam. RESTITVTIO à Pio V. impoſita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam iudicis, eò quòd ſit pœna. HABENS Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet. NON eſt contra iuſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecuniâ interveniente non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. FRANGENS ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientiâ hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubiicere præcepto. MOLLITIES, Sodomia, & beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ, ideoq; ſufficit dicere in confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem. QVI habuit copulam cum ſolutâ, ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens: commiſi cum ſolutâ grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam. QVANDO litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt iudex pecuniam accipere pro ferendâ ſententiâ in favorem unius præ alio. SI liber ſit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet reiectam eſſe à Sede Apoſtolicâ tanquam improbabilem. POPVLVS non peccat etiamſi abſq; ullâ cauſâ non recipiat legem à Principe promulgatam.*

CXIII. *Quibus peractis, dum ſimilium propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus, re maturè conſideratâ ſtatuit & decrevit, prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimùm, tamquam ſcandaloſas, eſſe damnandas & prohibendas, ſicut eas damnat ac prohibet: ita ut quicumque illas, aut coniunctim, aut diviſim, docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit, præterquam in articulo mortis, ab alio, quâcunque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi. Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini iudicii, prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali & ſpecialiſſimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum, ad praxim deducant.* Hic eſt integer Decreti illius nuperrimi tenor; continens primò præfationem §. 111. exhibitam; ſecundò Articulorum proſcriptorum ſeriem, §. 112. digeſtam; tertiò denique proſcriptionis eorundem ritum ac normam hoc præſenti §. deſcriptam. Præfatio abundè manifeſtat, quantopere *Dominus Apoſtolicus*, ut Hugonis verbis §. 109. relatis utar, *in primâ Eccleſiæ ſpeculâ reſidens*, abhorreat à novitate opinionum, per licentioſa ingenia ad dilatandam viam ſalutis ſive noviter excogitatarum, ſive denuò reſuſcitatarum. Cur enim

 non

non abhorreret, cùm non ignoret cum quantâ aſſeverantiâ quidam ſuus Prædeceſſor, Sanctorum catalogo inſcriptus, pronuntiarit: E. In die „ Judicii talem à nobis Eccleſiam, CERTUM „ EST, qualem à Patribus accepimus, exigendam"? Quis Eccleſiæ Archiſpeculator ad hanc tanti Præſulis vocem, tantâ aſſeveratione prolatam, non evigilet, non contremiſcat, non omnem torporem excutiat, non ſuper cuſtodiam ſuam jugiter perſtet; ne ipſo dormiente, aut ſegniter connivente, contingat Eccleſiam in deterius commutari, priſtinam ejus diſciplinam relaxari, morum regulas incurvari, arctas ſemitas in vias latas diſtendi? An adhuc dubitabimus viam cæli eſſe anguſtam ſemitam, cùm ſciamus eam à Chriſto dici *viam arctam*, & à Chryſoſtomo ſuperiùs §. 110. *funem intenſum*, & à Pſalmographo ibidem etiam diminutivè *funiculum*; quinimò à Chriſto alibi *foramen acûs*? Quid eſt enim *foramen acûs*, niſi quod Beatus interpretatur Hilarius, F. Anguſtiſſimum iter regni cæleſtis"? Cui conſonans Ambroſius, eo intelligit G. viam anguſtam, quæ eſt via Chriſti, qui proprii cor„ poris paſſione mortis penetrans viam, velut „ acu redintegravit ſciſſa quædam noſtræ veſtimenta naturæ". Idem quoque Ambroſius, 70. Interpretes ſecutus, pro eo quod vulgata editio ſuperiùs §. 55. habet de Muliere forti *Quæſivit lanam & linum*, legit, *Filavit lanam & linum*: niſi enim lana & linum filatione ſtringantur ac tenuentur, in *foramen acûs* nequaquam intrudentur, nedum per illud tranſmittentur. Mulier itaque fortis filando conſtringit ea ac tenuat, ut per anguſtum *foramen acûs* tranſire ad portum uſque ſalutis queant. At verò prædictarum opinionum laxarum inventores, ac reſuſcitatores, aliam methodum tranſmittendi lanam & linum in eundem portum excogitarunt; quam Mulier fortis adeò non approbavit, ut potiùs ex adverſo per ſuum Archiſpeculatorem detexerit, examinarit, exploſerit. Cernentes quippe illi quàm ſit operoſum & arduum filare, tentarunt ex alterâ parte ipſum *foramen acûs* dilatare: ad eum ferè modum, quo Troiani, cùm viderent Pelaſgicam machinam præ nimiâ vaſtitate invehi in urbem per veterem portam non poſſe, non ipſam diminuerunt, ſed portam fregerunt, frangendoque ampliaverunt: prout unus ipſorum apud Maronem memorat, dicens: H. *Dividimus muros, & mœnia pandimus urbis*, ut nimirùm fatalis illa machina intromitteretur. Sed quàm ſiniſtro conſilio, eventus patefecit: capta quippe exinde urbs eſt, I. *Quam neque Tydides, nec Lariſſæus Achilles, Non anni domuere decem, non mille carinæ.* Obſtiterat quidem murorum effractioni ac machinæ invectioni Laocoon Apollinis Sacerdos quantùm potuit, ſed prævalente multitudine parùm aut nihil potuit. Longè feliciori ſucceſſu obſtitit nuperæ laxonum machinationi Alexander VII. Jeſu Chriſti Sacerdos, ſummuſque Vicarius: qui *Vt oves ſibi creditas ab eiuſmodi ſpatioſâ latâq;, per quam itur ad perditionem, viâ, pro paſtorali ſollicitudine ad rectam* SEMITAM *evocaret*, machinas, portæ cæli & viæ ſalutis luxandæ laxandæque extructas atque admotas, detexit, diſſipavit, eliſit: alias inſuper eiſdem affines & ſuſpicioni fraudis obnoxias examinari curavit, decreturus de iis quod Superna Sapientia dictabit. Cæterùm quia veritus eſt ne quidam occultè practicarent, quod jam palàm prædicare non auderent, diſtrictè & ſub graviſſimâ interminatione vetuit, ne laxarum opinionum à ſe proſcriptarum ullam *quiſpiam ad praxim deducat.* Antequam verò hinc abeam, & ſequentis verſiculi dilucidationem aggrediar, pro hujus capitis coronide locum dabo Baſilii Magni, quo arctam ſalutis viam aſſimilat ponti, unde in alterutrum latus declinare peremptorium ſit. Propoſitæ igitur interrogationi, *Quomodo anguſta eſt porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam? & quomodo per eam quis ingreditur?* reſpondet ipſe hunc in modum: K. Hoc loco *anguſtum* & *arctum* nequa„ quam res diverſas ſignificant, ſed *arctum* ex„ primit anguſtiarum magnitudinem: via vi„ delicet eouſque in anguſtiam coacta, ut ar„ ctetur, hoc eſt, in anguſtum redigatur al„ trinſecùs qui per eam incedit, eò quòd egreſ„ ſio ab alterutrâ parte periculoſa ſit, ſive ad „ dextram, ſive ad ſiniſtram: velut in PON„ TE, à quo qui in alterutram partem decli„ nat, cum à ſubterfluente amne illicò excipi „ neceſſe ſit. Propterea David dicit, *Juxta* „ *ſemitam ſcandalum poſuerunt mihi.* Convenit „ igitur, ut qui per anguſtam & arctam viam „ in vitam ingredi vult, caveat diligenter ne „ omninò egrediatur declinetve à mandatis „ Domini; ſed præceptum illud teneat, *Non* „ *declinabis neque ad dexteram neque ad ſiniſtram*". Quòd ſi fortè quis his auditis replicet illam veterem diſcipulorum Chriſti percontationem, *Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* reſpondebit ei Chriſtus ibidem: *Apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deum omnia poſſibilia ſunt*: L. Oſten„ dens, inquit Auguſtinus, quando iſta rectè „ fiunt, non fieri hominis potentiâ, ſed Dei gratiâ".

E. Felix III. Papa Epiſt. 1.
Matth. 7. 14.
Vide ſuprà §. 110.
Matt. 19. 24.
F. Hilar. can. 19. in Matth.
G. Ambroſ. l. 8. in caput 18. Lucæ. Vide Bedam l. 3 in caput 19 Matthæi.
Vide ſuprà §. 55.
H. Æneas apud Virgil. l. 2. Æneid. v. 234.
I. Ibid. ſuprà v. 197. & ſeq.
Vide ſuprà §. CXI.
K. Baſil. Regula 241. inter breviores.
Pſal. 139. 6.
Prov. 4. 27.
Matt. 19. 25.
Ibid. v. 26.
L. Aug. Epiſtol. 89. q. 4. Vide Ambr. in Pſal. 118. octonario 2.

CAPUT.

CAPUT XXXIV.

Decimusnonus Salomonici Poëmatis verſiculus inchoatur ab Hebraicâ litterâ Coph, *qua interpretatur* vocatio; *item* concluſio, *ſive* circumdatio, *vel* fortificatio; *necnon* Aſpice, *aut* circumcurre; *ac denique* Simius: *qua interpretationes Mulieri forti univerſim congruere monſtrantur. Eccleſia ex* vocatione *appellata eſt, Synagoga ex* congregatione: *& ha quatenùs diſcrepent?* Concionis *trifaria uſurpatio ex Phavorino. Tria Salomonis nomina, quorum unum* Coheleth, *quod Gracè* Eccleſiaſtes, *Latinè* Concionator *interpretatur. Eccleſia eſt cœtus vocatorum in ſocietatem Filij Dei. Quanam aſpectio, & qua item circumcurſio commendetur Mulieri forti per* Aſpice, *&* circumcurre? *Eccleſia in Canticis* Hortus concluſus *dicta: & quanam iſta* concluſio? *Ab hâc concluſione parùm aut nihil differt* circumdatio, *ex quâ ſubnaſcitur* fortificatio. *Eccleſia adſtat Sponſo* in veſtitu deaurato circumdata varietate. *Deformitas* ſimiarum *non obſtat earum analogia cum Eccleſiâ: ut quibus pracipua ſit affectio erga proles ſuas, quemadmodùm & Eccleſia erga ſuas. Antipathia ſimia, cum leone; uti & Eccleſia, cum diabolo; qui* tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. *Praoccupatur quadam objectiuncula.*

CXIV. DEcimumnonum Alphabetici ſui carminis verſiculum inchoat Salomon ab Hebraici Alphabeti decimanonâ litterâ, *Coph* dictâ, quæ juxta Hieronymum §. 48. relatum interpretatur *Vocatio*: juxta Ambroſium in Pſalmum 118. Octonario 19. *Aſpice*, item *Concluſio*: juxta Zamorenſem *circumdatio* vel *fortificatio*: juxta Iſaac *circumcurre*: juxta Caninium *Simius*. Quas omnes interpretationes congruere Mulieri forti; id eſt, Eccleſiæ, promptum eſt oſtendere diſcurrendo per ſingulas. Nam ad primam quod attinet, ipſum *Eccleſia* nomen è Græco in Latinum verſum, nihil aliud quàm *vocationem* ſonat, ſive *evocationem*, aut *convocationem*: [M.] *Eccleſia*, inquit „ Auguſtinus, ex *vocatione* appellata eſt, *Syna-* „ *goga* verò ex *congregatione*. *Convocari* autem „ magis hominibus congruit, *congregari* ma- „ gis de pecoribus dici ſolet: unde *greges* propriè pecorum dici ſolent". Et hunc ſecutus Iſidorus Hiſpalenſis: [N.] *Eccleſia*, inquit, Græ- „ cum eſt, quod in Latinum vertitur *convocatio*". Et rurſùs lib. 1. de Officiis Eccleſiaſticis cap. 1. " *Eccleſia* vocatur propriè propterea, „ quòd omnes ad ſe *vocet*, & in unum congreget". Et Beda Venerabilis, [O.] Differt, inquit, „ inter *Synagogam*, quæ *congregatio*; & *Eccle-* „ *ſiam*, quæ *vocatio* interpretatur, quòd pecora „ & inanimata quæque *congregari* poſſint, con- „ vocari autem niſi ratione utentia non poſſint". Et Rabanus Maurus in Opere de Univerſo: [P.] *Synagoga* Græcè, inquit, Latinè „ *congregatio* dicitur: quod proprium nomen po- „ pulus Judæorum tenuit; ipſorum enim con- „ gregatio propriè *Synagoga* dici ſolet, quam- „ vis & *Eccleſia* dicta ſit: noſtram verò Apoſto- „ li nunquam *Synagogam* dixerunt, ſed ſemper „ *Eccleſiam*; ſive diſcernendi causâ, ſive quòd „ inter *congregationem*, unde *Synagoga*; & *con-* „ *vocationem*, unde *Eccleſia* nomen accepit, „ diſtet aliquid, quòd ſcilicet *congregari* etiam „ pecora ſolent, quorum & *greges* propriè di- „ cimus *congregari*: *convocari* autem homines ſolemus dicere". Et ante hos omnes Cyrillus Hieroſolymitanus in ſuis Catecheſibus: „ [Q.] Aptè, inquit, *Eccleſia* vocatur, quaſi dicas „ *convocatio*, propter omnium convocationem „ & congregationem: ſicut in Levitico dicit „ Dominus, *Omnem congregationem convoca ante* „ *oſtium Tabernaculi teſtimonij*. Nota hìc in Scri- „ pturis, quod ſit *Eccleſia* ſeu convocationis „ nomen: deinde & *Aaronem in Sanctuario Do-* „ *minus conſtituit*. Et in Deuteronomio Moy- „ ſes ait, *Tunc Dominus dixit ad me: Convoca* „ *populum, & audiantur verba mea, ut diſcant ti-* „ *mere me*. Rurſùs nominis *Eccleſia* meminit, cùm ait de tabulis: *In ipſis ſcripti ſunt* „ *omnes ſermones, quos locutus eſt Dominus ad* „ *nos in monte de medio ignis, in die Eccleſia*: „ quaſi diceret apertiùs, In die vocatorum à Domino congregati eſtis". Porrò in idem

M. Aug. l. Expoſition. inchoatæ Epiſtolæ ad Roman. ſub initium.

N. Iſidor. l. 8. Origin. cap. 1.

O. Beda l. 3. in caput 13. Matthæi.

P. Rabanus lib. 4. de Univerſo cap. 4.

Q. Cyrillus Hieroſoly. Catech. 18.

Levit. 8. 3. juxta 70.

Ibid. v. 6.

Deut. 4. 10.

Deut 10. 4.

Digitized by Google

idem recidit ſive dicamus *Eccleſiam* latinè interpretari *convocationem*, ſive *concionem*, à verbo *conciendi*, quod prorsùs æquivalet verbo *convocandi*: ſicut *cire* idem eſt quod *vocare*. Notat enim Phavorinus apud Aulum Gellium in Noctibus Atticis,

R. Phavorinus apud Gellium lib. 18. c. 7.

R. *Concionem* tria ſignifica„re, locum ſcilicet ſuggeſtumque unde verba „fierent, item cœtum populi aſſiſtentis, item „orationem ipſam quæ ad populum diceretur". Quarum omnium ſignificationum exempla ex Cicerone ſumpta ſubduntur ibidem: ſed præſenti noſtro ſcopo potiſſimè ſervit ſecunda vocis illius ſignificatio, quâ ſumitur pro *cœtu populi aſſiſtentis*, ſive ad audiendum citi, id eſt, convocati. Ab *Eccleſia* vocabulo derivatur *Eccleſiaſtes*, quem latinè *concionatorem* dicere queas. Quâ de re Hieronymus:

S. Hieron. in caput 1. Eccleſiaſtæ.

S. *Ec„cleſiaſtes*, inquit, Græco ſermone appellatur, „qui cœtum, id eſt, Eccleſiam, congregat; „quem nos nuncupare poſſumus *concionatorem*, „eò quòd loquatur ad populum, ſermoque „ejus non ſpecialiter ad unum, ſed ad univerſos generaliter dirigatur". Et Hugo Victorinus:

T. Hugo Victor. Homil. 1. in Eccleſiaſten.

T. Tribus vocabulis, inquit, Salomo„monem appellatum legimus: *Idida*, quod „interpretatur *Dilectus*; & *Coheleth*, quod Græ„cè *Eccleſiaſtes*, latinè *Concionator* dicitur; & „*Salomon*, quod ſonat *Pacificum*. Porrò *Eccle„ſiaſtes* vel *Concionator* dici poteſt, qui *Eccleſiam* „ſive *Concionem*, id eſt, multitudinem populi inſtruit". Breviter Gregorius Papa in Dialogis:

V. Greg. l. 4. Dial. c. 4.

V. *Eccleſiaſtes*, inquit, propriè *Concionator* dicitur". His addi poteſt Gregorius Nyſſenus:

W. Gregor. Nyſſen. Homil. 1. in Eccleſiaſten.

„W Verus, inquiens, *Eccleſiaſtes* eſt, qui diſ„perſa in unum cœtum colligit, & variis er„roribus multifariàm ſeductos in unum cogit conventum". Et Athanaſius, de variis Salomonis nominibus diſſerens:

X. Athan. in Synopſi.

X. *Eccleſiaſtes* vo„catus eſt, inquit, quia ad populum ipſe *con„cionatus* eſt, & quæ ſpiritûs ſunt locutus". Quemadmodum igitur Græcum *Eccleſiaſtis* nomen latinè interpretatur *concionator*, ita Græcum *Eccleſia* nomen latinè interpretatur *concio*, ſive *convocatio*, ſumptâ utique eâ voce concretim pro ipſo cœtu convocatorum ſeu concitorum. Unde quod Corinthiis ait Apoſtolus,

Vide Canum l. 4. de locis Theolog. cap. 2.
1. Cor. 1. 9.

Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus Ieſu Chriſti, perinde valet ac ſi dixiſſet, Fidelis Deus qui vos fecit Eccleſiam Chriſti Filii ſui:

Y. Joannes Lenſæus l. 1 de Eccleſiâ cap. 1.

Y. Ideo autem, ut monet „Lenſæus, ab *evocando* dicta eſt *Eccleſia*, quòd „ſit à Deo vocata. Quò factum eſt, ut ipſa „interdum *vocationis* nomine deſignaretur, vo„cabulo *vocationis* poſito pro vocatis: velut „ad Corinthios,

1. Cor. 1. 26. & 27.

Videte vocationem veſtram fra„tres, quia non multi potentes, non multi nobiles, „ſed quæ ſtulta ſunt Mundi elegit Deus, ut confun„dat fortia: hoc eſt, In Eccleſiâ veſtrâ, ſeu „inter vos qui vocati eſtis, non multos repe„rietis claro genere natos, aut aliquâ ſæcu„lari dignitate eminentes. Qui autem evo„cantur, ii ex alio evocantur in aliud, id eſt, „ex loco in locum, vel è ſtatu in ſtatum. „Propter evocationem in locum, dicitur „2. Paralip. *Omnis Iſraël ad ſolemnitatem convo„cati, Eccleſia magna valde.*

2. Par. 7. 1.

Verùm in litteris „novi Teſtamenti ſignificat *Eccleſia* plerunque „*vocationem* non è loco in locum, quem mu„tari neceſſe non ſit; ſed è ſtatu in ſtatum, „hoc eſt, de infidelitate ad fidem, ab immun„ditiâ ad ſanctitatem: *Qui de tenebris*, inquit „Petrus, *vocavit nos in admirabile lumen ſuum.*

1. Pet. 2. 9.

„Paulus verò aliquoties ſcribit *Vocatis ſanctis*, „id eſt, ab immunditie vocatis ad ſanctimo„niam, ipsâque vocatione ſanctificatis".

Rom. 1. 7.

CXV. Planum ex his arbitror evadere, litteram *Coph*, quatenus interpretatur *vocatio*, aptiſſimè ac propriiſſimè congruere Eccleſiæ, ſive ei *Mulieri*, quam divina vocatio *fortem* de imbecillâ præſtitit, & *Eccleſiam* eſſe ac dici fecit. Videamus porrò de reliquis ejuſdem litteræ interpretationibus; quas inter occurrit inprimis Ambroſiana illa prior, *Aſpice*: quæ multis ſanè modis aptari Eccleſiæ poteſt; primò quidem, ut ſit vox Eccleſiæ ad Deum, deprecantis protectionem ejus & aſſiſtentiam, replicantiſque illud Pſalmographi, *Protector noſter aſpice Deus*: & illud item ejuſdem, *Aſpice in me, & miſerere mei, ſecundùm iudicium diligentium nomen tuum.*

Pſal. 83. 10.
Pſ. 118. 132.

Nonne enim ipſa eſt, quæ in matutinali hymno feriæ IV. ſolenniter pſallit per ora omnium de eâdem feriâ recitantium, *Rerum creator optime, Rectorq; noſter, aſpice?* Nonne ipſa item eſt, quæ quotannis in officio hebdomadæ pœnoſæ intonat illud Hieremiæ Prophetæ, *Recordare Domine quid acciderit nobis: intuere, & reſpice opprobrium noſtrum.*

Thren. 5. 1.

Secundò, ut ſit vox Dei ad Eccleſiam, monentis inprimis ut conſtanter perſiſtat in *conſideratione ſemitarum domûs ſuæ*, juxta ea quæ præcedentibus duobus capitibus diſſeruimus. Quanquam enim proximo verſiculo fuerit laudata ex iſto capite, in præteritum; rectè tamen hìc admoneri credenda eſt, ut quod hactenus præſtitit, præſtare identidem in poſterùm pergat. Quamdiu enim non ceſſat inimicus ſcandalum juxta ſemitas ponere, aut ipſas ſemitas velle laxare, non eſt quòd ipſa negligat *aſpicere*, atque eaſdem *ſemitas conſiderare*. Monentis deinde ut attendat ſibi ipſi, juxta vetus illud præceptum, à Moyſe non tam inventum, quàm in memoriam revocatum, *Cuſtodi temetipſum*, ſive, ut 70. vertunt Interpretes, *Attende tibi ipſi*:

Deut. 4. 9.

„Z. Hoc eſt, ut ait Baſilius, teipſum omni ex „parte colluſtra & circumſpice, animæ ocu„lum ad ſolertem tui ipſius cuſtodiam habeto „pervigilem & inſomnem. *Per medios ingre„deris laqueos*, qui ab inimico occultati nullo „non loco defixi ſunt: Circumſpice igitur, & „luſtrato omnia, quò à laqueis præſerveris".

Z. Baſil. Homil. 3. in illud *Attende tibi ipſi*.
Eccli. 9. 20.

Ut

Digitized by Google

Ut enim noverimus, mandatum iſtud *Mulieri forti* peculiariter ac ſignatè fuiſſe traditum, & quidem ſub gravi interminatione, extat vox Sponſi ad ipſam in Canticis: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres: egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum:* A. Dura, inquit Bernardus, „ & aſpera increpatio, quòd dicit, *Egredere.* „ Hoc quippe verbum ſervi audire ſolent à „ valde iraſcentibus & indignantibus dominis; „ vel ancillæ à dominabus ſuis, cùm graviter „ illas offenderint: *Exi hinc, Exi à me, Egre-* „ *dere à conſpectu meo, & à domo iſtâ.* Hoc ergo „ verbo aſpero, & amaro ſatis, nimiùmque „ increpatorio, utitur modò Sponſus contra „ dilectam, ſub conditione tamen, *ſi ſeipſam* „ *ignoraverit.* Nihil quippe validius, aut ad „ terrendum efficacius, potuit in eam intendere, quàm ut *egredi* minaretur". Hinc ergo apparet quàm ſit Eccleſiæ non modò utilis, ſed planè neceſſaria littera *Coph*, quatenùs ſonat *Aſpice*, hoc eſt, teipſam noſce, tibi attende: B. Quid eſt *ſe noſcere*, inquit Ambroſius, „ niſi ut ſciat unuſquiſque, hominem ad ima- „ ginem & ſimilitudinem Dei factum, ratio- „ nis capacem, qui terram ſuam excolere tan- „ quam bonus agricola debeat aratro quodam, „ & falce ſapientiæ: ut dura fundantur, vel „ luxuriantia recidantur; qui inferiorem ſui „ portionem imperio animi debeat guberna- „ re? Unde etiam in lege ſcriptum eſt, *At-* „ *tende tibi, ne fiat verbum abſconditum in corde* „ *tuo.* Tibi, inquit, attende: non utique di- „ cit, pecuniæ tuæ, non poſſeſſionibus tuis, „ non viribus corporis; ſed animo tuo ac „ menti tuæ, unde omnia conſilia, facta, co- „ gitationeſque dimanant. Tibi ergo attende „ ibi, ubi potiorem te eſſe noſti. *Noſce teipſum:* „ quod Apollini Pythio aſſignant Gentiles „ viri, quaſi ipſe author fuerit hujus ſenten- „ tiæ; cùm de noſtro uſurpatam ad ſua trans- „ ferant, & longè anterior Moyſes fuerit qui „ ſcripſit librum Deuteronomii, quàm Phi- „ loſophi qui iſta finxerunt. Unde & Salo- „ mon oraculum divinum ſecutus ſcripſit in „ Canticis Canticorum, *Niſi ſcias te decora inter mulieres* &c". Eſt præterea quædam alia *aſpectio*, quam non minori veriſimilitudine poſſumus intelligere per verbum *Aſpice*, quatenus eſt interpretatio litteræ *Coph*: ea nimirum quam Apoſtolus ex communi fidelium perſona commendat, cùm ait: *Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen: ASPICIENTES in Authorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ, atque in dexterâ ſedis Dei ſedet.* Littera itaque *Coph*, quatenùs interpretatur *Aſpice*, ſervit *Mulieri forti* pro monitrice, quæ jugiter ei in omni tribulatione in aurem inſonet illud, *Aſpice in authorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem:* C. Omnia bona terrena, inquit Auguſtinus, „ contempſit homo factus Domi- „ nus Chriſtus, ut contemnenda monſtraret, „ & omnia terrena mala ſuſtinuit, quæ ſuſti- „ nenda præcipiebat: ut neque in illis quære- „ retur felicitas, neque in iſtis infelicitas ti- „ meretur. Natus enim de matre, quæ quam- „ vis à viro intactâ conceperit, ſemperque in- „ tacta permanſerit, virgo concipiens, virgo „ pariens, virgo moriens, tamen fabro deſ- „ ponſata erat; omnem typhum carnalis no- „ bilitatis extinxit. Natus etiam in civitate „ Bethleem, quæ inter omnes Judeæ civita- „ tes ita erat exigua, ut hodieque villa appel- „ letur, noluit quemquam de cujuſquam ter- „ renæ civitatis ſublimitate gloriari. Pauper „ etiam factus eſt, cujus ſunt omnia, & per „ quem creata ſunt omnia: ne quiſquam cùm „ in eum crederet, de terrenis divitiis aude- „ ret extolli. Noluit Rex ab hominibus fieri, „ quia humilitatis oſtendebat viam miſeris, „ quos ſuperbia ab eâ ſeparaverat; quamvis „ ſempiternum ejus regnum univerſa creatura „ teſtetur. Eſurivit, qui omnes paſcit: ſiti- „ vit, per quem creatur omnis potus; & qui „ ſpiritaliter panis eſt eſurientium, fons eſt ſi- „ tientium. Ab itinere terreſtri fatigatus eſt, „ qui ſeipſum nobis viam fecit in cælum. „ Velut obmutuit & obſurduit coram con- „ vitiantibus, per quem mutus locutus eſt, & „ ſurdus audivit. Vinctus eſt, qui nos de in- „ firmitatum vinculis ſolvit. Flagellatus eſt, „ qui omnium dolorum flagella de hominum „ corporibus expulit. Crucifixus eſt, qui cru- „ ciatus noſtros finivit. Mortuus eſt, qui „ mortuos ſuſcitavit. Sed & reſurrexit, nun- „ quam moriturus; ne ab illo quiſquam ſic „ diſceret mortem contemnere, quaſi nun- quam victurus". Quoniam igitur tot ac tanta benevolentiæ atque patientiæ documenta & exempla unus Chriſtus in ſeipſo ac de ſeipſo fidelibus præbuit, facilè quiſque perſpicit quàm congruè toti Eccleſiæ, & ſingulis quoque ejus membris, dicatur *Coph*, id eſt, *Aſpice:* nimirùm *in authorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.* Sunt denique alia duo, quorum jugis *aſpectio* magnopere congruit Eccleſiæ, cruciatus ſcilicet gehennalis criminoſis imminens, & remuneratio ſupercæleſtis devotis repoſita. De prioris quotidiana *aſpectione* diximus ſuperiùs §. 93. De poſterioris item *aſpectione* exemplum in ſe præbuit nobis Moyſes, qui, ut Apoſtolus ſcribit, *Grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti: ASPICIEBAT enim in remunerationem,*

Cantic. 1. 7.

A. Bernard. Serm. 35. in Cant.

B. Ambr. in Pſalm. 118. octonario 2. Vide l. 6. Hexam. c. 7. & 8.

Cantic. 1. 7. iuxta 70.

Hebr. 12. 1. & 2.

C. Aug. l. de Catech. Rudibus c. 22.

Vide ſuprà §. 93.

Heb. 11. 24. & ſeqq.

Ad hujus igitur exemplum congruit Eccleſiæ, ut *aſpectu* atque intuitu futurę remunerationis, patienter toleret quamlibet tribulationem.

CXVI. Tertia interpretatio litteræ *Coph* eſt *concluſio*, quæ vel paſſivè ſumi poteſt, vel activè: & quanquam utrovis modo adaptari poſſit Eccleſiæ, Ambroſius tamen paſſivam

D. Amb. in Pſalm. 118. Octonar. 19. concluſionem videtur præferre: D. Littera „ decimanona, inquiens, eſt *Coph*, cujus in„ terpretatio eſt *concluſio*; &, ſicut alibi inve„ nimus, *Aſpice*. Diſtat littera, congruit ſen„ ſus: nam qui *concluditur*, circumſpicere ſe „ debet, & cauſam periculi non diſſimulare, maximè cùm læthale diſcrimen ſit". Ubi non ait, qui concludit; ſed paſſivè, *qui concluditur*. Similiter quoque Sponſus in Canticis non ait,

Cant. 4. 12. hortus concludens; ſed paſſivè, *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus*. Ubi

E. Theodoretus in caput 4. Cantic. v. 12. Theodoretus: E. *Hortum* nominat Sponſam, „ inquit, ut quæ non unum pietatis virtutiſque „ fructum, ſed multos & varios ferat. *Con*„ *cluſum* autem, quòd munitus ſit, nec inſidiis

Matt. 16. 18. „ expoſitus: nam *Porta inferi*, inquit, *non prævalebunt adverſus eam*". Ubi cavendum ne quis hinc elicere velit, Eccleſiam non pati inſidias; cùm ex adverſo conſtet non ceſſare antiquum

Gen. 3. 15. ſerpentem *inſidiari calcaneo eius*. Cùm ergo Theodoretus negat eam *inſidiis exponi*, de prævalentibus duntaxat inſidiis intelligendus eſt: prout ſubjuncta ab eo probatio evincit. Atque ita intellexit hanc *concluſionem* venerabilis Be-

F. Beda l. 4. in caput 4. Canticor. da: F. *Concluſus*, inquiens, eſt hortus iſte, „ quia Domini ac Redemptoris ſui protectio„ ne munita perſiſtit Eccleſia, ne improbâ un„ quam vel hominum infidelium vel immun„ dorum ſpirituum irruptione violetur, & „ à fructuum cæleſtium prolatione paſſim conculcata retardetur". Concluditur ergo Eccleſia, tanquam hortus floribus conſitus, muro inexpugnabili divinæ protectionis, ne hoſtilibus inſidiis unquam ſuccumbat; aut tentationibus infeſtetur, quibus ipſa non prævaleat. Quem murum ſibi ipſa circumduci poſtulat, & impetrat, cùm in Eccleſiaſtico officio ait

G. Eccleſia in Antiphona ad *Magnificat*, in primis veſperis Dominicæ III. Novembris. Deo: G. *Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine, & armis tua potentia protege nos ſemper.* Non repellit Dominus poſtulationem iſtam, & ideò non ſolùm muro eam circumcingit, ſed

Iſa. 62. 6. & murorum cuſtodes conſtituit: *Super muros tuos Hieruſalem*, inquiens, *conſtitui cuſtodes*. Qui ſunt hi cuſtodes, niſi montes de quibus ſcriptum eſt cùm de habitatore Hieruſalem

Pſal. 124. 2. eſſet ſermo, *Montes in circuitu eius?* Rurſùs ne fortè quis attentâ obſidentium multitudine ac potentiâ deſperaret poſſe ab his cuſtodiri

Ibid. religionis arcem, additur continuò, *Et Dominus in circuitu populi ſui*: non utique ad tempus, ſed

Ibid. *Ex hoc nunc uſque in ſeculum.* Ubi Hilarius: H. Ne

H Hilar. in Pſalm. 124. v. 2. „ leve præſidium, inquit, in Apoſtolis, vel „ Patriarchis, ac Prophetis, vel potiùs in An„ gelis qui Eccleſiam quâdam cuſtodiâ cir„ cumſepiunt, crederemus; adjectum eſt, *Et* „ *Dominus in circuitu populi ſui ex hoc nunc & uſque* „ *in ſeculum*. Sed fortè Apoſtolorum vel An„ gelorum cuſtodia ſufficiens exiſtimetur? Ve„ rum id quidem eſt, ſed & Moyſen audia„ mus: cui cùm Dominus dixiſſet, *Ecce An-* Exod. 32. 34.
„ *gelus meus antecedet te*, reſpondit ille: *Niſi tu* Exod. 33. 15.
„ *mecum ambulaturus es, ne me expellas hinc*. Bo„ num quidem præſidium Angeli, ſed melius „ Domini. Multis anima noſtra laqueis ap„ petitur, multis adverſùs nos armis dimica„ tur. Non terra, non maria, non aër à fidei „ noſtræ periculo vacant: rapiunt oculos „ noſtros raræ incogniti maris gemmæ, occu„ pat animam terræ aurum, totis nos mortis „ noſtræ illecebris ſpiritales nequitiæ & aëris „ hujus virtutes circumvolant: per vitæ præ„ ſentis moleſtias, per alienæ voluntatis mo„ res atque laſciviam inſidiantes, ut iraſcamur, „ ut oderimus, ut amemus, undique expec„ tamur & appetimur. Sciens ergo Dominus, „ non adverſùs carnem & ſanguinem nobis „ pugnam eſſe, ſed adverùs Mundi hujus Po„ tentes, & nequitias ſpiritales, ait Euangelia „ conſummans: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus* Matt. 28. 20.
diebus uſque ad conſummationem ſeculi". Ex quibus omnibus abundè claret quàm congruenter attribuatur Eccleſiæ littera *Coph*, juxta eam interpretationem quâ denotat *concluſionem*, atque inſuper juxta eam quâ importat *circumdationem* vel *fortificationem*. Nam *circumdatio* prorſùs coincidit cum *concluſione* mox explanatâ, niſi fortè quis malit eâ interpretatione alludi ad illam *circumdationem* de quâ Pſalmiſta in Epithalamio Chriſti & Eccleſię ſic ait Sponſo:

Pſal. 44. 10. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Sed hæc quoque alluſio nequaquam à ſcopo noſtro recedit, quandoquidem Eccleſia ſit illa ipſa *Regina*, quæ à dextris adſtat Sponſo, *circumdata* varietate. Porrò *Fortificatio* vel eſt ipſa *circumdatio* priori modo ſumpta, quo coincidit cum *concluſione*; vel certè ex eâ reſultat. Eo quippe ipſo Eccleſia *fortificatur*, quo adverſùs hoſtiles inſidias & inſultus, inexpugnabili divinæ protectionis muro circumcingitur: quia *Turris fortiſſima no-* Prov. 18. 10.
men Domini; & juxta Apoſtolum, *Si Deus pro* Rom. 8. 31.
nobis, quis contra nos? Verùm ne Mulier fortis muro iſto circumcincta dedat ſe otio quaſi ſecura, ingeritur ei iterùm littera *Coph*, quatenùs ea interpretatur *circumcurre*: tanquam diceretur ei, Non ſic *concluderis*, non ſic *circumdaris* divinæ protectionis muro, ut otioſa jacere, aut in utramque aurem dormire debeas: ſed potiùs ut vigiles, atque non ſolùm per vicos & plateas, ſed per muros quoque indefeſſè *circumcurras*. I. Neque enim ob hoc, inquit „ Proſper, cæleſtium armorum præſidio à „ dextris & ſiniſtris inſtruitur Chriſtiana mi- I. Proſp. l. 2. de vocatione Gent. cap. 35.
litia,

Digitized by Google

,, litia, ut nullo cum hoſte confligat; cùm ,, laudabilius utique ſit atque felicius, pugnan- ,, tem non poſſe vinci, quàm deſidem non po- ,, tuiſſe tentari". Et mox iterùm capite ſe- quenti: " Quamvis ergo, inquit, quod ſtatuit ,, Deus nullâ poſſit ratione non fieri, ſtudia ta- ,, men non tolluntur orandi; nec per electio- ,, nis propoſitum, liberi arbitrii devotio re- ,, laxatur: cùm implendæ voluntatis Dei ita ,, ſit præordinatus effectus, ut per laborem ,, operum, per inſtantiam ſupplicationum, per ,, exercitia virtutum fiant incrementa meri- ,, torum; & qui bona geſſerint, non ſolùm ,, ſecundùm Dei propoſitum, ſed etiam ſecun- ,, dùm ſua merita coronentur". Supereſt ea duntaxàt interpretatio, quâ littera *Coph* denotat *Simium* ſive *Simiam*: quam quidem interpretationem congruere Eccleſiæ facilè perſpiciet, qui binas potiſſimùm hujuſce animalis proprietates à Phyſicis celebratas perpenderit; quarum prima hiſce verbis apud Plinium extat

K. Plin.l.8. cap. 54. expreſſa: K. *Simiarum generi præcipua erga fœtum affectio eſt.* Hoc citra ullum dubium quadrat

L. Ambr.ſ. in caput 7. Lucæ. in Eccleſiam: L. Quæ, teſte Ambroſio, pro ,, ſingulis, tanquam pro unicis filiis mater ,, vidua, intervenit; compatitur enim quo- ,, dam ſpiritali dolore naturæ, cùm ſuos li- ,, beros læthalibus vitiis ad mortem cernit ,, urgeri. Viſcera ſumus de viſceribus ejus: ,, ſunt enim & ſpiritalia viſcera, quæ habuit

Phil. v.20. ,, Paulus, dicens: *Ita frater, ego te fruar in Do-* ,, *mino, refice viſcera mea in Chriſto.* Nos ergo ,, viſcera ſumus Eccleſiæ, quoniam membra ſu- ,, mus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus". Altera denique animalis hujus proprietas eſt antipathia ac perpetua inimicitia cum leone, qui ejus eſu magnoperè delectatur, præſertim quando febrili fervore vexatur. Qua de re idem Ambroſius l.6 Hexam.c.4. ita ait:" Leo ,, æger Simiam quærit, ut devoret; quò poſſit ſanari". Veniat igitur nobis in mentem inveteratus ille Eccleſiæ hoſtis, cui dictum eſt:

Inimicitias ponam inter te & mulierem. Meminerimus præterea Petrum Apoſtolum ſeriò admonuiſſe fideles ſobrietatis ac vigilantię; additâ Gen. 3.15.

ratione, *quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Habemus ergo inveteratam inimicitiam diaboli & Eccleſiæ, perinde ac leonis & ſimiæ: habemus præterea circuitiones diaboli ardenter quærentis Eccleſiam ad devorandum; perinde ac leonis, venantis ſimias ad deglutiendum. Ac per hoc, ſicut diabolo congruit metaphora leonis, ita Eccleſiæ metaphora *ſimiæ* vel *ſimij*. 1.Pet.5,8.

PRÆOCCVPATIO. Nec obſtat quòd diabolus nunquam reipsâ devoret Eccleſiam, Leo autem crebrò devoret ſimiam. Etenim devorat ille Eccleſiam affectu, & quoad aliqua ejus membra etiam effectu; ſicut & Leo totum ſimiarum gregem devorat affectu, & quaſdam inde individuales ſimias etiam effectu. Patet igitur quomodò univerſæ ac ſingulæ interpretationes litteræ *Coph*, §. 114. exhibitæ, congruant *Mulieri forti*, ſive Eccleſiæ.

CAPUT XXXV.

Decimusnonus ejuſdem Alphabetici carminis verſiculus variè tranſlatus ſiſtitur, & Scripturæ mos annuntiandi futura ſub præteriti temporis figurâ expenditur. Deus cuncta pariter tempora ac temporalia ſempiterno ſtabiliq́ue intuitu comprehendit, atque omnibus omnia jam retribuit, qui quæ ſunt futura jam fecit. *In noviſſimo Iudicij die Mulier fortis à ſuis filijs redivivis rediviva beatificabitur, & à ſuo viro majeſtuosè judicante præconizabitur. Eo potiſſimùm tempore extollenda ſunt merita ſanctitatis, quo nec laudanti nocere poteſt adulatio, nec laudatum tentare elatio. In hujus Mundi pelago navigantibus metuendum eſt, ne navis quâ vehuntur aut procellis tempeſtatum abripiatur, aut fluctibus incurſantibus abſorbeatur, aut in prædam à piratis inſidiantibus abducatur. Mulieris fortis vox eſt*, Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim *&c. Æmuli Eccleſiæ inſtar muſcarum circumvolant per totius corporis membra, ut ſicubi inveniant vulnerata, exprobrent: ſana pungunt, ægra lambunt, & eorum ulceribus vermes affundunt; vibices improperant, cùm ipſi putoribus ſqualeant; feſtucas objiciunt, cùm ipſi trabium mole oppreſſi caligent.*

CXVII. NUnc videamus & elucidemus ipſum verſiculum, cujus initialem litteram variis interpretationibus diſpanſam toto ſuperiori capite penſiculavimus. Is in vulgatâ editione ſic jacet: *Surrexerunt filii eius, & beatiſſimam prædicaverunt; vir eius, & laudavit eam.* Pagninus ita Prov.31.28.

Digitized by Google

ita vertit, *Surrexerunt filii eius, & beatam dixerunt; vir eius, & laudavit eam.* Vatablus ſic de præſenti, *Surgunt filii eius, & beatam dicunt eam; Vir eius ſurgit, & laudat eam.* Septuaginta Interpretum latinizata editio ſic habet, *Eleëmoſyna autem eius ſuſcitavit filios eius, & ditati ſunt; & vir eius laudavit eam.* Ambroſius legit, *Surrexerunt filii eius, & divites facti ſunt; & vir eius laudavit eam.* Auguſtinus eodem modo, niſi quòd pro *divites facti ſunt*, legat *ditati ſunt:* quod prorsùs ſynonymum eſt. Uterque quoque conſentienter cenſet alludi hìc ad diem extremi Judicii, quo filii hujus *Mulieris fortis* à morte reſuſcitati, ac immortalitatis dote locupletati, in conſeſſu ſupremi Judicis *cum ſenatoribus terræ*, proſilient in laudes matris ſuæ, eamque prædicabunt beatiſſimam, feliciſſimam, proſperrimam:

Vide ſuprà § 17.

M. Ambroſ. in caput 31. Proverbior. cap. 21. & Aug. Serm. 45. de Diverſis c. 17.

M. Si filius es Mulieris „ hujus, inquiunt ipſi, attende quando divitiæ „ tibi promittantur: *Surrexerunt*, ait, *filii eius, „ & divites facti ſunt.* Para ergo te divitias re„ ſurrectionis accipere: noli terrenas amare „ divitias, ut merearis ad has pervenire. *Et vir „ eius laudavit eam:* nos eam laudamus, ſed non „ de noſtro, quia præſentia nos modò dele„ ctant: ipſe vir laudat eam. Sed quando ſur„ rexerunt filii ejus ditati, tunc attendit eam, „ tunc inſpexit, tunc laudavit. Quis nolit au„ dire quomodò laudaverit? Si tam jucundè „ auditis cùm laudatur à nobis, quomodò „ non audietis cùm laudatur à viro? Sed hic „ eam laudat in reſurrectione: cùm ergo re„ ſurgemus, tunc audiemus. At etiam modò non tacuit laudem ejus".

SCRUPULUS.

Mirum forſan cuipiam videbitur referri hunc verſiculum ad tempus noviſſimi Judicii, cùm Salomon non utatur verbis futuri temporis juxta ullas verſiones, ſed verbis temporis præteriti juxta omnes, exceptâ duntaxat Vatablianâ, quæ utitur verbis temporis præſentis. Quomodò igitur verba ejus putantur reſpicere extremum Judicium, quod nec hodie adhuc peractum eſt, nedum tempore Salomonis, qui à tot jam annorum centuriis ſcripſerat de præterito, *Surrexerunt, prædicaverunt, laudavit?*

EXCUTITUR.

Hæc admiratio ceſſabit, ſi Scripturarum Sanctarum conſuetudo perpendatur, quæ crebrò ad inculcandam eventus certitudinem, per formam præteriti annunciant futurum:

N. Auguſt. l. 1. de Serm. Domini in monte c. 21. Vide Epiſt. 80.

N. Prophetæ, in„ quit Auguſtinus, figurâ præteriti temporis, „ ea quæ ventura erant ſæpe cecinerunt: ſicut „ eſt illud, *Quare fremuerunt Gentes, & populi „ meditati ſunt inania?* (Pſal. 2. 1.) Non enim dixit, Quare „ frement Gentes, & populi meditabuntur „ inania? cùm ea non quaſi jam tranſacta me„ miniſſet, ſed ventura proſpiceret. Tale „ etiam illud eſt, *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, „ & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* (Pſal. 21. 17.) Et hìc „ enim non dixit, Divident ſibi veſtimenta „ mea, & ſuper veſtem meam mittent ſortem. „ Nec tamen de his verbis quiſquam calum„ niatur, niſi qui non ſentit varietatem iſtam „ figurarum in loquendo nihil veritati rerum „ minuere, & plurimum afferre affectibus animarum". Cur autem apud ſacros Scriptores modus iſte loquendi uſitetur, indicat idem Auguſtinus in Pſalmum 3. nimirùm " Quia ea „ quæ ventura prophetantur, ſecundùm tem„ pus quidem futura ſunt, ſecundùm ſcien„ tiam verò prophetantium jam pro factis habenda". Et in Pſalmum 84. " Utitur Pro„ pheta verbis quaſi jam præteriti temporis, „ tanquam facta dicens quæ futura erant: „ quia apud Deum etiam *quod futurum eſt, iam „ factum eſt.* (Iſa. 45. 11. juxta 70.) Ibi ergo Propheta videt futura „ nobis, jam verò facta in illius providentiâ & prædeſtinatione certiſſimâ". Hinc Beatus Proſper Auguſtini veſtigia inſecutus:

O. Proſper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 31.

O. Om„ nes varietatum compugnantiæ, inquit, & „ univerſæ diſſimilium proventuum cauſæ, „ quas inveſtigare & diſcernere non valemus, „ in illâ æternâ ſcientiâ ſimul notæ ſimulque „ diviſæ ſunt: & nihil ibi inordinatum eſt, „ etiam de necdum exiſtentium qualitatibus „ actionum; quoniam non eſt in Deo acci„ dens motus, aut nova voluntas, aut tem„ porale conſilium; nec cogitatio ejus cum „ rerum mutabilium inæqualitate variatur, „ ſed cuncta pariter tempora & temporalia „ ſempiterno ac ſtabili comprehendit intuitu, „ & omnibus omnia jam retribuit, *qui quæ ſunt futura, iam fecit*". Similiter & Fulgentius:

P. Fulg. l. 1. de veritate prædeſtinat. cap. 2.

„ P. Magna eſt, inquit, altitudo ſapientiæ & „ ſcientiæ Dei: quibus divitiis plenus omnia „ futura & ſcienter cognovit, & ſapienter „ præordinavit. Cui utique non inconvenien„ ter dicitur, *Ecce tu Domine cognoviſti omnia, „ noviſſima & antiqua:* (Pſal. 138. 5.) & quem veraciter futu„ ra opera ſua jam feciſſe Beatus prædicat „ Iſaias, dicens: *Qui fecit quæ futura ſunt.* (Iſa. 45. 11. juxta 70.) Fu„ tura quippe opera ſua eo jam fecit, quo in„ commutabiliter facienda diſpoſuit: unde „ rectè quicquid facturus eſt, jam ab ipſo fa„ ctum dicitur, in cujus operibus faciendis „ æterna diſpoſitio & incommutabilis invenitur". Qui rursùs lib. 1. ad Monimum c. 12. confirmat hanc ipſam loquendi normam authoritate Apoſtoli, ſcribentis ad Romanos de Deo, *Quos iuſtificavit, illos & glorificavit:* (Rom. 8. 30.) " Di„ cens igitur Paulus, ait ipſe ibi, *Quia quos „ Deus iuſtificavit, illos & glorificavit*, non utrum„ que præſenti vitæ deputat: ſed eâ fide quod „ futurum eſt velut factum firmat, quâ fide „ Propheta de Deo dicit, *Qui fecit quæ futura ſunt*". Et mox iterum poſt pauca: Vera im„ mutabilitas, ſubdit, dignè vera vocatur „ æternitas: in quâ æternitate incommutabi„ lis voluntatis ſuæ creator ille jam *feciſſe* di„ citur, quod in creaturâ mutabili prout op„ portunè faciendum diſpoſuit, ſic ritè diſpo-

ſitum

„ ſitum facit: & ideò quæcunque promiſit, „ jam facta dicimus; quia de faciendis dubitare non debemus". Et Auguſtinus loquens de electis, à Deo ſecundùm propoſitum vocatis: Q. Liberati à peccato, inquit, ſervi facti „ ſunt juſtitiæ, in quâ ſtabunt uſque in finem, „ donante ſibi illo perſeverantiam, qui eos „ præſcivit, & prædeſtinavit: & ſecundùm „ propoſitum vocavit, & juſtificavit, & glo- „ rificauit: quoniam illa quæ his promiſit, etiam *futura iam fecit*".

Q. Aug. l. de Corrept. & Grat. c. 13.

CXVIII. Hujus igitur conſuetudinis ſacris vatibus familiaris non ignarus Salomon, cùm certiſſimè prævideret ea quæ in noviſſimo Judicii die eventura ſunt, ait per figuram præteriti temporis de Muliere forti: *Surrexerunt filii ejus, & beatiſſimam prædicaverunt; vir ejus, & laudavit eam.* Ubi Beda & Rabanus conſentienter aiunt: R. Quod futurum pro „ certo Salomon noverat, more prophetico „ quaſi jam factum refert. Surgent enim filii „ Eccleſiæ, videlicet omnes electi, in noviſ- „ ſimo die, carnis immortalitate donati; & „ tunc matrem ſuam, quæ eos ex aquâ & „ Spiritu ſancto genuerat, beatiſſimam præ- „ dicabunt; quæ nunc ab infidelibus quaſi „ miſera contemnitur. Et reverà, ſicut Apo- „ ſtolus ait, *Si in hac vitâ tantùm ſperantes ſu- „ mus in Chriſto, miſerabiliores ſumus omnibus ho- „ minibus.* Quia verò pro vitâ aliâ in præſenti „ militamus, meritò cùm apparuerit quod eri- „ mus, matrem noſtram, quæ ex omnibus ju- „ ſtis collecta, una Chriſti columba, Sponſa, „ & amica vocatur, beatiſſimam prædicabi- „ mus. Surget & *vir ejus, & laudabit eam*, di- „ cens in Judicio: *Venite benedicti Patris mei, „ poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione „ Mundi: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare* „ &c. Qui quidem ipſe *Primitiæ dormientium re- „ ſurrexit à mortuis*, ſed in die Judicii manife- „ ſtiùs omnibus, quos ſuâ laude dignos judi- „ caverit, quanta ſit ejuſdem ſuæ reſurrectio- „ nis gloria, demonſtrabit. Poteſt & hoc quod „ dicitur, *Surrexerunt filii ejus, & beatiſſimam „ prædicaverunt*, etiam in hoc tempore conve- „ nienter accipi; cùm quilibet fidelium, tranſ- „ cenſis ſæculi ærumnis, ad cæleſtia regna per- „ ducuntur: *ſedere* namque ad humiliationem „ aliquoties, *ſurgere* ad gloriam pertinet. Un- „ de dicitur, *Olim in cinere ſedentes pœniterent*, „ id eſt, humiliati: & Propheta ait, *A facie „ manûs tuæ ſolus ſedebam, quia comminatione re- „ pleſti me*: ſed & Pſalmiſta, *In vanum eſt vobis*, „ inquit, *ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſe- „ deritis, qui manducatis panem doloris*: quod eſt „ apertè dicere, Quid in præſenti quæritis „ gaudere, quod electis in futuro reſervatur? „ Non enim poteſtis in hac vitâ, id eſt, ante „ lucem ſupernæ retributionis, gloriam veræ „ felicitatis habere: quin potiùs poſtquam hìc „ humiliati fueritis ad tempus, illic vos in „ perpetuum veraciter exaltandos ſperate: vos, „ inquam, quibus amarum eſt omne, quod „ ſæculi amatoribus jucundum videtur & „ dulce. Surgunt ergo filij Eccleſiæ, *& bea- „ tiſſimam eam* prædicant, quùm cæleſtibus „ bonis ſublimati; quanta ſit illius patriæ bea- „ titas, cujus participes eſſe meruerunt, aſpi- „ ciunt, & hanc debitâ laudatione in divinâ „ viſione concelebrant. *Laudat vir ipſius*, cùm bona, quæ ipſe donavit, remunerat". Prior horum expoſitio reipsâ coincidit cum eâ, quam ſuperiori §. ex Auguſtino & Ambroſio adduximus: nam quod hoc verſiculo de Muliere forti à filiis ſuis & viro prædicandâ traditur, utrobique ad tempus Judicii univerſalis refertur; ubi quiſque ſecundùm ſua merita vel demerita, laudibus reſpectivè aut reprehenſionibus, coram toto Mundo, cumulabitur. Poſterior autem horum expoſitio in hoc ab alterâ diſcrepat, quòd ejuſdem Mulieris fortis laudes etiam ad tempus fluentis adhuc ſæculi anticipet, quanquam præcones non niſi vitâ functos adhibeat: eos nimirùm, qui, *Tranſcenſis ſæculi ærumnis, ad cæleſtia regna perducuntur.* Hi enim in cælum ſecundùm animas introducti non differunt laudes matris ſuæ in extremum Mundi diem: ſed in meridiana jam luce cernentes veritatem dogmatum & ſanctitatem rituum ab Eccleſia ſibi hìc traditorum, prorumpunt in laudes tantæ Matris ac Magiſtræ, quæ eos ſpiritaliter conceperat, foverat, pepererat, lactaverat, educaverat, erudierat, rectâ fide ac probis moribus imbuerat, & per arctas diſciplinæ ſalutaris ſemitas in civitatem habitaculi tranſmiſerat: in quam intromiſſi exclamant gratulabundi pariter & exultabundi: *Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri.* Tanquam dicerent, Nihil nobis impoſuit Mater ac Magiſtra noſtra, omnia hìc ita reperimus ſicut ipſa nobis reperienda prædixerat. Dicunt ergo ei cum ingenti gratiarum actione: *Omnia quæ locuta es vera ſunt, & non eſt in ſermonibus tuis ulla reprehenſio.* Addunt & acclamationem, qualem clerus cum Pontifice ad victricem Juditham: *Tu gloria Hieruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri: quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eò quòd caſtitatem amaveris, & alterum poſt virum tuum neſcieris: ideò & manus Domini confortavit te, & ideò eris benedicta in æternum.* Sed nec illud omittunt ex Eccleſiaſtico officio ſumptum: *Hæc eſt præclarum vas paracleti Spiritûs Sancti, hæc eſt glorioſa Civitas Dei; hæc eſt mulier virtutis, quæ contrivit caput ſerpentis.* Illud denique ex Bedæ Homiliis acroama ſumptum conſonâ voce ingeminant: S. O verè beata „ Mater Eccleſia, quam ſic honor divinæ dig- „ nationis illuminat, quam vincentium glo- „ rioſus Martyrum ſanguis exornat, quam

Prov. 31. 28.

R. Beda & Rabanus in cap. 31. Proverb. v. 28. item Beda l. de Muliere forti, litt. Coph.

1. Cor. 15. 19.

Matt. 25. 34. & 35.

1. Cor. 15. 20.

Luce 10. 13.

Hier 15. 17.

Pſal. 126. 2.

Pſal. 47. 9.

Judith. 8. 28.

Judith. 15. 10 & 11.

S. Beda Homil. 18 de Sanctis.

„ inviolata confeſſionis candida induit virgi-
„ nitas! Floribus tuis nec roſæ, nec lilia de-
„ ſunt: certent nunc ſinguli, ut ad utroſque
„ honores ampliſſimam accipiant dignitatem,
„ coronas vel de virginitate candidas, vel de
„ paſſione purpureas: in cæleſtibus caſtris pax
„ & acies habent flores ſuos, quibus milites
Chriſti coronantur".

DUBIUM. CXIX. Cum verò in hujus etiam ſæculi
ærumnis adhuc conſtituti Eccleſiæ filii non
negligant matrem ſuam collaudare, ac beatiſ-
ſimam prædicare; quam ob cauſam prædicti
Tractatores maluerint Salomonicum iſtum
verſiculum ad præcones futuræ vitæ, quàm
DECISIO. præſentis referre? Reſponderi poteſt primò,
Prov. 31. 28. eos attendiſſe ad verbum, *ſurrexerunt*, quod
crebrò in Scripturis denotat reſurrectionem à
mortuis ad vitam immortalem, prout cernere
licet Matth. 12. & Marc. 16. & Luc. 24. &
1. Cor. 15. Secundò eos animadvertiſſe, plu-
ris apud homines plerunque fieri teſtimonia
mortuorum, quàm adhuc viventium; prout
colligi poteſt ex verbis divitis epulonis Luc.
16. 30. Hinc igitur exiſtimarunt Salomonem
loqui de eo tempore quo præcones Mulieris
fortis pleniſſimam apud homines fidem facere
poſſent. Tertiò denique reſpexiſſe eos pecu-
liariter in priori ſuâ expoſitione ad tempus
extremi Judicii, eò quòd Eccleſia ante illud
tempus conſummatura ſit integram peregri-
nationis ac militiæ ſuæ periodum: ut proinde
laudari tunc ſecuriùs poſſit. Scriptum quippe
Eccli. 11. 30. eſt, *Ante mortem ne laudes hominem quemquam:*
T. Maximus Homil. 59. quæ eſt 2. de S. Euſebio Vercell. „ T. Tanquam diceretur, inquit Maximus
„ Taurinenſis, lauda poſt vitam, magnifica
„ poſt conſummationem. Duplici enim ex
„ cauſâ utilius eſt hominum magis memoriæ
„ laudem dare, quàm vitæ: ut illo potiſſi-
„ mùm tempore merita ſanctitatis extollas,
„ quando nec laudanti adulatio nocet, nec
„ laudatum elatio tentat. Lauda ergo poſt
„ periculum, prædica ſecurum; lauda navi-
„ gantis felicitatem, ſed cùm pervênit ad por-
„ tum; lauda ducis virtutem, ſed cùm per-
„ ductus eſt ad triumphum. Quis autem vi-
„ vens tutò poſſit ac ſine trepidatione laudari,
„ qui & de præterito meminit ſe habere quod
„ doleat, & de futuro videt ſibi ſupereſſe
„ quod timeat? Qui verò in hoc corpuſculo
„ poſiti debeant ſibi quidquam vendicare de
„ meritis, quos iterum dæmonum infeſtatio
„ velut latronum obſidet multitudo, quibus
„ per omnes vias ſupplantatores inviſi anima-
„ rum laqueos tendunt, innumerabilium mor-
„ tibus expaveſcendos? Navigantibus enim
Pſal. 103. 25. & 26. „ nobis per *hoc mare magnum & ſpatioſum*, *in*
„ *quo ſunt reptilia quorum non eſt numerus*, *anima-*
„ *lia puſilla & magna*, id eſt, diverſa genera ini-
„ micorum, qui ſecundùm noſtrarum virium
„ quantitatem compenſato nobiſcum agone
„ luctantur: in hujus utique Mundi pelago
„ valde nobis pertimeſcendum eſt, ne navem
„ noſtram aut procella tempeſtatis abripiat,
„ aut fluctus abſorbeat, aut in æternam præ-
dam pirata crudelis abducat". Ob has ergo
rationes viſum fuit præfatis Tractatoribus lo-
cum iſtum Salomonis ad futuræ vitæ præco-
nes referre: Arboreus tamen ita eundem lo-
cum exponit, ut nec futuræ vitæ nec noviſſi-
mæ reſurrectionis mentionem ingerat ullam.
Verba ejus ſunt: V. Veri & germani Eccleſiæ V. Arboreus in caput 31. Proverbior. v. 28.
„ filii miris encomiis ſuæ matris dotes, gra-
„ tias, & inſignem excellentiam decantant &
„ extollunt, eamque *beatiſſimam prædicant*. Nec Prov. 31. 28.
„ immeritò: nam *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe-* Ephеſ. 5. 25. & ſeqq.
„ *ipſum tradidit pro eâ, ut illam ſanctificaret, mundans*
„ *eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi*
„ *glorioſam, non habentem maculam aut rugam aut*
„ *aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.*
„ Et *Vir ejus*, ſcilicet Chriſtus, *laudavit eam:* Prov. 31. 28.
„ nam in Cantico Canticorum exiſtimat ſuam
„ Sponſam eſſe *pulcherrimam mulierum*, & in- Cant. 1. 7.
„ ſigni commendatione de eâ dicit, *Amica* Cant. 2. 10.
mea, columba mea, formoſa mea". His addi poteſt
ampliſſimum illud encomium quo Deus ean-
dem exornavit ſtatim à lapſu humani generis,
dicens de eâ ad hoſtem antiquum, *Ipſa conte-* Gen. 3. 15.
ret caput tuum: prout ſuprà §. 46. vidimus. Vide ſuprà §. 46.
Multa quoque de eâ in Pſalmis decantata ſunt
ſub nomine *civitatis Dei*, quorum nonnulla
commemorat Auguſtinus, cùm ait: W. Civi- W. Auguſt. lib. 11 de Civit. c. 1.
„ tatem Dei dicimus, cujus ea Scriptura teſtis
„ eſt, quæ non fortuitis motibus animorum,
„ ſed planè ſummæ diſpoſitione providentiæ,
„ ſuper omnes omnium gentium litteras, om-
„ nia ſibi genera ingeniorum humanorum di-
„ vinâ excellens authoritate ſubjecit. Ibi
„ quippe ſcriptum eſt, *Glorioſa dicta ſunt de te*, Pſal. 86. 3.
„ *civitas Dei:* & in alio Pſalmo legitur, *Magnus* Pſal. 47. 2. & 3.
„ *Dominus, & laudabilis nimis, in civitate Dei*
„ *noſtri, in monte ſancto ejus, dilatans exultationes*
„ *univerſæ terræ:* & paulò pòſt in eodem Pſal-
„ mo, *Sicut audivimus, ita & vidimus in civitate* Ibid. v. 9.
„ *Domini virtutum, in civitate Dei noſtri, Deus*
„ *fundavit eam in æternum:* item in alio, *Flu-* Pſal. 45. 5. & 6.
„ *minis impetus lætificat civitatem Dei*, *ſanctifica-*
„ *vit tabernaculum ſuum Altiſſimus*, *Deus in medio*
ejus non commovebitur". Cæterùm quæcunque
& quantacunque magnifica de hâc civitate
prædicantur, eadem de *Muliere* noſtrâ *forti* præ-
dicantur: quoniam juxta eundem Auguſti- Vide ſuprà § 44.
num §. 44. cum Ambroſio relatum, Mulier
iſta fortis eſt ipſa Dei *civitas*, à Chriſto quæſi- Matt. 5. 14.
ta, inventa, humeris reportata, & *ſupra mon-*
tem poſita, *quæ abſcondi non poteſt*. Unde ab
Apocalyptico vate nunc *Mulier*, nunc *Uxor*, Apoc. 12. 1.
nunc *Sponſa*, nunc *Civitas* dicitur. Ab ipſius item Apoc. 21. 9. & 10.
Eccleſiæ filiis eidem acclamatur ſolemniter in
Hymno Eccleſiaſtico: X. *O ſorte nupta proſperâ*, X Hymnus in Dedicatione Eccleſiæ.
Dotata Patris gloriâ, *Reſperſa Sponſi gratiâ*, *Regina*
formo-

Digitized by Google

formoſiſſima, Chriſto iugata Principi, Cæli coruſca civitas! Et hæc quidem gratulanter acclamant matri ſuæ genuini Mulieris fortis filii, etiam in hujus adhuc ſæculi ærumnis peregrinantes, atque in medio nationis pravæ paululùm reſpirantes. Pſal. 17. 46. Sed obſtrepunt *filij alieni*, gratulationem hujuſmodi non modò interturbare, ſed & elidere ſatagentes; eo nimirùm prætextu, quòd in quibuſdam hujus Reginæ membris deformitatem cernant, aut vibices notent.

CAVILLATIO.

Verùm nos huic cavillationi obviavimus ſuperiùs §. 35. Obviavit quoque ipſa Mulier fortis, cùm ſub perſonâ Sponſæ præmoneret in Canticis (Cant. 1. 5.), *Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decoloravit me Sol: filij matris meæ pugnaverunt contra me.* Conſiderant tamen, & exaggerant fuſcedinem, nec attendunt reliqui corporis pulchritudinem, qui malunt *alieni* permanere, quàm genuinis filiis accedere. Videant interim quoſnam in hac criminatione imitentur præcurſores: Donatiſtas utique, de quibus Auguſtinus olim aiebat: [Y] Muſcæ ,,morituræ Donatiſtæ circumvolant per totius ,, corporis membra, ſicubi reperiant vulne- ,, rata: ſana pungunt, ægra lambunt, & eo- ,, rum ulceribus peccatorum vermes fundunt, ,, quæ conſcientiam mordeant, quæ animam ,, feriant, quæ putredinem nutriant, quæ nec ipſis mortuis cadaveribus parcant". Quoniam igitur non pudet *filios alienos* imitari priſcos illos prodromos ſuos, non pigebit nos regerere ipſis veterem illam verorum filiorum pro piâ pulchrâque Matre, ab Arianis ſimiliter inceſſitâ, expoſtulantiam: [Z] Ubi ſunt, qui ,, res noſtras, tam benè quàm ſecùs ſe haben- ,, tes, ſtudiosè ac diligenter obſervant, non ut ,, judicent, ſed ut improbent; nec ut nobis ,, gratulentur, ſed ut inſultent; atque ut bona ,, calumnientur, & mala tragicis verbis exag- ,, gerent, & ab alienis lapſibus excuſationem ,, ſuis vitiis quærant? ------ Ubi ſunt, qui ,, ſuorum quidem manſueti & placidi judices ,, ſunt, aliorum autem ſeveri cenſores, ut hic ,, quoque fucum veritati faciant? Ubi ſunt qui ,, vibices nobis probro vertunt; cùm ipſi vul- ,, neribus ſcateant? qui offendicula noſtra exa- ,, gitant, cùm turpiter ipſi prolabantur? qui ,, maculis noſtris gaudent, cùm ipſi in cœno ,, volutentur? qui feſtucas nobis objiciunt, ,, quæ nec inſidentes magnum dolorem affe- ,, runt & facilè depelli atque efflari ab oculis ,, poſſunt; cùm interim ipſi trabium mole oppreſſi caligent"?

Y. Aug. lib. contra Fulgent. Donatiſt. c. 14.

Z. Gregor. Nazianz. Orat. 13. quæ eſt ſecunda de Pace.

CAPUT XXXVI.

Vigeſimum ejuſdem Poëmatis verſiculum inchoat in Hebræo littera Res, *quæ interpretatur* capitis, *ut ſubaudias* corpus, *quod reſpectu Chriſti Sancta eſt Eccleſia. Myſtici capitis cum Phyſico analogia. Orat Chriſtus pro ſuo corpore, orat in eodem, & oratur ab eodem. Prophetavit Oſeas filios Iuda & filios Iſraël pariter congregandos, & ſingulari capiti ſubadunandos.* Optimates capita populorum. *Sicut Chriſtus* unum caput *eſt ſui corporis, ita* unus Paſtor *ſui gregis, unuſque* lapis angularis *duorum parietum in unam ſtructuram coaleſcentium. Chriſtus à Paulo dictus* Paſtor magnus, *à Petro* Princeps paſtorum, & Epiſcopus animarum; *ab Eccleſiâ item* Paſtor æternus. *Apoſtoli ijs, quos per Euangelium genuerunt, non ſuum, ſed Chriſti nomen indiderunt; ut appellarentur non* Petriani *aut* Pauliani, *ſed* Chriſtiani: *cujus rei typus ex Deuteronomio profertur.* Papiſtarum *nomen ab æmulis excogitatum in contumeliam, orthodoxus reverà cedit in gloriam.* Balaamum *ad maledicendum Dei populo conduxit iniquitas, ſed benedicere compulit veritas. Quâ ratione Chriſtus ſit Eccleſiæ* fundamentum, & *ſimul* lapis angularis ſummus? *Beatus Petrus eſt quidem Eccleſiæ fundamentum, non tamen præter Chriſtum, ſed ſubnixum Chriſto, tanquam fundamentorum fundamento.*

CXX. Vigeſimus Alphabetici hujus Poëmatis verſiculus initialem litteram habet *Res*, quæ vigeſima eſt ordine in ipſo Hebræorum Alphabeto, & juxta Hieronymum §. 48. relatum interpretatur *caput*, vel potiùs *capitis*: ut nimirùm noverimus, Eccleſiam eſſe corpus, non utique truncum, ſed capiti ſuo unitum atque ſubordinatum. Quodnam verò ſit caput

ſit caput iſtud, declarat Apoſtolus cùm ait:
Ephes. 5. 23. *Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ*; de quo ſuperiùs in eadem Epiſtolâ lo-
Ephes. 1. 22. & 23. quens: *Ipſum*, inquit, *dedit Deus caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo*
Col. 1. 18. *eius*: & item alibi de eodem differens, *Ipſe eſt*, inquit, *caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium*:
A. Ambroſ. in Pſal. 118. Octonario 20. „ A. Ut formam, inquit Ambroſius, generis
„ humani conſideremus, *caput* eſt quod fovet
„ membra omnia, & dirigit, atque implet
Eccle. 2. 14. „ ſenſibus; *Senſus* enim *Sapientis in capite eius*:
„ inde ductus venarum, meatuſque ſpirituum,
„ & ſanguinis rivi in corporis partes derivan-
„ tur: luſtrat omnia, ornat omnia. Sublato
„ capite corpus ſine nomine eſt, non agnoſci-
„ tur, nec ulla ſupereſt uſura vivendi: propter-
„ eà qui in aliquo damnatur crimine, orna-
„ mento totius corporis capite abdicatur; &
„ qui turpi vel ſceleſto reatu belluinæ obſcœ-
„ nitatis illuviem, vel beſtialis immanitatis
„ horrorem commiſiſſe detecti ſunt, tanquam
„ ii qui propoſito humanæ moderationis ex-
„ ciderint, formam quoque humanæ condi-
„ tionis jubentur exuere: reciſo enim capite,
„ reliqui corporis truncus corpori beſtiarum
„ comparatur; & ſapientiæ arce fraudatur, qui
„ ſapientiæ non potuit tenere rationem. Se-
„ pelitur igitur ſine decore ſuo corpus: in ca-
„ pite enim vigor vitæ, in capite eſt gratia
„ venuſtatis. Fertur coluber, cùm urgetur pe-
„ riculo, caput ſemper abſcondere, & in or-
„ bem ſe colligens, objectâ reliquâ corporis
„ parte hoc ſolum tueri, quòd læſa ferantur
„ membra cætera ſalvo capitis vigore reparari.
„ Hoc tu moraliter caput ſerva, hoc ſerva &
„ myſticè. Myſticum caput Chriſtus eſt, quia
„ omnia in ipſo conſtant, *Et ipſe eſt caput cor-*
„ *poris Eccleſiæ*: hoc caput qui amiſerit, vivendi
uſum habere non poterit". Et hunc ſecutus
B. Aug. l. de Agone Chriſtiano c. 20. Auguſtinus: B. Quamvis, inquit, eadem na-
„ tura ſit corporis Eccleſiæ, multùm tamen
„ diſtare inter caput, & membra cætera, quis
„ non intelligat? Si enim Eccleſiæ caput eſt
Ioan. 1. 14. „ homo ille, cujus ſuſceptione *Verbum caro fa-*
„ *ctum eſt & habitavit in nobis*, membra cætera
„ ſunt omnes Sancti, quibus perficitur &
„ completur Eccleſia. Quomodò ergo anima
„ totum corpus noſtrum animat & vivificat,
„ ſed in capite ſentit & videndo, & audien-
„ do, & odorando, & guſtando, & tangen-
„ do, in cæteris autem membris tangendo
„ tantùm; & ideo capiti cuncta ſubjecta ſunt
„ ad operandum, illud autem ſuprà colloca-
„ tum eſt ad conſulendum, quia ipſius animæ,
„ quæ conſulit corpori, quodammodò perſo-
„ nam ſuſtinet caput, ubi omnes ſenſus appa-
„ rent: ſic univerſo populo Sanctorum, tan-
1. Tim. 2. 5. „ quam uni corpori, caput eſt *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus*". Recitat Beda fra-
gmentum Sermonis ejuſdem Auguſtini, *de tri-*
plici modo intelligendi Chriſtum, ubi hæc inter alia
ad præſentem materiam ſpectantia habentur:
„ C. Caput & corpus unus Chriſtus, non quia C. Auguſt. apud Bedam in caput 1. ad Coloſſ. v. 18.
„ ſine corpore non eſt integer, ſed quia & no-
„ biſcum integer fieri dignatus eſt, qui abſque
„ nobis ſemper eſt integer; non ſolùm in eo
„ quod Verbum eſt unigenitus Filius æqualis
„ Patri, ſed etiam in ipſo homine quem ſuſce-
„ pit, & cum quo ſimul Deus & homo eſt.
„ Verùmtamen quomodò corpus ejus nos, ſi
„ non eſt nobiſcum unus Chriſtus? Ubi in-
„ venimus hoc, quia unus Chriſtus eſt caput
„ & corpus, id eſt, corpus cum capite ſuo?
„ Sponſa cum Sponſo ſuo quaſi ſingulariter
„ loquitur apud Iſaiam: certè unus idemque
„ loquitur. Et videte quid ait, *Velut Sponſo* Iſa. 61. 10.
„ *alligavit mihi mitram, & veluti ſponſam induit*
„ *me ornamento*: ut *Sponſus*, & ut *Sponſa*. Eun-
„ dem dicit *ſponſum* ſecundùm caput, & *ſponſam*
„ ſecundùm corpus: duo videntur, & unus
„ ſunt: alioqui quomodò membra Chriſti ſu-
„ mus, Apoſtolo apertiſſimè dicente, *Vos eſtis* 1. Cor. 12. 27.
„ *corpus Chriſti, & membra*? Membra Chriſti
„ & corpus omnes ſimul ſumus: non qui in
„ hoc tantùm loco ſumus, ſed & per univer-
„ ſam terram; nec qui hoc tantùm tempore:
„ ſed quid dicam? Ex Abel juſto, uſque in
„ finem ſæculi, quamdiu generant & gene-
„ rantur homines, quiſquis juſtorum per hanc
„ vitam facit tranſitum; quicquid nunc, id
„ eſt, non in hoc ſolùm loco, ſed in hac vita,
„ quicquid pòſt naſcentium futurum eſt, to-
„ tum hoc unum corpus Chriſti eſt, ſinguli
„ autem membra Chriſti. Si ergo omnes cor-
„ pus, ſinguli membra, eſt utique caput cujus
„ hoc ſit corpus: *Et ipſe eſt*, inquit, *caput cor-* Col. 1. 18.
„ *poris Eccleſiæ, primogenitus, ipſe primatum tenens*.
„ Et quia de illo ait etiam, quòd *ſit caput omnis* Col. 2. 10.
„ *principatûs & poteſtatis*, adjungitur iſta Ec-
„ cleſia quæ nunc peregrina eſt, illi cæleſti Ec-
„ cleſiæ ubi Angelos cives habemus; quia
„ æquales nos futuros poſt reſurrectionem
„ corporum impudenter nobis arrogaremus,
„ niſi Veritas promiſiſſet, dicens: *Erunt æqua-* Luc. 20. 36.
„ *les Angelis Dei*: & ſit una Eccleſia, *Civitas Regis* Pſal. 47. 3.
magni". Quanta autem dignitas quantaque
utilitas nobis hinc proveniat, quod tanquam
corpus huic tanto capiti coaptemur, & tan-
quam membra compaginemur, indicat idem
Auguſtinus Enarratione in Pſal. 85." Nullum,
„ inquiens, majus donum præſtare poſſet Deus
„ hominibus, quàm ut verbum ſuum per quod
„ condidit omnia, faceret illis caput, & illos
„ ei tanquam membra coaptaret: ut eſſet Fi-
„ lius Dei, & filius hominis, unus Deus
„ cum Patre, & unus homo cum homini-
„ bus: ut & quando loquimur ad Deum
„ deprecantes, non inde Filium ſeparemus;
„ & quando precatur corpus Filii non à ſe ſe-
„ paret caput ſuum, ſitque unus ipſe Salvator
corpo-

Digitized by Google

„ corporis ſui Dominus noſter Jeſus Chriſtus
„ Dei Filius, qui & oret pro nobis, & oret
„ in nobis, & oretur à nobis. Orat pro no-
„ bis, ut ſacerdos noſter; orat in nobis, ut
„ caput noſtrum; oratur à nobis, ut Deus
„ noſter. Agnoſcamus ergo & in illo voces
noſtras, & voces ejus in nobis". Hinc rursùs
idem Auguſtinus in Pſalmi ſequentis Enarra-
tione affirmat Chriſtum adhuc pergere in cæ-
lum, licèt jam pridem illuc aſcenderit; &
item peregrinari & egere adhuc in terrâ, ta-
metſi jamdudùm terram reliquerit, & omnem
terrenam preſſuram excuſſerit: " Ergo, ait ibi
Vide Aug. l. 17 de Civit. c. 9. „ Auguſtinus, illuc imus, quò Chriſtus præ-
„ ceſſit; & adhuc Chriſtus illuc pergit, quò
„ præceſſit. Præceſſit etenim Chriſtus in ca-
„ pite, ſequitur in corpore: & adhuc Chriſtus
„ hìc laborat, & Chriſtus hìc patiebatur à
Act. 9. 4. „ Saulo quando audivit Saulus, *Saule, Saule,*
„ *quid me perſequeris?* quomodo ſolet lingua di-
„ cere calcato pede, *calcas me:* linguam nullus
„ tetigit, compaſſione clamat, non attritione.
„ Adhuc Chriſtus eget, Chriſtus hìc peregri-
„ natur, Chriſtus hìc ægrotat: Chriſtus hìc
in carcere includitur". Huc item ſpectat illa
D. Leo Ser. 9 de Paſſione Domini. Leonis Papæ ſententia: [D] Paſſio Domini uſ-
„ que ad finem producitur Mundi: & ſicut in
„ Sanctis ſuis ipſe honoratur, ipſe diligitur;
„ & in pauperibus ipſe paſcitur, ipſe veſtitur:
„ ita in omnibus qui adverſa tolerant pro ju-
ſtitiâ, ipſe compatitur".

CXXI. Congruit ergo *Mulieri forti*, id eſt,
Eccleſiæ, initialis littera præſentis verſiculi,
Res dicta, quatenus ea interpretatur *capitis*: ut
ſubaudias *corpus*, vel *membra*. Eſt namque ipſa
corpus & membra illius *capitis*, de quo ait
Oſe. 1. 11. Propheta Oſee, *Congregabuntur filii Iuda & filii
Iſraël pariter, & ponent ſibimet caput unum.* Ubi
pro eo quod vulgatus Interpres vertit *caput
unum*, editio 70. Interpretum latinizata ha-
bet *Principatum unum*: quia nimirùm Princeps
quiſque caput eſt populi ſibi ſubjecti: unde
Amos 6. 1. alibi legimus, *Optimates capita populorum*: & ad
1. Reg. 15. 17. Saulem ait Samuel, *Nonne cùm parvulus eſſe in
oculis, caput in tribubus Iſraël factus es?* Et Da-
Pſal. 17. 44. vid alloquens Dominum, *Conſtitues me*, in-
quit, *in caput gentium.* Prædixit itaque Oſeas
illis verbis, congregandos Gentiles cum Ju-
dæis in unam Eccleſiam, ſub uno capite my-
ſtico Chriſto, cujus principatui ſponte ſe ſub-
dituri ſint. Quam interpretationem Auguſti-
nus adeò claram reputat, ut commentario non
tam illuſtranda, quàm obſcuranda videatur:
E. Aug. l. 18. de Civit. c. 28. Vide l. 1. ad Simplician. q. 2. & Proſper. l. 2. de Voc. Gent. cap 18. Epheſ. 2. 20. [E] Hoc, inquiens, ſi adhuc velimus exponere,
„ eloquii Prophetici obtundetur ſapor. Re-
„ colatur tamen *lapis ille angularis*, & duo illi
„ parietes, unus ex Judæis, alter ex Gentibus;
„ ille nomine *filiorum Iuda*, iſte nomine *filiorum
„ Iſraël*, eidem uni *principatui* ſuo in idipſum
innitentes". Et lib. 22. contra Fauſtum c. 89.

" Quoniam, inquit, de illo Judæorum po-
„ pulo multi crediderunt, & credituri ſunt:
„ nam inde erant Apoſtoli, inde tot millia
„ quæ in Hieruſalem Apoſtolis ſociata ſunt;
„ inde Eccleſiæ de quibus ad Galatas Paulus
„ dicit, *Eram ignotus facie Eccleſiis Iudeæ, quæ* Gal. 1. 22.
„ *ſunt in Chriſto:* unde & *lapidem angularem* in Pſal. 117. 22.
„ Pſalmis appellatum ſic interpretatur, quòd
„ duos parietes in ſeipſo conjunxerit, circum-
„ ciſionis videlicet & præputii, *Ut duos con-* Eph. 2. 15. & ſeqq.
„ *deret in ſe in unum novum hominem, faciens pa-
„ cem; & commutaret utroſque in uno corpore Deo,
„ per crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo,
„ & veniens evangelizaret pacem iis qui longè, & iis
„ qui propè*, id eſt, Gentibus longè, & Judæis
„ propè: *ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit utra-* Ibid. v. 14.
„ *que unum:* meritò & Oſee Propheta *filios
„ Iuda* ponens pro Judæis, & *filios Iſraël* pro
„ Gentibus: *Et congregabuntur*, inquit, *filii* Oſe. 1. 11.
„ *Iuda & filii Iſraël pariter, & ponent ſibimet ca-
„ put unum, & aſcendent de terrâ.* Huic itaque
„ Prophetiæ tam manifeſtæ, ipſo rerum effectu
„ declaratæ, quiſquis contradicit, non ſolùm
„ Propheticis, verùm etiam Apoſtolicis lit-
„ teris; nec ſolùm quibuſlibet litteris, ve-
„ rumetiam rebus impletis, & clariſſimâ luce
perfuſis, impudentiſſimè contradicit". Porrò
quem Oſeas vocat hìc *caput unum*, alius Pro-
pheta, vel potiùs Dominus apud ipſum, vo-
cat *paſtorem unum*; eo ſcilicet loco ubi mem-
bra illius capitis appellat *oves*, quas ſe congre-
gaturum cum promiſiſſet, adjecit: *Et ſuſcitabo* Ezech. 34. 23.
ſuper eas paſtorem unum. Quis eſt iſte *paſtor unus*,
niſi is de quo prophetatum eſt, *quòd moriturus* Ioan. 11. 52.
erat pro gente (Judaicâ utique) *& non tantùm
pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, con-
gregaret in unum?* Hic quippe eſt, qui, refe-
rente ſuperiùs eodem Euangeliſtâ, apud Ju-
daicas oves perſonaliter conſtitutus dicebat:
Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili; & illas Ioan. 10. 16.
*oportet me adducere, & vocem meam audient; &
fiet unum ovile, & unus paſtor.* Sicut ergo quiſ-
que genuinus Eccleſiæ filius agnoſcit ſe illius
unius capitis membrum, ita & iſtius *unius paſto-
ris* ovem, dicens ei cum Prophetâ, *Ego non ſum* Hier. 17. 16.
turbatus, te paſtorem ſequens. Hunc Petrus Apo-
ſtolus ſubinde *paſtorem* ſimpliciter, & *Epiſco-* 1. Pet. 2. 25.
pum animarum nominat; aliàs *Principem Paſto-* 1. Pet. 5. 4.
rum nuncupat; uti & Paulus *Paſtorem magnum*, Heb. 13. 20.
& Eccleſia ipſa in Præfatione Miſſæ de Apo-
ſtolis *Paſtorem æternum.* Ab hoc Paſtore æter-
no, magno, principali, oves cognominari
voluere *Chriſtiani*; hoc ipſo profitentes ſe eſſe
gregem *unius paſtoris* Chriſti, ſe eſſe corpus vel
membra *unius capitis* Chriſti: [F] Eccleſia Ca- F. Antioch. Homil. 30.
„ tholica, inquit Antiochus Abbas, non jam
„ hominis nomine appellatur, ſed omnes no-
„ mine Domini noſtri Jeſu Chriſti nomina- G. Nyſſen. Epiſtolâ ad Olympium de Chriſtianiſmo.
mur *Chriſtiani*". Et ante hunc Gregorius
Nyſſenus: [G] Bonus Dominus noſter, inquit,

„ Ieſus Chriſtus, nos in ipſum credentes adorandi nominis ſui fecit participes; ut ſive divites, ſive pauperes, ſive obſcuri, ſive inopes, ſive doctrinæ vel dignitatis inſignibus exornati ſimus, nullâ tamen ex re hujuſmodi nominemur: ſed his omnibus rejectis, de uno ipſius nomine propriè appellemur *Chriſtiani* ". Ingens quidem beneficium præſtiterunt Apoſtoli ijs, quos de infidelitate ſive Judaica ſive Paganica ad fidem Euangelicam ſuâ prædicatione converterunt: non tamen perpeſſi ſunt ut horum quiſquam ab ipſis, ſed omnes ab uno Chriſto appellationem ſumerent: H. Quòd *uxorem fratris*, inquit Auguſtinus, ad hoc frater juſſus eſt *ducere*, ut non ſibi, ſed *illi ſobolem ſuſcitaret*, ejuſque vocaret nomine quod inde naſceretur: quid aliud in figurâ præmonſtrat, niſi quòd unuſquiſque Euangelii prædicator ita debet in Eccleſiâ laborare, ut defuncto fratri, hoc eſt, Chriſto, ſuſcitet ſemen, qui pro nobis mortuus eſt; & quod ſuſcitatum fuerit, ejus nomen accipiat? Unde hoc implens Apoſtolus, non jam carnaliter in præmiſſâ ſignificatione, ſed ſpiritaliter in completâ veritate, quos *In Chriſto Ieſu per Euangelium ſe genuiſſe* commemorat, eiſdem ſuccenſet, & eos increpans corrigit volentes eſſe Pauli: *Nunquid Paulus*, inquit, *pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Tanquam diceret, Defuncto fratri vos genui. *Chriſtiani* vocamini, non *Pauliani* ". Qui rursùs Enarratione in Pſalmum 44. de omnibus in communi præconibus Euangelii loquens: " Itaque, inquit, ſuſcitantes propter nomen fratris ſemen fratri ſuo, quotquot genuerunt non *Paulianos* aut *Petrianos*, ſed *Chriſtianos* nominaverunt". Rogatus proinde quiſque fidelium, cujuſnam *capitis* ſit membrum? reſpondeat confidenter, *Chriſti*: idipſum quoque univerſa reſpondeat Eccleſia, ſi rogetur, cujuſnam *capitis* ſit corpus? Hoc enim ei ſuggeritur per litteram, *Res*, quæ interpretatur *capitis*: ſuggeritur item per Apoſtolum, qui ait: *Veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt* CAPVT *Chriſtus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram uniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.* Non ſola igitur membra ſingulatim, ſed & *totum corpus* cohæret ac ſubhæret *uni capiti*, Chriſto ſcilicet; à quo non ſolùm fideles ſinguli dicuntur *Chriſtiani*, ſed integra quoque ipſa Eccleſia cognominatur *Chriſtiana*.

H. Aug. l. 32. contra Fauſt. c. 10. Vide Tract. 47. in Ioannem.

Deut. 25. 5.

1. Cor. 4. 15.

1. Cor. 1. 13.

Eph. 4. 15. & 16.

CXXII. Inaniter autem atque etiam petulanter hujus temporis Novatores tentant Eccleſiam Romanam præfato *uni capiti* ſive *uni paſtori* ſubducere, appellando eam non Chriſtianam, ſed *Papanam*, ſive *Papiſticam*, vel *Pontificiam*. Inaniter quidem, quia eo tentamento neminem unquam ullius eruditionis aut diſcretionis à Romanæ Eccleſiæ gremio abſtraxerunt, aut ſuis præſtigiis faſcinaverunt. Petulanter denique, quia tametſi Romanæ Eccleſiæ glorioſum reipsâ ſit quod exprobrant, maligno tamen animo exprobrant: atque ita imitantur eum, cui Beatus olim aiebat Hieronymus: I. Apparet, juxta inclyti Oratoris elogium, te voluntatem habere mentiendi, artem fingendi non habere ". Jam pridem Cardinalis Hoſius, de hac ipſa agnominatione adversùs Sectarios differens: K. Nulla alia res, inquit, majori nobis curæ fuit, quàm ut cum orbe terrarum in Chriſti pace, in Eccleſiæ Catholicæ unitate, in fraternâ charitate, quem vos PAPATVM vocatis, permanere poſſimus: uſque eò etiam, ut ſi quis nos hâc de causâ PAPISTAS appellare velit, non ſolùm nihil inde nos ejus appellationis pudeat, verùmetiam cumprimìs id nobis amplum ad laudem & gloriam eſſe judicemus". Et Richardus Briſtous in ſuis Motivis: L. Nulla, inquit, Lutherum coëgit neceſſitas imponere nobis PAPISTARUM nomen, ſed ſola ipſius effrænis conviciandi libido. Quod non ita dico, quaſi rem illius nominis detrectemus: ſcio enim impoſitum nobis eſſe vel ab illo dogmate quo credimus & ſentimus Papam eſſe Vicarium Chriſti, quod quidem eſt ſemperque fuit Catholicum: vel à communione noſtrâ quâ Papæ conſociamur, ſicut ſemper omnes qui ſchiſmatici non fuerunt". Et Thomas Stapletonus in ſuis controverſiis: M. Ipſum nomen, inquit, quod convitii loco nobis objiciunt, & quo propriè nos nuncupant, ut videlicet PAPISTAS, aut PONTIFICIOS, aut ROMANENSES nos vocent, non aliud nos quàm Catholicos eſſe demonſtat: non enim partem, aut ſectam notat, PAPISTAM vocari; quia PAPA nec certus aliquis aut novus author eſt, ut *Arius*, *Lutherus*, *Calvinus*; nec unius loci, ſed totius orbis Chriſtiani Patrem ac Paſtorem dicit; nec hujus temporis perſonam aliquam, ſed perpetuum Eccleſiæ Magiſtratum atque Epiſcopum notat. Ergo cùm PAPISTAS nos vocant, nihil aliud quàm oves aut ſubditos nos vocant illius, cui in perſonâ Petri Chriſtus oves ſuas commiſit, cui totus Chriſtianus orbis ut capiti vicario ſubjicitur". Et Cornelius Janſenius in ſuâ Spongiâ, redarguens Voetium Prædicantium Calviniſtam, PONTIFICIORUM nomen orthodoxis impingentem: " N. Nomina veſtra, inquit, & omnium hæreticorum, ſunt partium ſectarumque vocabula, quibus ipſi Catholici, ſeu univerſalis Eccle-

I. Hieron. l. 3. contra Ruffin. c. 2.

K. Hoſius in Cenſurâ ſuper Iudicio Miniſtrorû Tigurinorû, ſub initium.

L. Briſtous tomo 1. Motivorum 1. 8.

M. Stapleton. tom. 1. Controverſ. 1. de Eccleſiâ l. 4. cap. 2.

N. Ianſen. in Spongia cap. 77.

Digitized by Google

„ Eccleſiaſtici corporis, laceratio exprimitur,
„ & amputata fruſta ſignificantur; dum in-
„ terea ipſum corpus in ſuâ integritate perſe-
„ verat: *Eccleſia catholica illa eſt*, inquit Augu-
„ ſtinus, *quæ contra omnes hæreſes pugnans expu-*
„ *gnari non poteſt: hæreſes omnes de illâ exierunt*,
„ *ipſa autem manet in radice ſuâ*: Nam vel à cer-
„ tis hominibus tanquam religionis authori-
„ bus, vel à certis locis ubi exortæ ſunt, vel
„ à dogmatis perverſitate derivantur. Nomen
„ autem, PONTIFICII, non partem,
„ ſed totum indicat; non ſectam certi loci,
„ aut temporis, aut authoris, ſed univerſa-
„ lem atque catholicum tum tempore, tum
„ loco, Chriſtianæ religionis Magiſtratum.
„ Illum enim inſinuat, qui loco Chriſti, &
„ mandato Chriſti, univerſalis & perpetuus
„ catholicæ Eccleſiæ Paſtor per univerſum
„ Mundum ad finem uſque Mundi conſtitu-
„ tus eſt. Unde ſicut non eſt probrum ovium
„ Chriſti, ſi ab ipſo *capite* vocentur *Chriſtiani*,
„ vel ab univerſitate Eccleſiæ *Catholici*: ita
„ non eſt probrum, ſi ab ejuſdem *capitis* Vi-
„ cario univerſali PONTIFICII nomi-
„ nentur. Utrumque enim non ſchiſmatis,
„ aut lacerationis, aut partis, aut ſectæ, ſed
„ catholicæ totalitatis, & univerſalitatis loci
„ ac temporis argumentum eſt. Nam & olim,
„ ne veſtra conviciatio nobis nova videatur,
„ Marcionitæ catholicis ipſum nomen *Catho-*
„ *licum* exprobraverunt: *Et vos*, inquit Me-
„ gethius adverſùs Origenem diſputans, *à ca-*
„ *tholicâ Eccleſiâ ſortiti eſtis nomen: Non eſtis igitur*
„ *& vos Chriſtiani.* Cui reſpondet Origenes:
„ *Rectè quidem eſſet abs te dictum, ſi hominis cogno-*
„ *minationem haberemus. Sin propter univerſitatem,*
„ *quæ per Mundum diſperſa eſt, ſic appellamur, quid*
„ *hic ſubeſt mali?* Tam PONTIFICIUM
„ itaque quàm CATHOLICUM non cu-
„ juſdam partis aut ſchiſmatis, ſed univerſita-
„ tis indicium eſt; hoc corporis, illud capitis
univerſalis". His præterea addi poſſent varia
teſtimonia veterum, quibus conſtat Catho-
licos ab Arianis dictos olim fuiſſe *Romanos*,
quod prorsùs æquivalet hodierno PAPIS-
TARUM vocabulo. Quorum teſtimoniorum
cùm nonnulla congeſſiſſet Cardinalis Baro-
nius, ſubdidit: O. Sunt de his & alia teſtimo-
„ nia: ut non mireris ſi recentiores hæretici
„ catholicos homines dicant PAPISTAS,
„ cùm Ariani eâdem ratione *Romanos* conſue-
„ verint catholicos appellare. Sed certè nullo
„ ſublimiori gloriæ titulo exornare, nec cer-
„ tiùs eos eſſe catholicos demonſtrare potuiſ-
„ ſent, quàm eos nuncupando *Romanos*, atque
„ *Papiſtas*: nam, ut conſtat ex Optato adver-
„ sùs Parmenianum, & Cypriano de unitate
„ Eccleſiæ, & aliis tam Latinis quàm Græcis
„ Sanctis Patribus, nullo certiori ſigno, quàm
„ ex communione cum Romano Pontifice,
„ quis ſit catholicus verus, poteſt agnoſci.
„ Sint igitur nobis viventibus hæc ſemper
„ præconia laudum, & poſt mortem tituli ſe-
„ pulchrales, ut *Romani* ſic ſemper dicamur,
„ atque *Papiſtæ*. Sanè quidem & ipſi Impera-
„ tores in ſuis litteris, honoris causâ, Catho-
„ licam fidem appellant *Religionem Romanam*".
Quis non hìc admiretur ac ſuſpiciat divinam
providentiam, nobis vertentem in benedi-
ctionem, quod inimici noſtri machinati ſunt
in maledictionem? P. Quis noſtrûm, inquit
„ in ſimili Auguſtinus, auderet hoc optare, ut
„ quos iniquitas fecerat noſtros impugnato-
„ res, æquitas faceret noſtros defenſores?
„ Sicut & illum *Balaam*, quem temporibus
„ antiquis *ad maledicendum Dei populum conduxit*
iniquitas, *benedicere* compulit veritas". Pul-
chrè & appoſitè idem Auguſtinus alibi, diſſe-
rens de vaticinio *Caiphæ*, neſcientis quid di-
ceret: Q. Magna, inquit, vis eſt veritatis:
„ oderunt veritatem homines, & veritatem
„ prophetant neſcientes; non agunt, ſed agi-
tur de illis".

Vide Aug. libr. 1. de Symbolo ad Catech. c. 6.

Apud Origenem Dialogo 1. de Rectâ fide.

O. Baron. in Notis Martyrologii ad diem 16. Octobris.

P. Aug. lib. poſt Collationem cum Donat. c. 32.

Num. 23. 11

Joan. 11. 50. & 51.

Q. Auguſt. Serm. 93. de Diverſis cap. 1.

OBIECTIO.

CXXIII. Sed cùm ſuperiùs §. 121. alle-
gatæ prophetiæ palàm loquantur de *capite uno*,
& de *Paſtore uno*; videri cuipiam poſſent ex-
cludere à dignitate *capitis* ac *Paſtoris* quemlibet
alium à Chriſto, quem Prophetiæ illæ paten-
ter denotant. Ex quo ulteriùs apparet, *Pa-*
piſtarum nomen perperàm putari nobis glorio-
ſum, cùm utique cenſeri debeat probroſum.
Cùm enim eapropter agnominemur *Papiſtæ*,
quòd *Capitis* & *Paſtoris* Eccleſiæ dignitatem ar-
rogemus Papæ; nonne rectè videmur cul-
pandi, ac juſtis opprobriis pulſandi, quòd præ-
rogativam uni Chriſto propriam, audeamus
facere Papæ communem? Sanè ſi Papam

DILUITUR.

Chriſto, non dico ſuperponeremus, ſed vel
æquaremus, vel diſalternum ſtatueremus;
meritò culparemur, & opprobriis pulſaremur.
At verò ſicut nulli culpæ aut opprobrio ob-
noxius eſt, qui Reges in terrâ agnoſcit, etiam-
ſi Deus revera ſupremus cæli terræque Rex
exiſtat, cui cæteri quique Reges ſunt ſub-
alterni: ita ab omni culpâ & opprobrio im-
munes cenſendi ſunt, qui ita Chriſtum profi-
tentur ſupremum Eccleſiæ caput & Paſtorem,
ut Papam agnoſcant ejuſdem Eccleſiæ caput
& Paſtorem, Chriſto utique ſubalternum. In
Apocalypſi dictus eſt Chriſtus *Princeps Regum*
terræ, & rurſus de eodem perhibetur, quòd
habeat in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum: Rex
regum, & Dominus dominantium. Petrus item
Apoſtolus eum vocat *Principem Paſtorum*.
Quemadmodùm igitur ex prioribus locis rectè
colligimus, eum ita eſſe Principem & Regem,
ut habeat ſub ſe Reges: ita ex poſtremo loco
perinde elicimus, eum ita eſſe principalem
Paſtorem, ut ſubalternos habeat ſub ſe Paſto-
res. Nonne ipſe eſt *Dei ſapientia*, quæ in Pro-

Apoc. 1. 5.

Apoc. 19. 16.

1. Pet. 5. 4.

1. Cor. 1. 24.

Prov. 8. 15. verbiis clamat, *Per me Reges regnant?* Sed numquid ſimiliter ipſe eſt, qui, teſte Paulo,
Eph. 4. 10. & ſeqq. *Aſcendens ſuper omnes cælos ut impleret omnia, dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem* PASTORES, *& Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti?* Ubi per *corpus Chriſti* proculdubiò Eccleſia intelligitur, in cujus *ædificationem* omnes illi miniſtri dati ſunt à Chriſto. Cæterùm cùm in *ædificatione* opus ſit fundamenti jactione, ipſe idem Chriſtus priuſquam aſcendiſſet in cælum, Petrum Apoſtolum conſtituit hujuſce ædificii fundamentum, dicens ei non in ſuâ duntaxat, ſed in omnium quoque ſucceſſorum
Ioan. 21. 17. perſonâ, *Paſce oves meas.* Hic enim implevit
Matt. 16. 18. quod alias promiſerat, dicens eidem: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quid aliud eſt fundamentum, niſi *ſuper quod* extruitur ædificium? Si ergo ſuper Petrum ædificatur Eccleſia, proculdubiò Petrus eſt fundamentum Eccleſiæ. Cujus ſequelæ firmitatem clarè perſpexit Hilarius, cùm ad eundem ipſum Petrum exclamaret: [R.] O
S. Hilar. can. 16. in Mattheum. Vide Cypr. ſuprà hic §. 52. „ in nuncupatione novi nominis felix Eccleſiæ FUNDAMENTUM; dignaque ædificationis illius petra, quæ infernas leges, & „ tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolveret"! Hinc habemus, Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ, ſive petram ſuper quam ædificata ſit Eccleſia. Et tamen Paulus ait,
1. Cor. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Sed nulla hic eſt antilogia: ſiquidem Petrus non eſt *Fundamentum præter Chriſtum*, ſed ſuper Chriſtum, utpote ſubalternatum Chriſto, qui tanquam
Eph. 2. 20. *lapis angularis ſummus* univerſum cum ſuis fundamentis ſuſtentat ædificium: [S.] Dicet for-
S. Aug. in Pſalm 86. „ taſſe aliquis, inquit Auguſtinus, Si *angularis lapis eſt Chriſtus Ieſus*, in illo quidem duo „ parietes compaginantur: neque enim angulum faciunt niſi duo parietes in unum è diverſo venientes; ſicut populi duo ex circumciſione & ex præputio ad pacem Chriſtianam ſibimet connexi in unâ fide, unâ „ ſpe, unâ charitate. Sed ſi *angulus ſummus* „ *Chriſtus Ieſus*, quaſi videntur priora fundamenta, & poſterior *lapis angularis*. Poteſt „ ergo aliquis dicere, quia magis Chriſtus ſuper Prophetas & Apoſtolos incumbit, quàm „ illi ſuper ipſum, ſi ipſi ſunt in fundamento, „ & ipſe in angulo. Sed cogitet qui hoc dicit, „ angulum etiam in fundamento eſſe: neque „ enim ibi tantùm eſt angulus, ubi videtur, „ ut ſurgat in apicem; ſed à fundamento incipit. Nam ut noveritis quia fundamentum „ eſt Chriſtus & primum & maximum, ait
„ Apoſtolus, *Fundamentum nemo poteſt ponere,* 1. Cor. 3. 11.
„ *præter id quod poſitum eſt, Chriſtus Ieſus:* quomodò ergo fundamenta ſunt Prophetæ & „ Apoſtoli? Et quomodò fundamentum „ Chriſtus Jeſus eſt, quo ulterius nihil eſt? „ Quomodò putamus, niſi ut quemadmodùm
„ apertè dicitur Chriſtus *Sanctus Sanctorum*, ſic Dan. 9. 24.
„ figuratè Fundamentum fundamentorum? Si „ ergo ſacramenta cogites, Chriſtus *Sanctus* „ *Sanctorum:* ſi gregem ſubditum cogites, „ Chriſtus *Paſtor Paſtorum:* ſi fabricam cogites, Chriſtus *fundamentum fundamentorum*". Ex hac Auguſtini doctrinâ facilè obviatur Sectariorum adversùs Petri & ſucceſſorum ejus prærogativam cavillationibus. Nam quod Auguſtinus hic dicit de *fundamento fundamentorum* & de *Paſtore paſtorum*, conſimili phraſi dici poterit de *Capite capitum*, & aliis ſimilibus; quæ ita propria ſunt Chriſto ſecundùm principalitatem, ut non excludant, ſed potiùs connotent ſubalternitatem.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXXVII.

Verſiculus ejuſdem Poëmatis vigeſimus, à litterâ Res *inchoatus, & variè ab Interpretibus latinizatus, exhibetur; ejuſque cum præcedenti hemiſtichio conſtructio aſtruitur. Continet is encomium Mulieris fortis, à viro ſuo in extremo Iudicio coram toto Mundo propalandum.* Filiarum *nomine, quas hæc* ſupergreditur univerſas, *deſignantur hæreticorum ſchiſmaticorumque ſectæ, necnon & diſcolorum Catholicorum turbæ, imò etiam Gentilium ſcholæ, & Iudæorum exortium ſynagogæ: quarum omnium* divitiæ, *charitatis inanes, carent pondere ſanctuarii. Cum Deo manere non poſſunt quotquot in Eccleſia ejus unanimes eſſe detrectant: nec vegetat aut vivificat Spiritus Chriſti, niſi membra reperta in corpore Chriſti. Non eſt particeps charitatis, qui hoſtis eſt unitatis. Eccleſia inter ſectas eſt velut matrona inter concubinas, & lilium inter ſpinas. Quâ ratione hæreticorum & ſchiſmaticorum ſectæ ſint matris Eccleſiæ* filiæ? *An etiam Gentilium ſcholæ, & Iudæorum ſynagogæ, ſint* filiæ: *& cujus Patris, cujuſque Matris? Sicut Eccleſia credentium eſt Sponſa Chriſti, ſic Eccleſia malignantium eſt ſponſa vel concubina diaboli, quæ in Apocalypſi cognominatur* Synagoga ſatanæ.

CXXIV. VIdeamus nunc & expendamus ipſum verſiculum, cujus initialem litteram, *Res*, toto ſuperiori capite diſcuſſimus. Is in vulgatâ editione latinâ ſic ex-
Prov. 31.29. hibetur, *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas*: in Pagninianâ editione ſic, *Multæ filiæ fecerunt divitias, tu autem aſcendiſti ſuper univerſas*: in Vatablianâ ſic, *Multæ filiæ paraverunt ſibi divitias, tu autem ſuperas univerſas*: apud 70. Interpretes in latinum traductos ſic, *Multæ filiæ acquiſierunt divitias, multæ fecerunt virtutem; tu autem emines, ſupergreſſa univerſas*: apud Ambroſium ſic, *Multæ filiæ acquiſiverunt divitias, multæ fecerunt potentiam; excellis tu, & ſupergreſſa es univerſas*: apud Auguſtinum denique ſic, *Multæ filiæ fecerunt potentiam, tu autem ſuperaſti, & ſuperpoſuiſti omnes.* Ubi obiter notandum, verſiculum iſtum cum duobus ſequentibus, quibus encomiaſticum iſtud Poëma finitur, non eſſe *Lamuëlis* ſive Salomonis, ut authoris; ſed duntaxàt ut relatoris. Author quippe eorum eſt *Vir* hujus *Mulieris fortis*, de quo jam proximo hemiſtichio
Prov. 31.28. præmiſſum fuerat, *Vir ejus laudavit eam*: his namque tribus finalibus verſiculis refertur ea laus, quâ eam vir ſuus proximo verſiculo exornaſſe in actu ſignato memoratur. Atque ita intellexerunt Ambroſius, Auguſtinus, Beda, & Rabanus. Etenim Ambroſius explanationi hujus verſiculi præmittit ad calcem ſuperioris verſiculi: [T] Si jam jucundè auditis quando „ laudatur à nobis, quomodò non audietis „ cùm laudatur à viro ſuo? Sed laudat eam „ in reſurrectione: cùm ergo reſurgemus, tunc „ audiemus. At etiam modò non tacuit laudem ejus: hæc autem eſt laus, quâ eam modò proſequitur". Hæc eadem recitat Auguſtinus, quibus & ipſe continuò addit: [V] Audiamus, audiamus quemadmodùm laudaverit vir ejus, „ videns eam jam cum tantâ beatitudine filiorum divitum in reſurrectione mortuorum: *Multæ*, inquit, *filiæ fecerunt potentiam*: „ laudes ſunt, quibus eam laudat vir ejus". Beda denique & Rabanus: [W] Laudat eam, „ inquiunt, vir ipſius, quùm bona quæ ipſe „ donavit remunerat. Quibus autem verbis „ eam laudet, conſequenter oſtenditur, cùm dicitur: *Multæ filiæ* &c." Quibus illi verbis indicant, Mulierem fortem à ſuo viro bifariam laudari; facto ſcilicet, & verbo: facto quidem, per hoc quòd in die Judicii remunerando ejus merita, monſtraturus ſit toti Mundo quàm virtuoſè agonem ſuum illa compleverit: verbo denique, proferendo verſiculos de quibus diſſerimus: quorum primus, inchoatus à littera, *Res*, quam proximo capite perpenderamus, commendat Eccleſiam præ cunctis aliis hominum ſectis aut cœtibus, uni *capiti* Chriſto nequaquam debitè cohærentibus: quales ſunt, quarumlibet hæreſum ſectæ, quæ idcircò hìc dicuntur *filiæ*, quod per lavacrum regenerationis

T. Ambroſ. in caput 31. Prov. c. 11.

V. Auguſt. Serm. 45. de Diverſis c. 17.

W. Beda & Rabanus in caput 31. Proverb. v. 28. item Beda lib de *Muliere fort.* lit. *Coph*, in fine.

tionis fuerint renatæ, & multos teneant ritus
ac cæremonias huic matronæ communes:
X. Ambroſ. in caput 31. Prov. c. 12. & Aug Ser. 45. de Diverſis c. 18. ,, X. *Filiæ*, inquit cum Auguſtino Ambroſius,
,, quæ divitias acquiſiêre & potentiam fecêre,
,, hæreſes ſunt. Hæreſes quare *filiæ*? Quia &
,, illæ ex hac Muliere natæ ſunt. Dicebat
1. Joan. 2. 19. ,, enim Joannes Apoſtolus, *Exierunt ex nobis*:
,, Sunt ergo *filiæ*, ſed filiæ malæ: *filiæ* non in-
,, tegritate morum, ſed ſimilitudine Sacra-
,, mentorum: habent enim & ipſæ Sacramen-
,, ta noſtra, habent Scripturas noſtras, habent
,, *Amen*, habent *Alleluia* noſtrum, pleræque
,, Symbolum noſtrum habent, multæ Baptiſ-
,, mum noſtrum habent: & ideò *filiæ*. Quo-
,, circa de hac *Muliere* dictum eſt in Canticis
Cant. 2. 2. ,, Canticorum, *Sicut lilium in medio ſpinarum,*
,, *ſic amica mea in medio filiarum*. Mirum dictu,
,, eaſdem dixit *ſpinas* & *filias*. Sed & illæ ſpinæ
,, *faciunt potentiam?* Planè. Non videtis quem-
,, admodùm ipſæ hæreſes orent, jejunent,
,, eleëmoſynas dent, Chriſtum laudent? Poſ-
,, ſum dicere & ibi eſſe Pſeudoprophetas, de
Mat. 24. 24. & 25. ,, quibus dictum eſt, *Dabunt ſigna magna & pro-*
,, *digia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt,*
,, *etiam electi: Ecce prædixi vobis*. Faciunt & ſpi-
Mat. 7. 22. ,, næ *potentiam*, de qua dicitur, *Nonne in nomine*
,, *tuo prophetavimus, in nomine tuo dæmonia ejeci-*
,, *mus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?*
Luc. 13. 26. ,, Et alibi, *Manducavimus coram te, & bibimus,*
,, *& in plateis noſtris docuiſti*. Manducavimus &
,, bibimus, inquiunt; ſed non de quocunque
,, cibo aut potu, verùm de fraudulento &
,, pernicioſo. Et *virtutes multas fecimus*: fa-
,, ciunt ergo & malæ filiæ potentiam; non
,, negamus, nam & ſpinæ florem habent, ſed
,, fructum non habent. Hæc nihilominus Mu-
,, lier *ſupergreſſa eſt univerſas*, quia non florem
,, ſolùm, ſed & fructum habet. Quem fruc-
,, tum habet, unde univerſas ſupergreſſa eſt,
1. Cor. 12. 31. ,, dicatur mihi: *Et adhuc*, inquit, *excellentiorem*
,, *viam vobis demonſtro*. Quare excellentiorem?
,, Quia inde illa excelluit, inde ſupergreſſa eſt
1. Cor. 13. 1. ,, univerſas: *Si linguis*, inquit, *hominum loquar*
,, *& Angelorum, charitatem autem non habeam,*
,, *factus ſum æramentum reſonans, aut cymbalum*
,, *tinniens*. Loquitur quis linguis? Ad *poten-*
Ibid. v. 2. ,, *tiam* illam flores pertinent. *Et ſi ſciam omnia*
,, *myſteria, & omnem ſcientiam habeam, & omnem*
,, *prophetiam, & omnem fidem, ita ut montes tranſ-*
,, *feram*: quanta Potentia! *charitatem autem*
,, *non habeam, nihil mihi prodeſt*. Sed audi adhuc
,, alias potentias, ad florem, non ad fructum
Ibid. v. 3. ,, pertinentes: *Et ſi erogavero omnem ſubſtantiam*
,, *meam pauperibus, & ſi tradidero corpus ut ar-*
,, *deam; charitatem autem non habeam, nihil mihi*
,, *prodeſt*. Sola hæc Mulier hanc excellentio-
,, rem viam habet: unde illic dictum eſt,
,, *Multæ filiæ fecerunt potentias*: quia multæ lo-
,, cutæ ſunt linguis, ſciverunt myſteria, dæ-
,, monia excluſerunt, res ſuas pauperibus
,, diſtribuerunt, corpora ſua ignibus creman-
,, da tradiderunt: tamen quia charitatem non
,, habuerunt, inflatæ ſunt, & laude & præmio
,, defraudatæ remanſerunt. Hæc verò Mulier
,, & flore & fructu abundat, quia charitate
,, plena eſt, quam *ſpiritus fructum* teſtatur Apo- Gal. 5. 22.
,, ſtolus ad Galatas: ipſa eſt hortus vineæ di-
,, lectæ, ab eâ enim procedunt cæterarum per-
,, fectiones virtutum, quas Apoſtolus enu-
,, merat, dicens: *Fructus autem ſpiritus eſt chari-* Ibid.
,, *tas, gaudium, pax, patientia, longanimitas* &c.
,, Verùm quia in his *filiabus, quæ etiam potentias* Prov. 31. 29.
,, *fecerunt*, defuit charitas, idcircò eis dicitur, Ibid. v. 30.
Fallaces gratiæ, & vana ſpecies".

CXXV. Ex hoc Ambroſij & Auguſtini
Commentario colligere inprimis licet, *Mulie-*
rem fortem, ſive veram Chriſti Eccleſiam, non
comparari aliis illis *multis filiabus*, tanquam
meliorem minùs bonis; ſed præferri eis, tan-
quam bonam malis. Quò ſpectat quòd uter-
que ibi paulò ſuperiùs negaverit inſtitui hìc
comparationem, quia nimirùm comparatio
non niſi inter res utcunque ſymbolas inſtitui
conſuevit: Y. Quæ filiæ, inquit Ambroſius,
,, huic comparandæ ſunt? Nulla profectò". Y. Ambroſ. ibid. ſuprà.
Et Auguſtinus ſimiliter: Z. Quæ filiæ, inquit,
,, quibus hæc comparatur? Non comparatur". Z. Aug. ibid. ſuprà.
Ex horum proinde ſenſu ac conſenſu non in-
ſtituitur hìc propria comparatio, ſed unius re-
probatio, & alterius approbatio: ſicut de
hoc ipſo viro Mulierem fortem hìc laudante
prophetatum olim fuerat, *Butyrum & mel co-* Iſa. 7. 15.
medet, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum.
Indidem prætereà colligere fas eſt, nequa-
quam ſufficere ad integritatem fidei, quòd
quis eodem cum Catholicis utatur Scriptura-
rum canone, iiſdem Sacramentis & cæremo-
niis, aut eodem verbali fidei ſymbolo. Teſtan-
tur quippe ambo iſti Patres, *filias* hìc repro-
batas, id eſt hæreſes, vel hæreticorum ſectas,
habere Sacramenta noſtra, Scripturas noſtras, Amen
& Alleluia noſtrum, pleraſque quoque Symbolum
noſtrum, & multas Baptiſmum noſtrum. Non ergo
ad declinandum finale opprobrium ſufficit
hæc omnia habere cum *Muliere forti* commu-
nia, ſed neceſſaria inſuper eſt ejuſdem Mu-
lieris communio. Hæc quippe Mulier non
ſolùm Sponſa, ſed & hæreditas eſt Chriſto
peculiariter à Patre promiſſa, cujus ad eun-
dem Chriſtum vox eſt apud Pſalmographum,
Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem
tuam: A. Huic hæreditati, inquit Auguſtinus, Pſal. 2. 8.
,, qui non communicat, quoſlibet libros teneat, A. Auguſt.
,, exhæreditatum ſe eſſe cognoſcat: hanc hære- Epiſt. 162.
,, ditatem quiſquis expugnat, alienum ſe eſſe
à familiâ Dei ſatis indicat". Et ſuperiùs Epiſt.
152. "Quiſquis, inquit, ab hac Catholicâ Ec-
,, cleſiâ fuerit ſeparatus, quantumlibet lauda-
,, biliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere
,, quòd à Chriſti unitate disjunctus eſt, *Non*
habebit

Digitized by Google

Joan. 3. 36. „ *habebit vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum*". Et ante Auguſtinum Martyr Cyprianus : B. Cum „ Deo, inquit, manere non poſſunt, qui eſſe „ in Eccleſia Dei unanimes noluerint : ar- „ deant licèt flammis & ignibus traditi, vel „ objecti beſtiis animas ſuas ponant; non erit „ illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ; nec „ religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſ- „ perationis interitus : occidi talis poteſt, co- „ ronari non poteſt : ſic ſe Chriſtianum eſſe „ profitetur, quomodò & Chriſtum diabo- lus ſæpè mentitur". Et rursùs ibidem ali- quanto inferiùs : " Deus unus eſt, inquit, & „ Chriſtus unus, & una Eccleſia ejus, & fides „ una, & plebs in ſolidam corporis unitatem „ concordiæ glutino copulata : Scindi unitas „ non poteſt, nec corpus unum diſcidio com- „ paginis ſeparari, divulſis laceratione viſce- „ ribus in fruſta diſcerpi. Quicquid à matrice „ diſceſſerit, ſeorſim vivere & ſpirare non po- terit, ſubſtantiam ſalutis amittit". Ut au- tem noverimus quænam ſit iſta *una Eccleſia Chriſti*, quam hìc dicit *matricem*, à quâ qui diſ- ceſſerit *ſubſtantiam ſalutis amittit*, præmiſerat idem author ſuperiùs Epiſt. 40. " Deus unus „ eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & „ Cathedra una SUPER PETRUM DO- „ MINI VOCE FUNDATA. Aliud al- „ tare conſtitui, aut ſacerdotium novum fieri, „ præter unum altare & unum ſacerdotium, „ non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpar- „ git : adulterum eſt, impium eſt, ſacrile- „ gum eſt quodcunque humano furore inſti- tuitur, ut diſpoſitio divina violetur". Ubi ſa- tis apertè reſpicit ad illam Dei diſpoſitionem, quâ *Eccleſia una & cathedra una ſuper Petrum Do- mini voce fundata eſt*. Hæc eſt igitur *matrix illa*, à quâ quiſquis ſeceſſerit, *ſeorſim vivere & ſpirare non poterit, ſubſtantiam ſalutis amittit*. Hoc pro- bè ſciens Hieronymus, de longinquo Oriente ſcribebat ad Damaſum, Petri in Cathedrâ Apoſtolicâ ſucceſſorem : C. Quanquam tui me „ terreat magnitudo, invitat tamen humani- „ tas : à Sacerdote victimam ſalutis, à Paſto- „ re præſidium ovis flagito. Faceſſat invidia, „ Romani culminis recedat ambitio : cum „ ſucceſſore Piſcatoris, & diſcipulo crucis lo- „ quor. Ego nullum primum niſi Chriſtum „ ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, Cathe- „ dræ Petri, communione conſocior : Super „ illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. „ Quicunque extra hanc domum agnum co- „ mederit, profanus eſt : ſi quis in Arcâ Noë non fuerit, peribit regnante diluvio". Et mox iterum ibidem poſt paucula : " Quicunque „ tecum non colligit, ſpargit; hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt". Ex horum itaque Patrum conſonâ ſententiâ non ſufficit ad evadendam finalem in extremo Judicio confuſionem, imò hæreſeos aut ſchiſmatis op-

B. Cyprian. L. de Unit. Eccleſiæ.

C. Hieron. Epiſt. 57.

probrium, quòd quis habeat ſacramenta, ſcri- pturas, preces, & ſymbolum cum Eccleſiâ communia, niſi ſimul eum ſtringat ejuſdem Eccleſiæ communio. Illa quippe omnia ſine hac communione non faciunt membra Chriſti, nec conſequenter præſtant ut quis vivificetur, Spiritu Chriſti : D. Spiritus autem, ut ait Au- „ guſtinus, facit viva membra : nec viva „ membra ſpiritus facit, niſi quæ in corpore „ quod ipſe ſpiritus vegetat invenerit. Nam „ ſpiritus qui eſt in te, ô homo, quo conſtas „ ut homo ſis, nunquid vivificat membrum „ quod ſeparatum invenerit à carne tuâ ? Spi- „ ritum tuum dico animam tuam : anima tua „ non vivificat niſi membra quæ ſunt in carne „ tuâ. Unum ſi tollas, jam non vivificatur „ ex animâ tuâ, quia unitati corporis tui non „ copulatur. Hæc dicuntur, ut amemus uni- „ tatem, & timeamus ſeparationem : nihil „ enim ſic debet formidare Chriſtianus, quàm „ ſeparari à corpore Chriſti. Si enim ſepara- „ tur à corpore Chriſti, non eſt membrum „ ejus : ſi non eſt membrum ejus, non vege- „ tatur ſpiritu ejus : *Quiſquis autem*, inquit „ Apoſtolus, *ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*". Quòd ſi quis aveat noſſe cujuſnam ſit, qui Chriſti non eſſe convincitur : reſpon- debit Hieronymus mox allegatus, *Qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt*.

D. Auguſt. Tract. 27. in Joan. Vide ibid. Tract. 26.

Rom. 8. 9.

Hierony- mus ſuprà.

CXXVI. Univerſis itaque Sectariorum cœtibus, quantâcunque divitiarum cumula- tione aut mirabilium operum perpetratione florentibus, incomparabiliter præſtat *Mulier fortis*; quippe quæ floribus non contenta, fru- ctum ſpiritus protulit, & quidem ſignanter eum quem Apoſtolus primum ſtatuit in ſerie : „ E. Quæ enim alia, inquit Hieronymus, in- „ ter *fructus ſpiritus* debuit tenere primatum, „ niſi *charitas*; ſine quâ virtutes cæteræ non „ reputantur eſſe virtutes, & ex quâ naſcun- tur univerſa quæ bona ſunt" ? Hanc idem Apoſtolus *excellentiorem viam* nominat, & rectè: nam Auguſtino teſte F. Nullum eſt iſto Dei „ dono excellentius : ſolum eſt quod dividit „ inter filios regni æterni, & filios perditio- „ nis æternæ. Dantur quidem & alia Spiritus „ Sancti munera, ſed ſine charitate nihil pro- „ ſunt. Niſi ergo tantum impertiatur cuique „ Spiritus Sanctus, ut eum Dei & proximi fa- „ ciat amatorem, à ſiniſtrâ non transfertur ad „ dexteram : nec Spiritus propriè dicitur do- „ num, niſi propter dilectionem. Quam qui „ non habuerit, *Si linguis hominum loquatur & „ Angelorum, ſonans æramentum eſt aut cymbalum „ tinniens : & ſi habuerit prophetiam, & ſcierit „ omnia ſacramenta, & omnem ſcientiam; & ſi „ habuerit omnem fidem, ita ut montes transferat, „ nihil eſt : & ſi diſtribuerit omnem ſubſtan- „ tiam ſuam, & tradiderit corpus ut ardeat, „ nihil ei prodeſt*. Quantum ergo bonum eſt, ſine

E. Hieron. lib. 3. in caput 5. ad Galat.

Gal. 5. 22.

1. Cor. 12. 31.

F. Auguſt. lib. 15. de Trinit. c. 18. Vide lib. 1. de Baptiſm. cap. 8. & 9. & Tract. 65. in Joan.

1. Cor. 13. 1. & ſeqq.

Digitized by Google

„ ſine quo ad æternam vitam neminem
„ bona tanta perducunt? Ipſa verò dile-
„ ctio, ſive charitas, nam unius rei eſt
„ utrumque nomen, ſi eam habeat qui non lo-
„ quitur linguis, nec habet prophetiam, nec
„ omnia ſcit Sacramenta, omnemque ſcien-
„ tiam, nec diſtribuit omnia ſua pauperibus,
„ vel non habendo quod diſtribuat, vel ali-
„ quâ neceſſitate prohibitus, nec tradit cor-
„ pus ſuum ut ardeat, ſi talis paſſionis nulla
„ tentatio eſt; perducit ad regnum: ita ut
„ ipſam fidem non faciat utilem niſi charitas:
„ Sine charitate quippe fides poteſt quidem
„ eſſe, ſed non & prodeſſe. Propter quod &
Gal. 5. 6. „ Apoſtolus Paulus, *In Chriſto Ieſu*, inquit,
„ *neque circumciſio neque præputium aliquid valet,*
„ *ſed fides quæ per dilectionem operatur*: ſic eam
Iac. 2. 19. „ diſcernens ab eâ fide, quâ & *dæmones credunt,*
& contremiſcunt". Cui doctrinæ ita inhæſi-
tanter inſiſtendum monet Fulgentius, ut di-
G. Fulgent. L. de Fide ad Petrum cap. 39. cat: G. Firmiſſimè tene, & nullatenùs dubi-
„ tes, quemlibet hæreticum ſive ſchiſmati-
„ cum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs
„ Sancti baptizatum, ſi Eccleſiæ Catholicæ
„ non fuerit aggregatus, quantaſcunque eleë-
„ moſynas fecerit, etſi pro Chriſti nomine
„ etiam ſanguinem fuderit, nullatenùs poſſe
„ ſalvari. Omni enim homini, qui Eccleſiæ
„ Catholicæ non tenet unitatem, neque bap-
„ tiſmus, neque eleëmoſyna quantumlibet
„ copioſa, neque mors pro nomine Chriſti
„ ſuſcepta, proficere poterit ad ſalutem, quam-
„ diu in eo hæretica vel ſchiſmatica pravitas
perſeverat, quæ ducit ad mortem. ". Ratio
namque hujus eſt, defectus charitatis tam in
hæreticis quàm in ſchiſmaticis, quam chari-
tatem ſi haberent, nequaquam corpus Chriſti,
quod eſt Eccleſia, dilacerarent. Quoniam
ergo dilacerant, charitatem non habent: ſine
quâ quicquid habent, inaniter ad vitam cum
H. Aug. lib. de Unico Bapt. contra Petilian. cap. 7. Chriſto promerendam habent: H. Neque enim
„ in regnum ſuum ille recepturus eſt omnes
„ in quibus invenerit aliquam veritatem, ſed
„ in quibus invenerit veritati conſentaneam
„ charitatem: quæ ſi defuerit, iniquitas erit".
Quamdiu autem iniquitas hujuſmodi durat,
januam regni cæleſtis occludit: neque enim
Chriſtus in illud ſuum regnum intromittet,
niſi quem in compage ſui corporis repererit:
I. Aug. Epiſt. 50. in fine. Vide Fragmento 2. c. 21. & Fulgent. l. ad Felicem de Trinit. c. 1. & lib 2. ad Monim. c. 11. „ I. Unus enim panis, ait idem Auguſtinus,
„ Sacramentum eſt unitatis; quoniam ſicut
1. Cor. 10. 17. „ Apoſtolus dicit, *Vnus panis unum corpus ſu-*
„ *mus.* Proinde Eccleſia Catholica, ſola cor-
„ pus eſt Chriſti, cujus ille caput eſt, Salvator
„ corporis ſui. Extra hoc corpus neminem
„ vivificat Spiritus Sanctus: quia idem ipſe
Rom. 5. 5. „ dicit Apoſtolus, *Charitas Dei diffuſa eſt in cor-*
„ *dibus noſtris, per Spiritum Sanctum qui datus eſt*
„ *nobis.* Non eſt autem particeps divinæ cha-
„ ritatis, qui hoſtis eſt unitatis. Non habent

„ itaque Spiritum Sanctum, qui ſunt extra
„ Eccleſiam: de illis quippe ſcriptum eſt, *Qui* Iud. v. 19.
„ *ſeipſos ſegregant, animales, Spiritum non haben-*
tes". Qui rursùs lib. 4. de Symbolo ad Ca-
tech. cap. 13. " Si quis, inquit, abſque Eccle-
„ ſiâ inventus fuerit, alienus erit à numero
„ filiorum: nec habebit Deum Patrem, qui
„ Eccleſiam noluerit habere Matrem. Nihil-
„ que ei valebit quòd crediderit, vel fecit tanta
„ bona, ſine fine ſummi boni. Eccleſia Mater
„ eſt ſpiritalis, Sponſa eſt Chriſti, gratiâ ejus
„ dealbata, pretioſo ſanguine dotata: totum
„ poſſidet, quod à viro ſuo accepit in dote.
„ Lego tabulas matrimoniales ejus, recitabo:
„ audite hæretici quid ſcriptum ſit, *Oportebat* Luc. 24. 46. & 47.
„ *Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis, & prædi-*
„ *cari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem*
„ *peccatorum per omnes gentes.* Omnes gentes,
„ totus Mundus eſt, Eccleſia totum poſſidet,
„ quod à viro ſuo accepit in dote. Quæcunque
„ congregatio cujuſlibet hæreſis in angulo ſe-
„ det, concubina eſt, non matrona". Concu-
binæ igitur, & non matronæ, juxta hanc in-
telligentiam, ſunt omnes illæ *filiæ*, quas Mu-
lier noſtra fortis perhibetur *ſupergreſſa univer-* Prov. 31. 29.
ſas; non utique tanquam matrona matronas,
ſed tanquam matrona concubinas, tanquam
lilium ſpinas: K. quia ſicut lilium, inquit Am- Cant. 2. 2.
„ broſius, inter ſpinas eminet, ita ſuper om- K. Ambroſ. in Pſal. 118. Octonar. 5.
nes conventus Eccleſia Dei refulget". Vide Theodoret. in c. 2. Cantic. v. 2.
CXXVII. Paulò latiùs quàm Ambroſius
& Auguſtinus *filias* illas interpretatur Beda &
Rabanus, quas Mulier fortis *ſupergreditur uni-*
verſas: latiſſimè verò Arboreus. Etenim Beda,
& Rabanus earum *filiarum* nomine non ſolos
comprehendunt hæreticos ac ſchiſmaticos, ab
Eccleſiæ compage palàm ſejunctos; ſed malos
etiam Catholicos, Eccleſiæ alioqui coaduna-
tos: Arboreus denique ultrà progreſſus, etiam
Mundi Philoſophos eodem *filiarum* vocabulo
comprehendi cenſet: L. *Multæ filiæ*, ait cum L. Beda & Rabanus in c. 31. Prov. v. 29 item Beda lib. de Muliere forti, tit. Reſc.
„ Rabano Beda, *congregaverunt divitias, tu ſuper-*
„ *greſſa es univerſas*: multas filias dicit Eccleſias
„ hæreticorum, & malorum turbas Catholi-
„ corum. Quæ dicuntur *filiæ* vel Chriſti, vel
„ Eccleſiæ: quia etiam ipſæ ſunt Dominicis Prov. 31. 29.
„ renatæ Sacramentis, & adoptionem filio-
„ rum, quam non cuſtodiere, perceperunt.
„ Unde & Joannes ait, *De nobis exierunt, ſed non* 1. Joan. 2. 19.
„ *erant ex nobis.* Quæ *congregaverunt divitias,*
„ videlicet bonorum operum, orationes, jeju-
„ nia, eleëmoſynas, afflictionem & caſtimo-
„ niam carnis, continentiam linguæ, medita-
„ tionem Scripturarum, & cætera hujuſmodi,
„ quæ verè ſunt divitiæ Spiritûs, ubi purâ
„ ſinceritate mentis geruntur: ubi autem ſine
„ *fide quæ per dilectionem operatur* fiunt, nihil Gal. 5. 6.
„ agentibus proſunt. Sed & illæ *filiæ* fruſtrà
„ *congregaverunt divitias*, de quibus Dominus ait: Mat 7. 22. & 23.
„ *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine,*
nonne

Digitized by Google

„*nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo* „ *dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas* „ *fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi* „*vos*. Sed omnes iſtiuſmodi *filias* Eccleſia Catho- „ lica *ſupergreditur*, quæ fide caſta, & opere per- „ fecta, Redemptoris ſui veſtigia ſectatur". Ubi videmus, *filiarum* nomine non modò *hæreticorum Eccleſias*, ſed & *malorum catholicorum turbas* comprehendi. Et ſanè hujuſmodi malorum catholicorum turbas interdum in Scripturis dici *filias* propter communionem Sacramentorum, & ſimul *ſpinas* propter malignitatem morum, disertè aſſerit Auguſtinus lib. de unitate Eccleſiæ cap. 14. Notat præterea Rupertus, *filiarum* nomen in Scripturis ſine addito poſitum, nonniſi in malam ferè ſumi partem: M. *Filiæ*, inquiens, cùm abſolutè dicun- „ tur, ferè nuſquam ſignificationem bonam „ habent: ut illic, *Filiæ diſcurrerunt ſuper murum*, „ *ſed exacerbaverunt, & iurgatæ ſunt, inviderunt* „ *illi habentes iacula*: & alibi, *Multæ filiæ congre-* „ *gaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas*". Sed ad Arboreum veniamus, qui nomine *filiarum* quas Mulier noſtra fortis *ſupergreſſa eſt*, etiam gentilium Philoſophorum turbas ſeu ſectas comprehendit: N. Philoſophi, ait ipſe, „ & hæretici, multarum rerum cognitionem „ & peritiam habuerunt, quandoquidem no- „ verunt & intellexerunt unam eſſe ſupremam „ cauſam infinitæ virtutis & ſapientiæ, cujus „ voluntate, & providentiâ, & ſapientiâ, cæ- „ leſtia & terreſtria reguntur; & multas vir- „ tutum intellectualium divitias ſibi compa- „ rarunt: quia tamen in ſuperbiam elati ſunt, „ & nimiùm ſuis ingeniis confiderunt, in ſuis „ cogitationibus evanuerunt, & dicentes ſe „ eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Quorum „ *divitias* Eccleſia, ſapientiâ, dignitate, au- „ thoritate, & ſanctitate ſuperavit. Et licèt „ nonnulli donis eloquentiæ, fidei, ſa- „ pientiæ, & intellectûs ditentur: quia tamen „ ſanctimoniam vitæ negligunt, nec puro „ corde & ſincerâ mente Deum colunt & „ amant, idcircò cum ſuis *divitiis* pereunt & „ computreſcunt: de quibus dicit Chriſtus, „ *Multi dicent mihi in illâ die, Domine, Domine,* „ *nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomi-* „ *ne tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtu-* „ *tes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia* „ *nunquam novi vos: diſcedite à me omnes qui ope-* „ *ramini iniquitatem*. Sed omnes hujuſmodi „ Chriſtianos Eccleſia Catholica *ſupergreditur*, „ quæ fide ſincerâ & perfectis operibus veſtigia ſui Sponſi ſectatur". In hoc Arborei Commentario nemo ambigit quin rectè præferatur Ecccleſia univerſis ſectis ac turbis non ſolùm hæreticorum & ſchiſmaticorum, ſed etiam Paganorum, imò & Judæorum in ſuâ nunc perfidiâ obſtinatorum. Sed difficultas eſt, quomodò extraneæ illæ ſectæ Paganorum aut Judæorum poſſint vocari *filiæ*, cùm nunquam fuerint vel ipſo baptiſmi lavacro regeneratæ, vel aliâ quavis ratione in Dei filias adoptatæ. Si autem nequeant vocari *filiæ*, non apparet quòd hìc veniant in conſiderationem, ubi Eccleſia dicitur *ſupergreſſa univerſas*, utique *filias* quantumlibet *ditatas*, de quibus ſolis illic fit mentio. Ob hanc difficultatem videntur cæteri Expoſitores hactenùs relati reſtrinxiſſe hoc loco *filiarum* nomen ad regeneratorum hominum ſectas aut turbas. Quorum ſalvâ authoritate reſponderi pro Arboreo poteſt, fieri quidem hìc expreſſam mentionem *filiarum*, & Mulierem fortem dici *ſupergreſſam univerſas*, ſubintelligendo *filias*: ſed nequaquam indicari cujuſnam patris vel matris hæ ſint *filiæ*. Neque enim ſolus Deus habet filios aut filias, ſed Diabolus quoque ſuos habet & ſuas: è quorum numero erant, quibus Chriſtus dicebat: *Vos ex patre diabolo eſtis*. Porrò ſicut Deus ſibi filios ac filias generat de Eccleſiâ verâ, ita Diabolus de Eccleſiâ ſpuriâ, quam in Apocalypſi reperimus dictam *Satanæ ſynagogam*, & apud Pſalmographum *Eccleſiam malignantium*. Aliter item reſponderi poteſt, eas dici *filias* etiam reſpectu Dei, qui omnium Pater eſt per creationem naturæ ad imaginem ſuam. De quo genere paternitatis loquitur Propheta Malachias, *Nunquid non pater unus omnium noſtrûm? Nunquid non Deus unus creavit nos?* Et ante hunc Moyſes, *Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?* Ex quibus apparet, Arborei Commentarium non eſſe hac ex parte pro improbabili explodendum, quanquam aliorum Commentarius videatur præferendus.

[Marginal notes: Auguſtinus. — M. Rupert. l. 1. in c. 2. Cantic. — Gen. 49. 22. & 23. — Prov. 31. 29. — N. Arbor in cap. 31. Proverb. v. 29. — Mat. 7. 22. & ſeqq. — DIFFICULTAS. — EXPEDITUR. — Ioan. 8. 44. — Apoc. 2. 9. — Pſal. 25. 5. — Mal. 2. 10. — Deut. 32. 6.]

Digitized by Google

CAPUT XXXVIII.

Vigeſimum primum ejuſdem Poëmatis verſiculum inchoat in Hebræo littera Sin, *quam Hieronymus interpretatur* Dentes, *Ambroſius* Super vulnus, *Arboreus* Tentationem egredientem, *Zamorenſis* Mutationem *vel* Secundationem, *Iſaacus* Diſce: *quæ interpretationes ſingulatim Mulieri forti, ſive Eccleſiæ, congruere monſtrantur. Eccleſiæ* Dentes *qui? Petro cælitùs dictum eſt,* Macta & manduca. *Dentium diviſio in præciſores, columellos, & molares. Dentibus Eccleſiæ contrariantur* dentes peccatorum, *quos Dominus conterit. Comparatio dentium Mulieris fortis, cum dentibus Evæ vetitum fructum mordentis, ac lethale vulnus poſteris infligentis. Eccleſiæ apotheca pharmacis abundat, quibus vulnera ſuis filijs inflicta ſanet. Ad hoc ſinuntur hæreſes naſci & adoleſcere, ut Eccleſiæ fides patiendo tentationem lucretur probationem. Magna Eccleſiæ tentatio, celebrium Magiſtrorum prolapſio. Deus neminem tentat tentatione ſeductionis, ſed benè probationis. Homo ſeipſum neſcit, niſi in tentatione ſe diſcat. Omnibus errantibus utitur Eccleſia in ſuum profectum. Abraham Patriarcha ſe* pulverem *agnovit &* cinerem: *& quid his importetur? Quatenùs differat* Sin *littera, à* Sin *dictione? Quid portenderit* Rubus *à Moyſe viſus* ardens, ſed incombuſtus?

CXXVIII. VIgeſimum primum ſive penultimum Alphabetici hujuſce Poëmatis verſiculum inchoat littera *Sin*, quæ in ſerie Alphabeti vigeſima prima ſive penultima ordine eſt apud Hebræos; & juxta Hieronymum §. 48. relatum denotat *Dentes:* juxta Ambroſium verò in Pſalm. 118. Octon. 21. interpretatur *Super vulnus:* juxta Arboreum in caput 31. Proverb. v. 30. *Tentatio egrediens*, ſive *Egreſſio tentationis:* juxta Zamorenſem *Mutatio* vel *Secundatio:* juxta Iſaacum *Diſce*. Quas interpretationes Mulieri forti ſub Eccleſiæ typo congruere, perſpicuum fiet diſcurrendo per ſingulas. Niſi enim venuſtè dentata eſſet, non diceret ei iteratò Sponſus in Canticis,
Cant. 4. 2. & Cant. 6. 5. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lavacro.* Ubi Gregorius Papa: O. Sicut per
O. Greg. in cap. 4. Canticorum. Vide Ambr. in Pſal. 118. Octon. 16. & & Aug. l. 2. de Doctr. Christ. c. 6. „ *oculos* Sponſæ, inquit, Prædicatores intelliguntur, quia per eos Eccleſia illuminatur: „ ſimiliter & *dentes* ejuſdem poſſunt iidem „ dici, quia per eos conſumuntur infideles, „ & nutriuntur parvuli. Dentes quippe benè „ Sancti Prædicatores dicuntur, quia dum „ ſanctam Scripturam exponendo minoribus „ fratribus elucidant, quaſi panem parvulis „ tanquam matres filiis commaſticant, quo infirmi ad fortiora convaleſcant". Qui rursùs lib. 33. Moral. c. 23. aliàs 29." Sanctæ Eccleſiæ „ *dentes*, inquit, accipimus eos, qui prædicationibus ſuis duritiam peccantium conterunt. „ Unde ei per Salomonem dicitur, *Dentes tui* „ *ſicut greges detonſarum aſcendentium de lavacro*". Et Venerabilis Beda in Allegoricâ Canticorum Expoſitione: P. Sicut in *capillis* Eccleſiæ, P. Beda l. 1. in caput 4. Cantic. Vide Rabanum lib. 6. de Univerſo, & l. 19. in caput 3. Threnor. Hieremiæ.
„ inquit, populi fragilioribus adhuc actibus „ dediti; ſic perfectiores quique, & ad regendam Eccleſiam apti, deſignantur in *dentibus*: quia nimirum iſti numeroſitate, illi firmitate præſtant; iſti intùs verbo reficiunt, „ illi quamvis arcanorum interna minùs penetrent, extrinſecùs Eccleſiam bonis ornant operibus. An non *Deus* Eccleſiæ rectè „ vocetur ille, cui dictum eſt: *Surge Petre,* Act. 10. 13.
„ *occide & manduca?* Occide, in malis quod „ fuerunt, docendo anathematizare quod coluerunt; & ipſos veræ fidei profeſſione redditos bonos inſere unitati corporis tui, quod „ eſt Eccleſia Chriſti. Et quidem ſuprà iidem „ Doctores fuerant *oculorum* nomine ſignati: Cant. 4. 1.
„ ſed *oculi* ſunt, quia ſecreta myſteriorum „ ſpiritalium acutè perſpiciunt; *dentes*, quia „ improbos verbo veritatis corripiunt, correptoſque atque mundatos in Sanctæ Eccleſiæ membra trajiciunt. *Dentes* ſunt Eccleſiæ, „ quia panem verbi Dei parvulis illius, ad „ quem mandendum ij non ſufficiunt, parant. „ Solent quippe piæ nutrices particulas panis denti-

„ dentibus conficere, & inter lactandum parvulorum faucibus minuta manſa immittere, „ donec eos paulatim abſtractos à lacte ad „ uſum panis perducant: ſic ſancta mater Eccleſia habet Doctores, qui inſtar uberum „ lac doctrinæ mollioris incipientibus miniſtrent: habet eoſdem ipſos, non ignaros „ benè proficientibus panem verbi fortioris „ porrigere. Sed ut ritè proficiant, paulatim „ neceſſe eſt eos ut per partes ad altiora diſcenda provocent, primòque eis apertiora de ſecretis ſpiritalibus, & hæc cautâ ac diligenti expoſitione diſcuſſa, quaſi jam dentibus „ præmaſticata, committant; quò hæc crebriùs agendo, pedetentim eos interiorum capaces reddant arcanorum". Similia habet Philo Carpathius in eundem Canticorum locum, cui conſonat Juſtus Orgelitanus ibidem: quibus adjungo Aponium, ita ſcribentem: Q. *Dentes* Eccleſiæ illos opinor intelligi, „ qui non lacte doctrinæ indigent, ſed infantiæ tranſcendentes ætatem non ſolùm fortiſſimum cibum mandunt, ſed etiam muri „ fortiſſimi in Eccleſiæ corpore ad dividendam & ruminandam carnem Verbi Dei „ conſtituti probantur; & acutiſſimi ingenio „ ad dividendas unicuique animæ pro poſſibilitate, ut cuique conveniat, divinas ſententias. Omnes quidem *dentes* in uno ore „ conſiſtunt, ſed aliud officium habent qui „ laborum vicinitate junguntur, qui in partes „ dividunt cibum; & aliud qui diviſum, ad „ unam ſubtilitatem ſpiritalem redactum, ad „ omnia membra Eccleſiæ ſuſtentanda tranſmittunt: ſicut ait Magiſter Gentium, *Unicuique diviſit Deus ſecundùm menſuram fidei*: &, „ *Primùm conſtituit Deus in Eccleſia Apoſtolos, inde* „ *Prophetas, tertiò Doctores.* Primi ergo *dentes* „ videntur mihi, ſecundùm hiſtoriam exponendo, dividere verbum Scripturæ divinæ, „ quid unicuique perſonæ conveniat eſſe præceptum, ſecundùm illud: *In lege Domini meditabitur die ac nocte*: & illud, *Et nunc Reges* „ *intelligite, erudimini qui iudicatis terram*: & illud, *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*". Videtur mutilus eſſe hic Aponii textus, eò quòd præmiſſis *primis dentibus*, nihil addat author de ſecundis, aut tertiis: cùm tamen uſitata ſit dentium diſtributio in tres ordines: R. Horum primi, inquit Iſidorus, *præciſores* dicuntur; quia omne quod accipitur, ipſi priùs incidunt. Sequentes vocantur *canini*, quorum duo in dexterâ maxillâ, & duo in ſiniſtrâ ſunt: & dicti ſunt „ *canini*, quia ad ſimilitudinem caninorum „ dentium exiſtunt; ſicut homines quod non „ poſſunt priores præcidere, illis confringendum tradant: hos vulgus pro longitudine „ & rotunditate *columellos* vocant. Ultimi „ ſunt *molares*, qui conciſa à prioribus, atque „ confracta, ſubigunt, & molunt, atque immaſſant: unde & *molares* vocati ſunt". Hiſce tribus *dentium* ordinibus aſſimilari reſpectivè poſſunt totidem in Eccleſiâ ordines Doctorum, ſive cæleſtis alimoniæ adminiſtrorum: quorum primi ſententias ex Scripturâ ſelectas ſimpliciter proponunt: ſecundi difficultates deſuper occurrentes expediunt, & quodammodò frangunt: tertii denique locos ejuſdem Scripturæ in ſpeciem diſſidentes conciliant. Porrò apud Baſilium Magnum duos duntaxat dentium ordines diſcerni video: S. *Dentes*, „ ait ipſe, alimoniæ ſunt adminiſtri, dum hi „ fruſtillatim illam concidunt, iſti conciſam & diſſectam minutim deterunt". Priori ordini reſpondent in Eccleſia Doctores, qui divini Eloquii alimoniam juxta litteralem ſenſum fidelibus porrigunt; poſteriori, qui juxta myſticum.

Philo Carpath. Juſtus Orgel.
Q. Aponius lib. 6. in Cantic.
Rom. 12. 3.
1. Cor. 12. 28.
Pſal. 1. 2.
Pſal. 2. 10.
Pſal. 81. 4.
R. Iſidor. l. 11. Orig. cap. 1. Vide Hugonem Victor. l. 3. Beſtiarij cap. 60.
S Baſil. Homil. 1. in fine.

CXXIX. Quanquam ergo Eccleſia ad ultimi jam ſæculi ſenectutem pervenerit, nequaquam tamen edentula evaſit, aut unquam in finem uſque ſuæ peregrinationis evaſura eſt; quia nunquam divinorum Eloquiorum Expoſitoribus, juxta utrumque ſenſum mox memoratum, caritura. Nam vir ejus in cælum aſcendens *Dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: ut iam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutiâ ad circumventionem erroris.* Neque enim æquum videbatur, ut ſponſa Chriſti deſtitueretur dentibus ſuis, quamdiu adverſarii in eam ſæviunt ſuis: *Benedictus Deus*, inquit filiorum Eccleſiæ unus, *qui non dedit nos in captionem dentibus eorum*. Quorum? Utique peccatorum, de quibus dictum eſt Deo, *Dentes peccatorum contriviſti*: T. Poſ„ ſunt, inquit Auguſtinus, *dentes peccatorum* „ accipi Principes peccatorum, quorum authoritate quiſque de ſocietate rectè viventium præciditur, & quaſi incorporatur malè „ viventibus. His dentibus contrarii ſunt *dentes Eccleſiæ*, quorum authoritate ab errore „ Gentilium, variorumque dogmatum, præciduntur credentes; & in eam, quæ Chriſti „ corpus eſt, transferuntur. His dentibus dictum eſt Petro ut *manducaret mactata animalia*, id eſt, occidendo in Gentibus quod „ erant, & transmutando in id quod ipſe eſſet. „ Et de his dentibus dicitur Eccleſiæ, *Dentes tui ſicut grex detonſarum aſcendens de lavacro, quæ omnes geminos pariunt, & ſterilis non eſt in illis.* Hi „ ſunt, qui rectè præcipiunt, & quemadmodùm præcipiunt ita vivunt: qui faciunt quod „ dictum eſt, *Luceant opera veſtra coram hominibus*,

Eph. 4. 11. & ſeqq.
Pſal. 123. 6.
Pſal. 3. 8.
T. Aug. in Pſal. 3 v. 8. Vide l. 2. de Doctrina Chriſt. c. 6.
Act. 10. 13.
Cant. 4. 2.
Mat. 5. 16.

Digitized by Google

„ *nibus, ut benedicant Patrem veſtrum qui in cælis* „ *eſt*. Horum enim authoritate commoti, Deo „ per illos loquenti & operanti, homines credunt; & ſeparati à ſæculo, cui conformati „ erant, in Eccleſiæ membra tranſeunt: & „ ideò rectè iſti per quos hæc fiunt, *dentes* dicuntur, *detonſis ovibus* ſimiles; quia jam terrenarum curarum onera depoſuerunt: & „ *aſcendentes de lavacro*, de ſordium ſcilicet ſæculi ablutione per ſacramentum baptiſmatis, *omnes geminos pariunt*. Operantur enim
Mat. 22. 40. „ duo præcepta, de quibus dictum eſt: *In his* „ *duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ*". Cæterùm prima iſta interpretatio litteræ *Sin*, quâ denotat *dentes*, aditum nobis patefacit ad intelligendas alias ejuſdem litteræ interpretationes §. 128. relatas; ſignanter eam quam ex Ambroſio illic memoravimus, quâ nimirùm eadem littera interpretatur *Super vulnus*. Cùm enim & adverſarii Mulieris fortis habeant *dentes* ſuos, & ipſa viciſſim habeat ſuos, proclive omninò eſt ut reciproca ſibi invicem infligant vulnera: quæ ne ſemel inflicta putentur irremediabilia, congruenter eidem Mulieri forti accommodatur littera *Sin*, quatenùs interpretatur *Super vulnus*, ad innuendum non ei deeſſe malagma, quo vulnera ſuis inflicta
V. Ambroſ. in Pſ. 118. Octon. 21. perſanet: V. *Super vulnus* quid eſt, inquit Ambroſius, niſi medicamentum, quo vulneris „ acerbitas mitigatur? Super vulnus oleum „ infunditur, ut omnis vulneris aſperitas molliatur: ſuper vulnus malagma, ſuper vulnus alligatura; à quibus omne vulnus fovetur. Ubi ergo ſpes refundendæ eſt ſanitatis, ibi adhibentur medicamenta vulneribus: ubi autem omne caput in dolore, & „ omne cor in mœſtitiâ, non eſt vulnus neque cicatrix, non plaga cum fervore, hoc „ eſt, ubi non portio ſed univerſitas periclitatur, & totius conſtitutio corporis quâdam labe conſumitur, ibi non eſt malagma „ imponere, neque oleum, neque alligaturam. Multò igitur commodius eſt, ut ſit „ vulnus quod foveas atque conſtringas, „ quàm ſine vulnere morbus ſerpat interior. „ Sed non eſt ſolùm corporis vulnus, ſed etiam „ mentis, quod oleo quodam mollioris alloquii, & pacifici ſermonis ſuavitate miteſcit: „ ſunt fomenta verborum, ſunt medicamenta „ cæleſtium præceptorum, quibus omne nequitiæ virus aboletur: ſunt legis vincula, „ quæ non adurunt, ſed magis liberant alligatos; eſt malagma ſpiritale, quo colliſa animæ quædam membra ſolidentur". His omnibus medicaminum ſpeciebus abundat Eccle-
1. Cor. 12. 28. ſia: *in quâ*, ut Paulus perhibet, *quoſdam poſuit Deus primùm quidem Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes*: cui inſuper concredita eſt divina Scriptura, ex quâ omnium languorum medela deſumi queat, prout Vide ſuprà §. 75.
§. 75. viſum eſt. Congruum utique fuit ut hujus Mulieris fortis apotheca pharmacis abundaret, quibus mederetur vulneribus ac languoribus per primam mulierem mordendo inflictis. Quærit Rupertus, Quales fuerint primæ illius mulieris dentes? W. Nimirum, re- W. Rupert. lib. 3. in Cantica.
„ ſpondet, ſicut dentes leonum: quia momorderunt, & mordendo vetitum fructum, „ venturæ poſteritatis animas interfecerunt. „ Si enim de filiis ejus veraciter dictum vel „ ſcriptum eſt, *Filii hominum, dentes eorum arma* Pſal. 56. 5.
„ *& ſagittæ*; & illud, *Deus conteret dentes eorum* Pſal. 57. 7.
„ *in ore ipſorum, molas leonum confringet Dominus*: „ quantò magis de illâ, quæ tali conſilio momordit, cujus morſus tam malus proventus „ extitit, rectè quis dicat, quia dentes ejus arma ferrea fuerunt"? Quoniam igitur prima illa mulier, ſponſa primi Adam, dentibus ſuis ferreis ſauciavit ſuam progeniem; idcircò opus fuit ut Mulieri huic forti, ſponſæ ſecundi Adam, ſuppeterent medicamina, quibus ſanari queat eadem progenies. Horum itaque ſuppetentiam innuit littera *Sin*, quatenùs interpretatur *Super vulnus*: quod non aliud ſonat, quàm malagma, cataplaſma, medicamen.

CXXX. Superſunt adhuc tres aliæ ejuſdem litteræ *Sin* interpretationes, §. 128. memoratæ: quarum prima eſt *Tentatio egrediens*, ſive *Egreſſio tentationis*. Et hanc quidem congruere Eccleſiæ facilè ſibi perſuadebit, qui conſideraverit, quàm crebrò ipſa tentetur ac inceſſatur ab hæreticis aut ſchiſmaticis, de ſuo ſinu egredientibus, & altare contra altare erigentibus: *Ex vobis ipſis*, aiebat fidelium cœtui Act. 20. 30.
Apoſtolus, *exurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe*: & Joannes Apoſtolus de talibus ait ex perſonâ Eccleſiæ, *Ex nobis prodierunt*: & rursùs Paulus Eccleſiam Co- 1. Joan. 2. 19.
rinthiacam alloquens: *Audio*, inquit, *ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo: nam oportet & hæreſes eſſe*: X. Non oportet nos mirari, inquit, 1. Cor. 11. 18. & 19.
„ Tertullianus, ſuper hæreſes, ſive quia ſunt; X. Tertull. lib. de præſcript. c. 1.
„ futuræ enim prænuntiabantur: ſive quia fidem quorundam ſubvertunt; ad hoc enim „ ſunt, ut fides habendo TENTATIONEM, habeat etiam probationem". Et Vincentius Lyrinenſis: Y. Audiamus, inquit, Y. Vincent. Lyrin. c. 15.
„ Sanctum Moyſen, & ipſe nos doceat, cur „ docti viri, & qui propter ſcientiæ gratiam „ ab Apoſtolo etiam *Prophetæ* nuncupantur, 1. Cor. 14. 29. & 37.
„ proferre interdùm permittantur nova dogmata, quæ vetus Teſtamentum allegorico „ ſermone *Deos alienos* appellare conſuevit; „ eò quòd ſcilicet ita ab hæreticis ipſorum „ opiniones, ſicut à Gentilibus Dii ſui, obſerventur. Scribit ergo in Deuteronomio „ Beatus Moyſes: *Si ſurrexerit in medio tui Pro-* Deut. 13. 1.
„ *pheta, aut qui ſomnium ſe vidiſſe dicat*: id eſt,
Magiſter

Digitized by Google

,, Magiſter in Eccleſia conſtitutus, quem diſ-
,, cipuli vel auditores ſui ex aliquâ revela-
Ibid. v. 1. & 2. ,, tione docere arbitrentur. Quid deinde? *Et*
,, *prædixerit*, inquit, *ſignum atque portentum*, *&*
,, *evenerit quod locutus eſt*. Magnus profectò,
,, neſcio quis, ſignificatur Magiſter, & tantæ
,, ſcientiæ, qui Sectatoribus propriis non ſo-
,, lùm quæ humana ſunt noſſe, verùmetiam
,, quæ ſupra hominem ſunt prænoſcere poſſe
,, videatur; quales ferè diſcipuli ſui jactitant
,, fuiſſe *Valentinum*, *Donatum*, *Photinum*, *Apolli-*
,, *narem*, cæteroſque ejuſmodi. Quid poſteà?
Ibid. v. 2. ,, *Et dixerit*, inquit, *tibi*, *Eamus*, *& ſequamur*
,, *Deos alienos, quos ignoras*; *& ſerviamus eis*. Qui
,, ſunt *Dij alieni*, niſi errores extranei, quos
,, ignorabas? id eſt, novi & inauditi: *Et*
,, *ſerviamus eis*? id eſt, credamus eis, ſequamur
Ibid. v. 3. ,, eos. Quid ad extremum? *Non audies*, in-
,, quit, *verba Prophetæ illius aut ſomniatoris*. Et
,, quare, oro te, à Deo non prohibetur do-
Ibid. ,, ceri, quod à Deo prohibetur audiri? *Quia*,
,, inquit, *tentat vos Dominus Deus veſter*, *ut palàm*
,, *fiat utrum diligatis eum*, *an non*, *in toto corde*, *&*
,, *in totâ animâ veſtrâ*. Luce clariùs aperta cauſa
,, eſt, cur interdùm divina providentia quoſ-
,, dam Eccleſiarum Magiſtros nova quædam
,, dogmata prædicare patiatur: *ut tentet vos*,
,, inquit, *Dominus Deus veſter*. Et profectò
,, magna TENTATIO eſt, cùm ille quem tu
,, Prophetam, quem Prophetarum diſcipulum,
,, quem Doctorem & aſſertorem veritatis
,, putes, quem ſummâ veneratione & amore
,, complexus ſis; is ſubitò latenter noxios
,, ſubinducat errores, quos nec citò depre-
,, hendere valeas, dum antiqui magiſterii du-
,, ceris præjudicio; nec facilè damnare fas du-
,, cis, dum Magiſtri veteris præpediris affectu".
Hanc ille aſſertionem ſuam variis exemplis per
ſequentia aliquot capita illuſtrat, proximo
ſcilicet capite exemplis *Neſtorij*, *Photini*, *Apol-*
linaris; quorum quantò major fuerat in Eccle-
ſia exiſtimatio, tantò gravior eorum lapſum
ſubſecuta eſt tentatio. Rursùs cap. 23. pro-
fert exemplum Origenis: " Ego ita arbitror,
,, inquiens, quòd cùm multos in hoc TEN-
,, TANDI genere proferre valeamus, nemo
,, penè ſit, qui Origenis TENTATIONI
,, valeat comparari: in quo plura adeò præcla-
,, ra, adeò ſingularia, adeò mira extiterunt,
,, ut inter initia habendam cunctis aſſertioni-
bus ejus fidem quivis facilè judicaret". Tran-
ſit prætereà capite inde proximo ad Tertul-
lianum, dicens: " Sed & Tertulliani quòque
,, eadem eſt ratio: nam ſicut ille (*Origenes*)
,, apud Græcos, ita hic apud Latinos noſtros
,, omnium facilè Princeps judicandus eſt. Quid
,, enim hoc viro doctius? Quid in divinis
,, atque humanis rebus exercitatius? Nempè
,, omnem Philoſophiam, & cunctas Philoſo-
,, phorum ſectas, authores, aſſertoreſque ſec-
,, tarum, omneſque eorum diſciplinas, om-
,, nemque hiſtoriarum ac ſtudiorum varieta-
,, tem, mirâ quâdam mentis capacitate com-
,, plexus eſt. Ingenio verò nonne tam gravi
,, ac vehementi excelluit, ut nihil ſibi penè
,, ad expugnandum propoſuerit, quod non
,, aut acumine irruperit, aut pondere eliſerit?
,, Jam porrò orationis ejus laudes qui exequi
,, valeat? Quæ tantâ, neſcio quâ, rationum
,, denſitate conferta eſt, ut ad conſenſum ſui,
,, quos ſuadere non potuerit, impellat: cujus
,, quot penè verba, tot ſententiæ ſunt; quot
,, ſenſus, tot victoriæ. Sciunt hoc *Marciones*,
,, *Apelles*, *Praxea*, *Hermogenes*, *Iudæi*, *Gentiles*,
,, *Gnoſtici*, cæteriqùe; quorum ille blaſphe-
,, mias multis ac magnis voluminum ſuorum
,, molibus, velut quibuſdam fulminibus, ever-
,, tit". Concludit demùm idem Vincentius ca-
put iſtud hiſce verbis: " His igitur tot ac
,, tantis, cæteriſque ejuſmodi Eccleſiaſtico-
,, rum exemplorum molibus, evidenter ad-
,, vertere, & ſecundùm Deuteronomii leges
,, luce clariùs intelligere debemus, quòd ſi-
,, quando aliquis Eccleſiaſticus Magiſter à
,, fide aberraverit, ad TENTATIONEM
,, id noſtram fieri providentia divina patia-
,, tur: *Utrùm diligamus Deum*, *an non*, *in toto* Deut. 13. 3.
corde & in totâ animâ noſtrâ". Ubi obiter ob-
ſervanda eſt diviſio TENTATIONIS uſitata,
in eam quæ eſt ſeductionis, & eam quæ pro-
bationis, quarum prior ex Deo non eſt, niſi
permiſſivè; poſterior autem ab ipſo ſæpè eſt
etiam immiſſivè. Unde Auguſtinus: Z. Sub Z Aug. l. 2. de Conſenſu Euang. cap. 30
,, aliâ ſignificatione, inquit, intelligitur TEN- Iac 1 14.
,, TATIO, de quâ dictum eſt, *Deus neminem* Deut. 13. 3.
,, *tentat*; & ſub aliâ, de quâ dictum eſt, *Ten-*
,, *tat vos Dominus Deus veſter*, *ut ſciat ſi diligitis*
,, *eum*. Illa ſeductionis eſt, hæc probationis".
Inquirit porrò idem Auguſtinus Tract. 43.
in Joannem, " Quomodò tentat Deus *ut ſciat*,
,, quem latere nihil poteſt antequam tentet"?
Reſpondetque continuò: " Non ergo Deus
,, neſcit; ſed dictum eſt, *ut ſciat*: quod eſt, *ut*
ſcire vos faciat". Quæ quidem reſponſio alibi
crebrò ſervire poteſt, non tamen hoc loco
neceſſaria eſt utentibus editione vulgata Bi-
bliorum; ubi nequaquam habetur, *ut ſciat*: ſed,
ut palam fiat: pro quo Chaldæus Paraphraſtes
legit, *ut cognoſcatur*, hoc eſt, ut conſtet, ut
appareat, ut innoteſcat: non utique Deo, qui,
Scripturâ teſtante, *Signa & monſtra ſcit ante-* Sap. 8. 8.
quam fiant, *& eventus temporum & ſæculorum*: ſed
hominibus, qui ſæpè non modò alios, ſed ſe
quòque ipſos ignorant, donec tentatio eis ocu-
los aperiat. Qua de re fusè Auguſtinus Serm.
72. de Tempore, ubi illud inter alia ait: *Neſcit*
ſe homo, *niſi in tentatione diſcat ſe*.

CXXXI. Quæ jam præmiſſa ſunt de *egreſſu*
tentationis, viam parant ad intelligentiam
quartæ & quintæ interpretationis. Nam cùm

Digitized by Google

ideò ſinantur magni aliquando Magiſtri in errores prolabi, *ut fides habendo tentationem, habeat etiam probationem*, prout proximo §. ex Tertulliano audivimus: proculdubiò quoties Eccleſiam infeſtat ejuſmodi quæpiam tentatio, ſupervenit eidem nonnulla *mutatio*, & quidem talis quæ ſit *ſecundatio*, id eſt, proſperatio, melioratio, provectio. Etenim Eccleſia, ut pridem notavit Auguſtinus, A. Om-

A. Aug. l. de Vera Relig. cap. 6.

,, nibus errantibus utitur ad profectus ſuos, & ,, ad eorum correctionem cùm evigilare voluerint. Utitur enim Gentibus ad materiam ,, operationis ſuæ, HÆRETICIS AD PRO- ,, BATIONEM DOCTRINÆ SUÆ, Schiſmati- ,, cis ad documentum ſtabilitatis ſuæ, Judæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ". Et rursùs ibidem cap. 8. " Quoniam veriſſimè

1. Cor. 11. 19.

,, dictum eſt, *Oportet multas hæreſes eſſe, ut probati* ,, *manifeſti fiant inter vos*, utamur etiam illo di- ,, vinæ providentiæ beneficio. Ex his enim ,, hominibus hæretici fiunt, qui etiamſi eſſent ,, in Eccleſia, nihilo minùs errarent: cùm ,, autem foris ſunt, plurimùm proſunt: non ,, verum docendo, quod neſciunt; ſed ad ve- ,, rum quærendum carnales, & ad verum ape- ,, riendum ſpiritales Catholicos excitando. ,, Sunt enim innumerabiles in Eccleſia ſancta ,, Deo probati viri, ſed manifeſti non fiunt ,, inter nos quamdiu imperitiæ noſtræ tene- ,, bris delectati dormire malumus, quàm lu- ,, cem veritatis intueri. Quapropter, multi ,, ut diem Dei videant & gaudeant, per hære- ,, ticos de ſomno excitantur. Utamur ergo ,, etiam hæreticis, non ut eorum approbemus ,, errores, ſed ut Catholicam diſciplinam ad- ,, versùs eorum inſidias aſſerentes, vigilan- ,, tiores & cautiores ſimus, etiamſi eos ad ſalutem revocare non poſſimus". Plura in hanc rem diximus lib. 1. cap. 38. §. 141, quibus nunc addimus illud Theodoreti: B. Non

Vide lib. 1. §. 141.
B. Theodoret. Epiſt. 130.

,, fruſtrà adverſariis Spiritibus permittit om- ,, nium Rector Deus, ut impietatis fluctus ,, concitent: ſed eo fine, ut navigantium ani- ,, mos exploret, atque aliorum fortitudinem ,, retegat, aliorum timiditatem coarguat: & ,, iis quidem, qui externam tantummodò ,, pietatis ſpeciem habent, perſonam adimat; ,, veritatis autem defenſores cum laude re- ,, renunciet". Eſt prætereà alia quædam utilitas non modica, quam Deus ex hæreſum graſſatione procurat Eccleſiæ ſuæ, humiliatio ſcilicet perſeverantium in ipſâ fidelium: qui conſiderando lapſum ſublimium quorundam Magiſtrorum qui videbantur eſſe quaſi columnæ, humiliantur ſub potenti manu Dei, ne fortè & ipſi ſuccumbere ſinantur tentationi: proponunt ſibi ob oculos mentis illam Auguſtini ſententiam, jugiter recolendam: C. Nullum eſt peccatum quod fe- ,, cit homo, quod non poſſit facere alter homo,

C. Aug. Homil. 21. inter 50. c. 6.

,, ſi deſit rector à quo factus eſt homo". Atque ita non ſibi, ſed regenti ſe Deo deputant, quòd aliis corruentibus immoti perſtiterint: dicuntque cum Iſaiâ ex communi perſiſtentium perſonâ, *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus*: dicit & cuique ipſorum viritim Dominus, *Cuſtodivi te, ne peccares in me*. Quam cuſtodiam ſi quando ille ſubtraxerit, quid erit homo quantumvis aliàs à naturâ vegetus, niſi quod de ſe profeſſus eſt pater credentium, *pulvis & cinis*? Quid porrò iſtud ſit, eruditè exponit Richardus Victorinus: D. *Pul-* ,, *vis*, inquiens, ad omnem flatum de ſuo loco ,, excutitur, & quòcunque dejectus, nunquam ,, niſi alieno impulſu levatur. Ecce habes for- ,, mam defectus humani, quantùm pertinet ad ,, conſiderationem mali: ſubtractâ namque ,, gratiâ & protectione divinâ, homo ad ini- ,, mici ſuggeſtionem in quodcunque malum ,, dejicitur; & ſemel dejectus, ad ſtatus recti- ,, tudinem propriâ nunquam virtute robora- ,, tur. *Cinis* ex ſe nullum omninò germen pro- ,, ducit, & aliunde ſuſceptum, non dico ad ,, incrementum, ſed ad ſuſtentamentum nu- ,, trire ullâ ſuâ pinguedine omnino non ſuffi- ,, cit. Ecce habes hìc formam defectus huma- ,, ni, quantùm pertinet ad conſiderationem ,, boni: nullum ſiquidem boni operis ger- ,, men poteſt homo ex ſemetipſo ſine operante ,, gratiâ producere; & cùm ex gratiâ operante ,, habere jam cœperit, per ſemetipſum omni- ,, nò non poterit ſine ejus cooperatione cuſtodire". Hanc itaque fragilitatis humanæ divino munimine deſtitutæ conſiderationem inculcat cuique noſtrûm littera *Sin*, quatenus interpretatur *Diſce*, hoc eſt, aliorum lapſus faciat te cautum, *Conſidera teipſum, ne & tu tenteris*: dic tibi ipſi iſtud Propheticum, *Ulula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vaſtati ſunt: ululate quercus Baſan, quoniam ſucciſus eſt ſaltus munitus*: dic item tibi ipſi illud Apoſtoli, *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*. Hæc eſt ſaluberrima diſciplina, cui nos aſſueſcere monemur quoties legimus vel legi audimus litteram *Sin*, prout interpretatur *Diſce*. Cui monitioni ſi gnaviter obtemperemus, *non patietur Deus nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed faciet etiam cum tentatione proventum*. Quem proventum, niſi pietatis augmentum cum ſufficientiæ ſuperpondio, juxta illud Pauli ad Timotheum, *Eſt autem quæſtus magnus, pietas cum ſufficientia*? Nihil enim ita accendit & auget devotionem noſtram erga Deum, ut conſideratio propriæ imbecillitatis cum omnimodâ dependentiâ ab eo. Cæterùm notat Hieronymus, *Sin*, non quidem ut littera, ſed ut dictio eſt, denotare partem Deſerti illius Arabici per quod peregrinatus eſt vetus Hebræorum populus poſt exitum de Ægypto, ſicut legitur in Exodo:

Iſa. 1. 9.
Gen. 20. 6.
Gen. 18. 27.
D. Rich. Victoris in Tract. de Differentiâ Sacrificii Abrahæ & Mariæ.
Gal. 6. 1.
Zach. 11. 2.
1. Cor. 10. 12.
Ibid. v. 13.
1. Tim. 6. 6.

Digitized by Google

Ex. 16. 1.

Exodo: *Venit omnis multitudo filiorum Iſraël in Deſertum* S I N, *quod eſt inter Elim & Sinai:* & rursùs in Numeris, *Profecti de Mari rubro, caſtrametati ſunt in Deſerto* S I N.

Num. 33. 10.

Verùm idem Hieronymus aliter interpretatur *Sin* hiſce locis ubi dictio eſt, quàm ſuperiùs ubi unica eſt alphabeti Hebraici litterula: [E] *Sin*, inquiens, „ interpretatur *Rubus*, vel *Odium*: quorum „ utrumque facit ad myſticos intellectus, quòd „ poſtquam venerimus ad eum locum de quo „ ſit nobis Dominus locuturus, grande odium „ mereamur inimici. Tunc *Videbimus ardere* „ *rubum, & non comburi*; inflammari Eccle„ ſiam perſecutionibus, ſed eam, loquente in illâ Domino, non perire". Origenes Homil. 27. in Numeros, & eum ſecutus Petrus Damiani lib. 2. Epiſt. 7. conſonant Hieronymo quantùm ad priorem interpretationem, ſed in ſecunda pro *odio* ſtatuunt *Tentationem*: quam jam diximus unam eſſe ex interpretationibus ipſius etiam litteræ *Sin*; non quidem à Hieronymo vel Ambroſio, ſed ab Arboreo aſſignatam. Conſonat autem per omnia Hieronymo Iſidorus in Numeros cap. 1.

E. Hieron. Epiſt. 127. Manſione 8. Vide Ambr. Tract de 42. Manſionib. in 8.

Exod 3. 2.

Origenes.

Pet. Damiani.

Iſidorus.

C A P U T XXXIX.

Vigeſimus primus ejuſdem Poëmatis verſiculus, à litterâ Sin cœptus, multifariè in latinum tranſlatus, & Ambroſij, Auguſtini, Bedæ, Rabani, Arborei commentarijs illuſtratus ſiſtitur. De varijs Scripturæ divinæ ſenſibus, in voce HIERUSALEM *exemplarizatis; obiter diſſeritur. Mulierem fortem univerſis filiabus divitias congregantibus ſuperponit timor Numinis, qui veræ ſapientiæ nucleus eſt, & à Latinis* pietas, *à Græcis ſignificantiùs* theoſebeia *dicitur, in hoc potiſſimè conſiſtens, ut anima Deo ſuo ingrata non ſit, ſed bona quæcunque habet, ei accepta referat, à quo accepit. Amanda eſt Dei bonitas, ſed metuenda ſeveritas. Qui non amat, timeat ne pereat; qui amat, timeat ne diſpliceat. Habet Dei timor ſuos aculeos quibus compungimur, habet & clavos quibus configimur. De triplici ligno Crucis Chriſti, deque clavis affigentibus Cruci manus ac pedes Chriſti. Hæreticorum ſectæ aſſimilantur perdici* congreganti divitias non in judicio. *Virgines fatuas* neſcire *dicitur Iudex; non ignorando, ſed improbando. Humanus favor* gratia *dictus, ſed* fallax. *Pulchritudo corporea Nazianzeno* temporis & morbi ludibrium, *Boëtio* vernalium florum mutabilitate fugacior, *Senecæ* exigui donum breve temporis. *Florem decoris ſinguli carpunt dies. Non reſpicit Mulier fortis ad vanitates & inſanias falſas, ſed eis ſpretis timori Domini ſeſe impendit ac ſuperimpendit.*

CXXXII. HActenus de littera initiali, nunc expendamus ipſum verſiculum inde inchoatum: quem vulgata editio exhibet hoc tenore expreſſum, *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: mulier timens Dominum ipſa laudabitur.* Pagninus & Vatablus conſonant vulgatæ per omnia, excepto quòd prior pro, *timens Dominum*, verterit, *cui eſt timor Domini*; poſterior, *cui eſt timor Iehovæ*. Verſio 70. Interpretum latinizata ſic habet, *Fallaces gratiæ, & vana pulchritudo mulieris: mulier enim intelligens benedicitur, timorem autem Domini iſta laudet:* Ambroſius ſic, *Fallaces gratiæ, & vana ſpecies non eſt in te: mulier enim prudens benedicitur, timorem autem Domini iſta laudet.* Auguſtinus denique ſic, *Falſæ gratiæ, & vana ſpecies mulieris: mulier enim ſapiens benedicitur, timorem autem Domini ipſa collaudat.* Porrò Commentarius utrique huic quoad ipſa etiam penè verba communis, ita textum elucidat: [F] Quia in filiabus quæ *potentias fecerunt* „ defuit charitas, ideò illis dicitur, *Fallaces gratiæ, & vana ſpecies*: quia ſine charitate ſunt *ſicut* „ *æramentum reſonans, & ſicut cymbalum tinniens*, „ nihil ſunt, nihil virtutes proſunt: igitur *fallaces gratiæ.* Iſta verò quia quæſivit quid in„ telligeret, intellectum cuſtodivit, meritò *ſa*„ *piens*, meritò *commendatur*. Quarè ſequitur, „ *Mulier enim prudens benedicitur: timorem autem* „ *Domini iſta laudet.* Iſta unde *benedicitur?* Quia

Prov. 31. 30.

F. Ambroſ. in caput 31. Prov. c 13. & Auguſt. Serm 45. de Diverſis cap. 19. Ibid. v 29. 1. Cor. 13. 1.

Prudens

„ *prudens* eſt. Quo autem ad prudentiam ac ſapientiam perducta eſt? Timore utique Domini, quia *initium ſapientiæ timor Domini* dicit Propheta. Tandem in tot operibus laborioſa, inter tot diſcrimina fortis, tot noctibus vigilans, provida ad expectandum, patiens ad tolerandum, conſtans ad perſeverandum, conſummatis laboribus quid erit illi? Utique illud, *Date ei de fructibus manuum ſuarum*". Beda & Rabanus, vulgatam editionem ſecuti, eundem verſiculum hocce Commentario illuſtrant: [G] „ *Fallax eſt gratia* laudis, quam ab homine accipit; *vana pulchritudo* caſtitatis vel operationis, quam hominibus oſtentat anima, quæ timore caret divino: at illa conſcientia verè eſt laude digna, quæ timorem Dei, in omnibus ſervat. Ipſe eſt enim principium cunctarum cuſtoſque virtutum, Scripturâ dicente, *Timor Domini principium ſapientiæ:* & iterùm, *Qui timet Dominum nihil negligit.* Hinc eſt enim quòd Beatus Job & in proſperitate virtutibus mirabiliter floruit, & in adverſitate inſuperabilis hoſti permanſit; quia veraciter dicere potuit, *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Fallax ergo ſimulatorum gratia, vanus decor operis ſtultorum: Eccleſia autem, quæ *in timore incolatus ſui tempore converſatur*, quoniam ardentes virtutum lampades venienti ad Judicium Sponſo ſuo offeret, jure ab eo laudata januam regni cæleſtis intrabit". Ubi videmus verſiculum iſtum accommodari quidem animæ cujuſque hominis devoti, ſecundùm ſenſum moralem; ita tamen ut Eccleſiæ adaptetur, ſecundùm ſenſum allegoricum: prout etiam crebrò alibi fit, etiam in explanatione hujus poëmatis de *Muliere forti*, quod præ manibus eſt. Nihil enim uſitatius eſt apud Theologos, quàm loca Scripturarum quadrupliciter ediſſerere, litteraliter ſcilicet, moraliter, allegoricè, & anagogicè: unde verſiculi vulgo jam triti, *Littera geſta docet, quid credas allegoria, Moralis quid agas, quò tendas anagogia.* Moralem intelligentiam nonnulli vocant *tropologicam:* ſignanter Hugo Victorinus in ſuis Miſcellaneis, ubi omnibus quatuor modis ſumi nomen *Hieruſalem* perhibet: [H] „ *Hieruſalem*, inquiens, quatuor accipitur modis: hiſtoricè terrena illa civitas, allegoricè ſancta Eccleſia, tropologicè quæque fidelis anima, anagogicè æterna felicitas. De primâ dicitur, *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas:* de ſecundâ & tertiâ, *Surge, illuminare Hieruſalem:* de quartâ, *Hieruſalem quæ ſurſum eſt, libera eſt, quæ eſt mater noſtra*". Videri prætereà poſſunt quæ de multiplici Scripturarum intelligentiâ diximus in Prologo libri 1. Hæc prænotanda cenſui propterea, quòd non Beda modò & Rabanus, ſed Arboreus quoque in expoſitione præſentis verſiculi utramque intelligentiam miſceat, moralem ſcilicet ſive tropologicam, & allegoricam; imò etiam fortè anagogicam, quatenùs conſiderat Eccleſiam in extremo Judicio à viro ſuo laudandam ac præmiandam. Ejus porrò in præſentem verſiculum Commentarius ſic habet: [I] „ Fallimur plerunque gratiâ laudis, quam venamur ab hominibus, & cupimus nobis exhiberi: laus enim humana, favor vulgi, & aura popularis nos occæcat, mentemque penitùs obſcurat. Nam gratia hominum, & præſertim ſimulatorum, citò perit; & ejus flos manè vireſcens, ad veſperam areſcit. Inſuper ornatus exterior, elegantia formæ, pulchritudo corporis, fucatus color, opum & ſtudiorum jactantia, ſimulatus amor, & quicquid Dei timore & amore caret, ſuum habet in officinâ vanitatis locum. *Mulier* autem hæc, ſcilicet Eccleſia, & ſancta anima, caſto timore timens Dominum, eique ardentes virtutum lampades offerens, immortalem gloriam ſibi comparabit: nam bonorum omnium initium, & cuſtos virtutum, eſt timor Domini. Unde Job, quem nullæ unquam adverſitates de gradu conſtantiæ dejecerunt, dicebat: *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui*".

Pſ. 110. 9. — *Prov. 31. 31.* — G. Beda & Rabanus in cap. 31. Proverb. v. 30. Item Beda l. de *Muliere forti*, lit. Sin. — *Prov. 1. 7.* — *Eccle. 7. 19.* — *Job 31. 23.* — *1. Pet. 1. 17.* — H. Hugo Victor. lib. 1. Erudition. Theolog. ex 2. Miſcell. tit. 54. Vide ibid. cap. 62. & l. 4. de clauſtro animæ cap. 1. & Hieron. in c. 49. Iſaiæ, & 16. Ezechielis. — *Matt. 23. 37.* — *Iſa. 60. 1.* — *Gal. 4. 26.* — I. Arboreus in caput 31. Prov. v. 30. — *Job 31. 23.*

CXXXIII. Pro pleniori præſentis verſiculi intelligentiâ advertendum eſt, continuari hìc præconium *Mulieris fortis*, ſuperiori verſiculo à viro ſuo inchoatum: qui illic dixerat eam *ſupergredi multas filias*, ſeu potiùs *univerſas*, congregationi divitiarum intentas; ſed modum hujuſce ſupergreſſionis ſiluerat, quem hìc exprimit iſtis verbis, *Mulier timens Dominum ipſa laudabitur:* tanquam diceret, Timendo Dominum ſupergreſſa eſt univerſas. Nec mirum utique, cùm alibi ſcriptum ſit: *Quàm magnus, qui invenit ſapientiam, & ſcientiam: ſed non eſt ſuper timentem Dominum.* Ubi ne quis putaret talem poſſe æquari timenti Dominum, etſi non ſit *ſuper eum*, ſed par ſaltem ei: continuò ibidem ſequitur, *Timor Domini ſuper omnia ſe ſuperpoſuit.* Cùm ergo timor Domini ſuperponat ſeipſum ſuper omnia, proculdubiò ſuperponit & ſubjectum ſuum ſuper eadem omnia: neque enim ſine ſuo ſubjecto aſcendit, ſed illud ſecum convehit quòcunque pergit. Sed dubitari poteſt quomodò timor iſte ſuperponat ſe ſuper ſapientiam, cùm non videatur diſtingui ab eâ, juxta illam Domini ſententiam à Jobo expreſſam, *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia.* Reſpondetur, Eccleſiaſticum non præferre timorem Domini ei ſapientiæ quæ eadem cum ipſo eſt, ſed ei quam *Magni* illi de quibus prælocutus fuerat invenerunt, aut certè inveniſſe putaverunt & jactaverunt. Hæc enim cùm à vero Numinis cultu disjuncta fuerit, apicem illius ſapientiæ, quæ *timor Domini* dicta eſt, neutiquam

Prov. 31. 30. — *Eccli. 25. 13.* — *Ibid. v. 14.* — DVBIVM. — *Job 28. 28.* — EXPEDITVR.

Digitized by Google

neutiquam attigit, ſed multis paraſangis infrà eam ſubſtitit. Quod ut planiùs perſpiciatur, notandum eſt, in textu Græco libri Job pro *timore Domini* haberi *theoſebeiam*, quæ vox latinizata *pietatem*, ſive *Dei cultum* importat. Unde Auguſtinus: K. *Pietas*, inquit, eſt vera „ ſapientia: pietatem dico, quam Græci *theo-* „ *ſebeiam* vocant. Ipſa quippe commendata „ eſt, cùm dictum eſt homini quod in libro „ Job legitur, *Ecce pietas eſt ſapientia. Theoſe-* „ *beia* porrò ſi ad verbi originem latinè expreſ- „ ſam interpretaretur, *Dei cultus* dici poterat: „ qui in hoc maximè conſtitutus eſt, ut ani- „ ma ei non ſit ingrata: unde & in ipſo ve- „ riſſimo ac ſingulari ſacrificio, *Domino Deo* „ *noſtro agere gratias* admonemur. Erit autem „ anima ei ingrata, ſi quod illi ex Deo eſt, „ ſibi tribuerit, præcipuèque juſtitiam, cujus „ operibus velut propriis, & velut à ſemet- „ ipsâ ſibimet partis, non vulgariter tanquam „ ex divitiis, aut membrorum formâ, aut elo- „ quentiâ, cæteriſve ſive externis, ſive cor- „ poris, ſive animi bonis, quæ habere etiam „ ſcelerati ſolent; ſed tanquam de iis quæ „ propriè ſunt bona bonorum, quaſi ſapienter „ inflatur. Quo vitio repulſi à divinæ ſtabili- „ tate ſubſtantiæ etiam MAGNI QUIDAM „ VIRI ad idololatriæ dedecus defluxe- runt". Sed quoniam hac de re ſatis multa diximus libro 1. hujus Operis §. 514. & 541. eò lectorem remittimus. Nunc ſufficiat oſtendiſſe, Mulierem fortem in hoc *ſupergredi univerſas filias*, ſive *congregandis divitiis* vel *acquirendæ potentiæ* intentas, ſive *fallacis gratiæ* aut *vanæ pulchritudinis* curioſas; quòd *timorem Domini ſuper omnia ſe ſuperponentem* didicerit, imbiberit, conſervaverit, atque omnibus ſibi adhærentibus indefeſsè ingeſſerit, clamans cùm Pſalmographo, *Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos:* L. Timor quidem non eſt in „ charitate, ſed *perfecta charitas*, ſicut dicit Scri- „ ptura, *foras mittit timorem:* ſed timorem homi- „ num, non Domini; timorem temporalium „ malorum, non divini in fine Judicii: *Nolite* „ *altum ſapere, ſed timete*, amate Dei bonitatem, „ timete ſeveritatem; utrumque vos ſuperbire „ non ſinet: amando enim timebitis, ne aman- „ tem & amatum graviter offendatis: nam „ quæ gravior offenſio, quàm ut ſuperbiâ illi „ diſpliceatis, qui propter vos ſuperbis diſpli- „ cuit? Et ubi magis eſſe debet *timor caſtus* „ *permanens in ſæculum ſæculi*, quàm in iis *qui* „ *non cogitant quæ ſunt Mundi, quomodò placeant* „ *conjugibus; ſed quæ ſunt Domini, quomodò pla-* „ *ceant Deo*? Ille alius timor non eſt in chari- „ tate, iſte autem caſtus non recedit à chari- „ tate. Si non amatis, timete ne pereatis: ſi „ amatis, timete ne diſpliceatis. Illum timo- „ rem charitas foras mittit, cum iſto intrò currit". Hic itaque timor non hominis, ſed *Domini, permanſurus in ſæculum ſæculi*, ſive exprimatur nomine *timoris*, ſive nomine *pietatis*, ſive Græco nomine *theoſebeia*, ſive nomine *charitatis*, aut *religionis*, aut *ſapientiæ*, ipſe eſt qui Mulierem fortem eò extulit atque evexit, ut *ſupergrediatur univerſas.* Quod cùm probè ipſa ſciret, dicebat Deo per organum unius è filiis ſuis, *Confige timore tuo carnes meas:* „ M. Sicut ſunt aculei timoris, inquit Ambro- „ ſius, quibus compungimur: ita ſunt *clavi* „ timoris, quibus *configimur*. Qui compungi- „ tur, excitatur: qui configitur, mortifi- „ catur; ut peccato deficiat, Deo vivat. Ut „ ſciamus autem *clavos* ſpiritales eſſe, etiam „ ſtimuli ſpiritales ſunt, de quibus ſcriptum eſt, *Durum eſt adversùs ſtimulum calcitrare*". Et Magnus Baſilius: N. Quemadmodùm, inquit, „ ij qui corporis membra habent clavis tranſ- „ fixa, ad actionem quamlibet ea tenent im- „ mobilia: ſic ij quorum animam occupat *Dei* „ *timor*, omnem prorsùs importunam atque „ obſtreperam peccati occaſionem vitant". Et Caſſiodorus: O. *Configi ſe*, inquit, *timore* „ *Domini* Sanctus populus deprecatur; ut mo- „ riendo vivat, qui priùs vivendo moriebatur". Et Beda Venerabilis: P. Non ſine „ causâ, inquit, cùm poſſet Dominus in ſim- „ plici ligno pati & mori, ſic extenſus eſt in „ triplici ligno, ut & pedes ejus & manus „ eſſent immobiles: ſed per hoc præfigura- „ tum eſt, quòd ſic paſſionem ejus imitari, & „ ei conformari debeamus, ut omnia membra „ noſtra, quaſi *clavis confixa*, ſint immobilia ab „ iniquitatis operibus. Quod autem ait de „ *timore*, tale eſt ac ſi dicat: *Tuo*, inquam, *timore*, „ id eſt, caſto timore, comprime *carnes meas:* „ quia lex illa, quæ minatur pœnam & non „ dat juſtitiam, non *configit carnes meas*: pro- „ hibet enim manum, ſed non cohibet ani- „ mum; quia manet peccandi voluntas, quod „ tunc apparet in opere cùm ſperatur impu- „ nitas. Si autem *timor* tuus caſtus *configat car-* „ *nes meas*, non peccabo etiamſi ſperetur impu- „ nitas: ex amore enim juſtitiæ ipſum peccatum erit mihi gravis pœna". Hoc igitur caſto Dei timore configi ſuas carnes rogat *populus ſanctus*, ſive Mulier noſtra fortis, & exauditur à viro ſuo pro ſuâ reverentiâ: ideoque in die retributionis, reprobatis divitiarum congregatricibus, gratiarum humanarum aucupatricibus, & vanæ pulchritudinis affectatricibus, auditura eſt ab eodem viro ſuo iſtud ſingulare præconium, *Tu ſupergreſſa es univerſas.* Quare? Quia cùm reliquæ omnes, neglecto Dei timore, inhiarent vel *divitiys*, vel *fallaci gratiæ*, vel *vanæ pulchritudini*, tu te impendiſti & ſuperimpendiſti timori Domini: *Mulier autem timens Dominum ipſa laudabitur.*

CXXXIV. Dicamus nunc aliquid de illis *divitiis*, deque *fallaci gratiâ*, & *vanâ pulchritudine*,

X

Margin notes (left column): K. Aug. l. de Spiritu & Litt. c. 11. — Vide ſuprà l. 1. §. 514. & 541. — Pſal 33. 12. — L. Auguſt. l. de Sancta Virginitate cap. 38. — 1. Jo. 4. 18. — Rom. 11. 20. — Pſal. 18. 10. — 1. Cor. 7. 32. & 33.

Margin notes (right column): Prov. 31. 29. — Pſ 118. 120. — M. Ambr. in Pſalm. 118. Octon. 16. — Actor. 9. 5. — N. Baſil. in Pſal. 33. — O. Caſſiod. in Pſ. 118. v. 120. — P. Beda in Pſalm. 118. litt. Samech.

Digitized by Google

dine, quibus inhiantes *multæ filiæ* non ſolùm Mulieri huic forti Dominum caſtè timenti poſtponuntur, ſed tanquam corpori Mediatoris extraneæ reprobantur. Quoniam igitur juxta Ambroſii & Auguſtini interpretationem §. 124. relatam iſtæ *multæ filiæ* intelliguntur *hæreſes*, ſive hæreticorum aut ſchiſmaticorum ab Eccleſiâ præciſorum Sectæ; non incongruenter dici poſſe videtur, quòd earum *divitiæ* ſint ipſæ imperitorum turbæ, quas de gremio vel Eccleſiæ vel cujuſvis alterius cœtus abſtractas ſibi aſſociant, atque in caulas ſuas congregant; *Circumeuntes mare & aridam, ut faciant unum proſelytum.* Hujuſmodi namque ſeductitias turbas intelligi *divitiarum* vocabulo, iidem qui ſuprà Ambroſius & Auguſtinus indicant, cùm iſtum Hieremiæ locum allegorizant: *Perdix fovit quæ non peperit, fecit* D I V I T I A S, *& non in iudicio:* quorum locos huc ſpectantes partim recitavimus partim deſignavimus lib. 1. §. 80. & 120. Quamvis autem *perdicis* nomine diabolum præcipuè intelligant, tamen etiam hæreticos eidem ſubſervientes non modò non excludunt, ſed planè ſubincludunt, tanquam coadjutores & adminiſtros. Idem quoque fecerat ante ipſos Origenes; qui 70. Interpretum editioni inſiſtens legit, *Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit;* ac tum pro Commentario ſubjicit: Q. Non proprias „creaturas congregat zabulus, non ea colligit „quæ ipſe genuerat; ſed cùm clamaverit, „alienas congregans creaturas, facit eas ſuas. „*Clamavit perdix* per *Valentinum*, clamavit per „*Baſilidem*, per *Marcionem*, per omnes qui alie„næ à Deo gloriæ cupiditate rapti ſunt. Nul„lus enim eorum ſonare poterat vocem iſtam „Domini Jeſu, *Meæ oves vocem meam audiunt.* „Sed erat vox Chriſti in Paulo, erat in Petro: „propter quod Paulus dicebat, *An experimen„tum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus?* Vox „autem *Perdicis, congregantis quæ non peperit*, in „illis eſt qui ſimplices quoſque fidelium im„plicant hæreticæ factionis laqueo. Clama„vit itaque perdix, congregavit quæ non pe„perit, *faciens divitias ſuas non cum iudicio.* Di„ves factus eſt perdix: ecce quanta ejus ſunt „millia, ingens turba, multi ſunt populi ca„ptivorum; & *facit divitias ſuas*, non cogi„tans Judicium, neque habens in corde juſti„tiam; ſed omnia ſine lege gerens, meritò arguitur *non cum iudicio feciſſe divitias*". Hinc ergo ſatis apparet quàm rectè Mulier fortis dicatur *ſupergreſſa univerſas filias*, quæ ductu ac magiſterio perdicis perditi *congregarunt divitias.* Hæ enim fecerunt divitias ſuas, *non in iudicio:* & ideò *in noviſſimo erunt inſipientes;* quando nimirùm virginibus fatuis dicturus eſt Judex, *Amen dico vobis, Neſcio vos:* R. Non quòd Deus, „inquit Auguſtinus, ſi ad ſcientiam referas, „ignoret eas quibus dicturus eſt, *Neſcio vos:* „ſed earum improbatio hoc verbo inſinuata eſt". Longè autem diſpar erit tunc ſors Mulieris fortis, quæ divitias quidem fecit, & quidem iſtis filiabus fatuis ampliores; *ſed in iudicio:* quia ſicut de eâ ſcriptum eſt, & à nobis ſuperiùs ſuo loco elucidatum, *Os ſuum aperuit ſapientiæ:* ubi autem menti præſidet ſapientia, nihil agitur abſque judicio. Unde ſuperiùs §. 132. pro eo quod vulgata editio habet, *Mulier timens Dominum*, aliæ editiones habent, *Mulier intelligens*, vel *Mulier prudens*, vel denique *Mulier ſapiens:* quibus epithetis palàm ipſa ſecernitur ab univerſis filiabus fatuis, *congregantibus divitias non in iudicio.* Sed quid dicendum de *fallaci gratiâ*, cujus intuitu eædem filiæ fatuæ laboraverunt? Utique eam conſiſtere in favore humano ſive populari. Unde & Gregorius ediſſerens Euangelicam de fatuis virginibus parabolam: S. Hodiernâ, inquit, ſancti „Euangelii lectione compellor dicere, ut bona „quæ agitis, cum magnâ cautelâ teneatis: „ne per hoc quod à vobis rectum geritur, fa„vor aut G R A T I A H U M A N A requiratur". Hanc itaque *gratiam* Scriptura hoc loco vocat *fallacem*, quia ſibi confiſos crebrò fallit, decipit, eludit. Spectat quippe ad amicitiam mundialem; quæ, ut ſcitè monet Alredus, „T. Semper eſt plena fraudis atque fallaciæ, in „quâ nihil certum, nihil conſtans, nihil ſecu„rum; quippe quæ ſemper cum fortunâ muta„tur, & ſequitur marſupium. Unde ſcriptum „eſt, *Eſt amicus ſecundùm tempus, & non permanebit in die tribulationis*". Huc ſpectat & illud Plautinum, V. *Multi more iſto atque exemplo vivunt, quos cùm cenſeas Tibi amicos, reperiuntur falſi falſimoniis, linguâ factioſi, inertes operâ, ſubleſtâ fide.* Rectiſſimè igitur humanum hujuſmodi favorem Scriptura vocavit *gratiam fallacem.* Sed non minùs rectè *pulchritudinem*, nimirùm corporum, dixit *vanam:* W. Iſta exteriora, ait „quidam, *vana* ſunt; quia cùm in corruptio„nem labuntur, ſpeciem ſuam perdunt". Quid ergo vanius pulchritudine corporis, de quâ Poëta experimento edoctus aiebat, X. *Donum forma breve eſt, nec ſe tibi commodat annus?* Unde & alius Poëta canebat, Y. *Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.* Et inferiùs lib. 3. ejuſdem operis", *Quàm citò, me miſerum, laxantur corpora rugis: Et perit in nitido qui fuit ore color!* Et alius item Poëta, ſed tragicus, Z. *Anceps forma bonum mortalibus, Exigui donum breve temporis.* Et rurſus ibidem poſt paucula, *Ut grata capiti deficiunt roſæ, Sic fulgor teneris qui radiat genis Momento rapitur, nullaq; non dies Formoſi ſpolium corporis abſtulit. Res eſt forma fugax: quis ſapiens bono confidat fragili*"? Et iterum in Octavia, *Florem decoris ſinguli carpunt dies.* Et ex noſtris Nazianzenus in ſuis Poëmatibus: A. *Omne decus fragile eſt, veris quod protulit hora, Momen-*

Mat. 23. 15.
Vide ſuprà lib. 1. §. 80. & 120.
Hier. 17. 11.
Q. Origenes Homil. 4. in Hieremiam. Vide Hieron. & Rabanum in cap 17. Hieremiæ. & Hugonem Vict. lib. 1. Beſtiarii c. 50.
Ioan. 10. 27.
2. Cor. 13. 3.
Prov. 31. 29.
Hier. 17. 11.
Matt. 25. 12.
R. Auguſt. Epiſt. 102.
Prov. 31. 26.
Vide ſuprà hic c. 30.
Vide ſuprà §. 132.
Prov. 31. 30.
S. Gregor. Homil. 12. in Euangelia.
T. Alredus lib. 1. de Amicitiâ.
Eccli. 6. 8.
V. Plaut. in Bacchid. v. 520. & ſeqq.
W. Hug. Victorinus in Pſal. 47.
X. Nemeſianus Eclogi 4.
Y. Ovidius lib. 2. Artis amator.
Z. Seneca in Hippolyto.
A. Nazianz. Carmin 6.

Momentoq́; brevi bruma peremit atrox. Idem quoque Orat. xı. formæ venuſtatem vocat *fluxam*: & rurſùs Orat. 31. & 37. eandem vocat *Temporis & morbi ludibrium.* Cui conſonans Boëtius exclamat, [B] Formæ nitor ut rapidus eſt, ut „ velox. & vernalium florum mutabilitate fugacior"! Ubi ſcitè advertit in Commentario D. Thomas, conjunctionem *ut*, poni pro, *quàm.* Quæ cùm ita ſint, optimo planè jure Mulier noſtra fortis dicta eſt *ſupergredi univerſas filias*, quæ nimirùm divitiis congregandis, vel fallaci gratiæ aucupandæ, vel vanæ pulchritudini comparandæ conſervandæve inhiaverint. Etenim quod de virili ſexu cecinit Pſalmographus, utrique ſexui peræquè convenit: *Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius; & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.* Ps. 39. 5. Similiter ergo beata mulier cui ineſt timor Domini, & non reſpexit ad vanam pulchritudinem, aut fallacem gratiam; ſicut reſpexerunt *multæ filiæ*, divitias congregantes, ſed non in judicio: ideóque audituræ in Judicio, *Neſcio vos.* Mat. 25. 12.

B. Boët. l. 3. de Conſolat Philoſoph. Proſa 8.

D. Thomas.

CAPUT XL.

Corporea pulchritudo bonum quidem Dei munus eſt, ſed ideò commune etiam malis, ne magni pendatur à bonis. Bonorum diviſio in magna, media, & minima, cum ſingulorum membrorum ecphraſi. Crebriùs venuſtas quàm deformitas trahit in vitia, quorum nonnulla memorantur. Pavo typus pulchrorum ex formâ ſuperbientium, & laſcivientium. Non tam optanda quàm timenda eſt formæ dignitas, ut poſſidentibus gravis, appetentibus exitioſa, conjunctis periculoſa, tentationibus expoſita, ſcandalis circumdata. Magno cum periculo cuſtoditur, quod multis placet. Pulchritudinis deſcriptio, cum requiſitis ad eam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt. *Cupidinem cur* pharetratum *dixerit Gentilitas? Ignis non niſi tangentes uſtulat, pulchritudo eminùs etiam proſpecta inflammat. De aproxi & naphthâ, ignem è longinquo prolicientibus. Abraham & Iſaac ob uxorum ſpeciem periclitati, Urias interemptus. De B. Brigidâ & S. Alexandro Carbonario, deformitatem ſibi optantibus, & accientibus. Deprædari deſiderat qui theſaurum publicitus oſtentat. Quantam pudicitiæ ſtragem Græcis ſuâ pulchritudine intulerunt* Lais & Phryne, *Romanis* Flora? *Cratis Philoſophi ſarcaſmus in titulum meretrici à Thebanis inſcriptum. Romanorum* Floralia *unde originem & appellationem hauſerint? Sicut Thebana inſcriptio velut trophæum extitit laſciviæ Græcorum, ita* Floralia *laſciviæ Romanorum.*

CXXXV. QUanquam ex Ambroſii & Auguſtini interpretatione, §. 124. relatâ, per *filias multas* divitiis congregandis, aut fallaci gratiæ aucupandæ, vel vanæ pulchritudini acquirendæ conſervandæve inhiantes, intelligantur hæreſes, ſive hæreticorum aut ſchiſmaticorum ſectæ, ab Eccleſiâ extraneæ: quia tamen Beda & Rabanus §. 127. relati, ſub iis comprehendunt etiam *malorum turbas Catholicorum*, & Arboreus ibidem ſubjunctus adjicit inſuper *Gentilium ſectas Philoſophorum*; operæ pretium putavi proponere hic ob oculos invectivas priſcorum Patrum in fœminas quaſdam Chriſtianas, pulchritudini corporali nimis curioſè intentas: quas quidem invectivas ſubinde etiam in viros diſtringunt, quos ſimilis cura nitoris effeminat. Sed antequam id aggrediar, ne quis putet me corporum pulchritudinem ſecundùm ſe ſpectatam ſive in viris ſive in feminis reprobare, profiteor cum Auguſtino, & agnoſco, eam eſſe Dei Optimi Maximi donum: [C] Pulchritudo corporum, C. Auguſt. l. 15. de Civit. c. 22. „ inquit ille, bonum quidem Dei donum eſt; „ ſed propterea id largitur etiam malis, ne magnum bonum videatur bonis". Pro cujus ſententiæ pleniori intelligentiâ notandum eſt ex eodem Auguſtino lib. 2. de libero arbitrio cap. 19. bonorum à Deo donatorum alia dici *Magna*, alia *Media*, alia denique *Minima*:" Meminiſſe

Digitized by Google

„ miniſſe te oportet, ait ipſe illic Evodio, „ non ſolùm *magna*, ſed etiam *minima bona* „ non poſſe eſſe niſi ab illo, à quo ſunt omnia „ bona, hoc eſt, Deo: id enim ſuperior diſ- „ putatio perſuaſit, cui toties tamque lætus „ aſſenſus es. Virtutes igitur, quibus rectè „ vivitur, *magna bona* ſunt: Species autem „ quorumlibet corporum, ſine quibus rectè „ vivi poteſt, *minima bona* ſunt: potentiæ verò „ animæ, ſine quibus rectè vivi non poteſt, „ *media bona* ſunt. Virtutibus nemo malè utitur: „ cæteris autem bonis, id eſt, *medijs*, & *mini-* „ *mis*, non ſolùm benè, ſed etiam malè quiſque uti poteſt". Hinc tria elicimus, primum quidem, *Speciem corporum*, id eſt, pulchritudinem corpoream, bonum quid eſſe, & à Deo donari iis qui eâ pollent: unde idem ipſe Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 5. eam generali *Gratiæ* vocabulo nuncupandam agnoſcit, dicens: " Sit ergo GRATIA naturæ attri- „ buta, quâ ſumus animantia rationalia, diſ- „ cernimurque à pecoribus; ſit etiam GRA- „ TIA naturæ attributa, quâ in ipſis homi- „ nibus à deformibus PULCHRI, vel ingenioſi diſcernuntur à tardis". Secundum eſt, bonum iſtud pulchritudinis nequaquam reputari *magnum*, imò nec *medium*: non primum, quia poteſt quis eo non benè uti: nec ſecundum, quia ſine eo poteſt quis benè vivere; prout patet in multis corpore deformibus, ſed ſanctitate ac vitæ probitate conſpicuis. Tertium denique eſt, bonum iſtud pulchritudinis in hóc cedere bonis mediis, quòd hæc ad benè vivendum neceſſaria ſint, illud autem minimè: in hoc autem cum eis convenire, quòd eo malè uti quis poſſit, perinde ac illis; ita tamen ut hoc malè uti nemo poſſit ſine illis, ſine hoc verò poſſit illis: tam ad malè enim quàm ad benè utendum, neceſſariæ ſunt potentiæ animæ; non item ſpecies aut decor corporis. Sed negari equidem nequit, quin potentiæ animæ crebrò ad malè utendum illiciantur à pulchritudine ſeu venuſtate corporis: [D] Pulchritudo ipſa, inquit „ Ambroſius, & gratior corporis forma, ma- „ gis frequenter in vitium, quàm deformitas trahit". Non ait, illicit: ſed *trahit*, volens nimirum ſubinnuere illectionis vehementiam. Si quæras, in quod vitium pulchritudo trahat? Reſponderi poteſt, In multiplex. Nam pulchritudo propria frequenter trahit ipſos pulchros in ſuperbiam, aliena item trahit tam pulchros quàm deformes in luxuriam: in quæ vitia cùm quis fuerit tractus, innumeris aliis vitiis implicabitur. Et de ſuperbiâ quidem extat ille non minùs verus quàm tritus Ovidii verſiculus, [E] *Faſtus ineſt pulchris, ſequiturq; ſuperbia formam.* Qui rursùs lib 3. Artis amatoriæ, loquens in ſpecie de puellis aut feminis, cùm præmiſiſſet, *Forma Dei munus*, complevit verſum hoc hemiſtichio, *formâ quotaquæque ſuperbit*? Et quid miremur homines fragiles, ex conſideratione proprii decoris in Faſtum impelli; cùm de ſupremo quondam Angelicorum ſpirituum coryphæo ſcriptum legamus, *Elevatum eſt cor tuum in decore tuo*? Quod nihil aliud eſt, quàm ſi aliis verbis diceretur: pulchritudo tua in ſuperbiam te impulit. Non fuit quidem pulchritudo illa corporalis, ſed ſpiritalis; ſicut nec ipſe corporeus eſt, ſed purus ſpiritus: nihilominùs eadem ratio in utroque caſu proportionaliter militat, cui peculiare robur in hominibus accedit ex ingenitâ mortalibus fragilitate appetitus, quæ Angelis abſuerat cùm primitùs ſuperbirent. Quòd ſi cui fortè lubeat aliquod hujus rei velut veſtigium in animantibus rationis expertibus cernere, pavonem intueatur, domeſticam avem: [F] Cui, ut Tertul- „ lianus ſcribit, Pluma veſtis, & quidem de „ cataclitis, imò omni conchylio depreſſior, „ quâ colla florent; & omni patagio inaura- „ tior, quâ terga fulgent; & omni ſyrmate „ ſolutior, quâ caudæ jacent: multicolor, & „ diſcolor, & verſicolor; nunquam ipſa, ſem- „ per alia, etſi ſemper ipſa quando alia; to- „ ties denique mutanda, quoties movenda". Habemus hìc iſtius avis venuſtatem venuſtiſſimè deſcriptam: audiamus porrò Epiphanium, de eâdem ſuo quodam modo verificantem illud Ovidii mox relatum, *Faſtus ineſt pulchris, ſequiturq; ſuperbia formam*. [G] Pavo, ait „ ille, inter omnes volucres avis eſt jacta- „ bunda: corporis enim formâ atque alis pul- „ cher eſt. Cùm ambulat, ſe ipſe lætitiâ exul- „ tans intuetur, demittit verò caput, & in ter- „ ram oculos conjicit: cùm autem ſuos con- „ ſpicit pedes, graviter vociferatur, ſcilicet „ quòd illi cæteris ſui corporis partibus non reſpondeant". Ubi cùm avem dixiſſet inter omnes volucres *iactabundam*, ſubdidit eveſtigiò cauſam, *Corporis enim formâ atque alis pulcher eſt*. Tanquam diceret, Pulchritudo formæ cauſa eſt jactantiæ, quæ filia eſt ſuperbiæ: nam *Faſtus ineſt pulchris* &c. Unde & Ariſtoteles eandem avem perhibet [H] *invidam eſſe, & ornatûs ac politure ſtudioſam*: quæ ſunt omninò ſuperbiæ indicia, imò & genimina; ſicut & illud, quod de eodem pavone ſcribit Plinius: [I] Laudatus „ gemmantes expandit colores, adverſo maximè Sole, quia ſic fulgentiùs radiant". Cui conſonum eſt iſtud Naſonis, [K] *Laudatas oſtentat avis Iunonia pennas: Si tacitus ſpectes, illa recondit opes*. Notat præterea Dio Chryſoſtomus Orat. 12. Pavum exhibere ſe pulchrum ac varium oſtentatione pulchritudinis plumarum, non modò cùm advertit ſe à ſpectatoribus laudari, ſive in admiratione haberi; ſed tunc quoque, *quando delicias agit erga femellam*, hoc eſt, dum libidine prurit ad coitum.

D. Ambr. lib de Paradiſo cap. 7.

E. Ovid. lib. 1. Faſtorum.

Ezech. 28, 17.

F. Tertull. l. de Pallio cap. 3. Vide Liban. Ecphraſi 6.

G. Epiphan. Phyſiolog. cap. 12. Vide Nazianz. carm. 61.

H. Ariſt. l. 1. Hiſtor. animal. c. 1.

I. Plin. l. 10. cap. 20.

K. Ovid. l. 2. Artis amator. Vide Hugon. Vict. l. 1. Beſtiar. c. 55. Dio Chryſoſt.

CXXXVI. Vi-

Digitized by Google

CXXXVI. Videamus nunc de pulchritudine alienâ, quatenùs ſpectatores ſuos trahit in luxuriam. Habemus porrò hujus *tractionis* vetuſtiſſimum exemplum in Geneſi memoratum iſtis verbis, *Videntes filii Dei filias hominum, quòd eſſent* P V L C H R AE, *acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Ubi etſi quidam veteres, ſignanter Juſtinus Martyr, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Minutius, Euſebius, Lactantius, Ambroſius, Sulpitius Severus, Philo Judæus, cum aliis compluribus, cenſuerint nomine *filiorum Dei* iſtic intelligi *Angelos*, prout editio 70. Interpretum verterat, & in apocrypho libro Henoch traditur: rectiùs tamen Auguſtinus, communiter hodie receptus, poſteros Patriarchæ *Seth* intelligi maluit, quibus vetita fuerint connubialia commercia cum filiabus Cainitarum. Quam ſententiam eleganter præter alios expreſſit Baſilius Seleuciæ in Iſauriâ Antiſtes: [L] Genus humanum, inquiens, divino mandato diſtractum fuit: ſiquidem duo ex Adam ſuſcepti liberi, *Cainus* & *Sethus*, originem ex ſe ſinguli naturæ dederunt. *Cainus* quidem fraternam dexteram fraterno ſanguine cùm purpuraſſet, lento tormento adjudicatur; poſt cædem ſpectatoribus ipſe de cæde lex extitit. Nactus verò progeniem in mores nefarios ſuccedentem reliquit etiam poſteros devotionis hæredes. *Sethus* verò cùm Deum ſuæ virtutis laudatorem inveniſſet, & ad *Abelem* moribus accederet, hoc virtutis præmium tulit, ut ſui filii vocarentur *filii Dei*; & quæ naturam ſuperabat appellatio, dignitatem deprædicaret. Itaque etſi genere conjuncti, moribus tamen diſiuncti erant. Quemadmodùm enim Iſraëlitas poſtea lex à Gentium commiſtione ſejugabat, & Decreto quaſi muro interjecto ab eorum conſuetudine ſeparabat, ut idololatriæ reprimeret imitationem: ſic & primis hominum eam legem Deus poſuit, per virtutis ab improbitate diſcretionem virtutem ſervans impollutam. Filii *Sethi* ergo *filii Dei* nuncupantur, teſſeram miræ cum Deo familiaritatis ipſam proferentes nuncupationem. Contrà, *Caini* liberi, *hominum* appellatione continebantur, naturæ nomen ſortiti abſque ullâ dignitate. Ita duo generis rivi, ab invicem diſtracti proruperunt. Verùm non parùm intereà fuit temporis, & *Sethi* poſteri partem adepti meliorem, & appellatione honorati, & paternæ benedictionis hæredes, *filias* ex Caini poſteritate *formoſas* conſpicati, ſplendidas, & ornatu florentes, ſervamque libidini rationem tradentes, divina calcant edicta, & execrabilium congreſſu fœdantur; fluxam & caducam voluptatem votis rerum æternarum anteferentes, adulterant indolem ſuetam virtutis ire vias: ac ſic iniquitati natura mancipatur: Nam cupiditati obſequentes, earum mores imitabantur. Quod & Iſraëli poſtea ſimiliter contigit: nam cùm Madianitas acie deviciſſent, capti ſunt amore muliebri velut in acie, & intemperantiæ pretium ab eis idolorum repoſcebatur veneratio. Eâ verò ratione, pro fructu impietatis novam impietatem vindemiabant: cùmque armis vincerent, oculis labebantur; haſtilibus ſuperiores, formarum jaculis vulnerabantur". Habemus hìc non ſolum confirmationem veteris illius *tractionis* quam in exemplum exhibuimus, ſed inſuper aliud exemplum ſimilis *tractionis* multis poſtea ſæculis ſubſecutæ, quando nimirùm *Balaam docuit Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſraël*, hoc eſt, objicere eorum oculis feminas ſpecie corporis venuſtas, quarum decore velut quodam jaculo ferirentur, transfigerentur, proſternerentur. Quo documento à Balaam percepto, [M] Balac, ut ſcribit Origenes, continuò paravit exercitum, non armis virilibus, ſed femineo nitore compoſitum; non furore bellico, ſed libidinis flammâ ſuccenſum". Quo ſucceſſu? Eo utique quem idem Origenes ibidem poſt paucula memorat his verbis: "Captivantur Iſraëlitæ, non ferro, ſed luxu; nec virtute, ſed libidine". Et Gregorius Nyſſenus de iiſdem loquens: [N] Qui hoſtiles gladios, inquit, ſuâ virtute retuderant, qui legiones armatas fuderant atque fugarant; muliebri formâ percuſſi ceciderunt: qui viros vicerant, feminis ſuccubuerunt. Nam ſimul ac mulieres apparuerunt, formoſa pro telis corpora objicientes, fortitudinis confeſtim obliti ad voluptates devoluti ſunt". *Davidi*, alioqui ſanctiſſimo ac devotiſſimo, ſpiculum læthale infixit pulchritudo *Bethſabeæ*, etiam eminùs proſpecta. Trinos ejuſdem Davidis filios, *Salomonem*, *Amnonem*, *Adoniam*, ſpecies muliebris ſagittavit, & ſtravit: primum quidem vaga, ſecundum ſororia, tertium novercana. Fortiſſimus *Samſon* oculis orbatus eſt, *quibus Dalilam placuiſſe* profeſſus fuerat. *Dinæ* venuſtas adeò attraxit Sichem filium Hemor Hevæi, ut de eo ſcriptum ſit, *Conglutinata eſt anima eius cum eâ*. Specioſam *Judithham* ut vidit Holofernes, confeſtim *captus eſt in oculis ſuis*. Reginam Eſther Rex Aſſuerus *adamavit pluſquam omnes mulieres*. Cur putamus, niſi quia, ſicut ibidem præmittitur, *Erat formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omniumque oculis gratioſa?* Uni traductorum pulcherrimæ Suſannæ ait Propheta Daniël, *Semen Chanaan, & non Iuda, ſpecies decepit te.* Sed quid exemplis ex Scripturâ commemorandis immoror? Ecce ipſa Scriptura diſertiſſimè ait, *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exarſit.* Sed quid de ſpecie viri, nunquid

Margin notes: Gen. 6. 2. — L. Baſil. Seleuc. Orat. 6. Vide Aug. lib. 15. de civit. c. 22. & 23. & Chryſoſt. Homil. 22. in Gen. & Cæſarium Dialogo 1. q. 48. & Cyrillum Alex. lib. 2. Glaphyr. in Geneſim, & lib. 9. contra Julian. & Theodoret. q. 47. in Geneſim, & Caſſianum collation. 8. cap. 21. & Proſp. l. 2. de vocat. Gent. c. 10. & Iſidorum l. 15. Orig. cap. 3. & Rich. Vict. l. 4. Except. cap. 6. — Apoc. 2. 14. — M Origen. Homil. 20. in Numeros. — N. Gregor. Nyſſen. l. de vita Moyſis paulo ante finem. Vide Joſephum l. 4. Antiq. c. 6. aliàs 5. — 2. Reg. 11. 2. — 3. Reg. 11. 2. — 2. Reg. 13. 1. — 3. Reg. 2. 17. — Iudic. 14. 3. — Gen. 34. 3. — Iudith 10. 17. — Eſth. 2. 17. — Ibid. v. 15. — Dan. 13. 56. — Eccli. 9. 9.

Digitized by Google

quid propter eam multæ perierunt? Perierunt utique, prout cernere licet in ſpecie Patriarchæ *Joſeph*, de quo cùm pater inter benedicendum dixiſſet, *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu*; continuò ſubdidit, Gen. 49. 22. *Filiæ diſcurrerunt per murum*, hoc eſt, prout Hieronymus ediſſerit: O. Hieron. in Tradit. Hebraicis ſuper Geneſim. [O] O fili mi Joſeph, tam „ pulcher es, ut te tota de muris, & turribus, „ ac feneſtris, puellarum Ægypti turba proſpectet"! An non potuiſſet Joſeph tunc appoſitè dicere, *Turba ruunt in me luxurioſa proca?* Potuiſſet certè: ſed, ut notat Ambroſius, P. Ambroſ. l. de Joſeph. cap. 5. „ [P] Cùm eſſet ſpecioſus facie & decorus aſpe„ ctu valde, venuſtatem ſui vultûs ad alienam „ non derivavit injuriam, ſed ad ſuam ſervavit gratiam; hoc ſe pulchriorem ratus, ſi „ non diſpendio caſtitatis, ſed cultu pudoris ſpecioſior probaretur". Quæ laus tanto cenſenda eſt major, quanto rarior. Quàm verò Q. Juvenal. Satyra 10. rara ſit, indicat illud Satyrici, [Q] *Rara eſt adeò concordia formæ, Atque pudicitiæ.* Unde & Paris apud Ovidium dicebat Helenæ formâ venuR. Ovidius Epiſtol. 16. Heroid. ſtæ, [R] *Aut faciem mutes, aut ſis non dura neceſſe eſt. Lis eſt cum formâ magna pudicitiæ:* S. Antonin. 3. p. tit. 11. cap. 5. §. 4. [S] Semper, „ inquit Antoninus, pulchritudinem comitan„ tur duo pericula, ſuperbiæ nimirùm, & laſciviæ". Huc denique referri poteſt divinum Eccli. 13. 32. iſtud oraculum, *Veſtigium cordis boni, & faciem bonam, difficilè invenies.* Tanto igitur laudabilior Joſeph, quanto difficiliùs inveniuntur in uno vel unâ pariter ſociata, quæ ipſe in ſe copulata exhibuit.

CXXXVII. Quod de terrenis opibus ait Pſal. 61. 11. nobis Pſalmographus, *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*; id ſanè ſi non potiori, pari ſaltem jure de corporeâ pulchritudine obſervari oportere putandum eſt. Unde Baſilius utraſque pariter recenſuit inter res mundanas quas juT. Baſilius Homil. 23. bet haberi ſuſpectas: [T] Oportet, inquiens, „ nos habere ſuſpectum quicquid in rebus ter„ renis apparuerit jucundum, ſive aurum pro„ ponatur copioſè amplectendum, quia ſcrip„ tum eſt, *Divitiæ ſi affluxerint, nolite cor appo„ nere:* ſive quaſcunque delicias terra profe„ rat, & pretioſa tabernacula oſtentet, Phil. 3. 20. *Noſtra „ enim converſatio in cælis eſt, unde Servatorem expe„ ctamus Chriſtum:* ſive choreas, comeſſationes, „ ebrietates, & menſas concentuum modula„ tione jucundas, Eccle. 1. 2. *Vanitas enim vanitatum*, inquit, „ *& omnia vanitas*: ſive CORPORUM VENUSTAS „ offeratur, ubi animæ perverſæ habitant, quia „ ſcriptum eſt, Eccli. 9. 8. *A facie mulieris ſicut à facie ſerpentis „ fuge*: ſive copia detur potentatuum ac tyran„ nidis, & ſatellitum, vel adulatorum, ad hæc „ & thronus ſublimis ac ſplendidus ſubjectas „ habens ad voluntariam ſervitutem gentes & Iſai. 40. 6. „ urbes, *Omnis enim caro*, inquit, *fœnum eſt, & „ omnis gloria hominis ſicut flos fœni: areſactum eſt „ fœnum, & flos decidit.* Sub his namque om„ nibus ita jucundis latebras ſuas habet com„ munis noſter hoſtis, expectans num per ob„ jectorum ſpectacula illecti, relictâ viâ regiâ, „ ad ipſius aliquando inſidias ultrò decli„ nemus. Et plurimùm ſanè timendum eſt, „ ne quo pacto illis incautè adcurrentes, & „ oblectationem illam quam uſurpantibus „ offerunt carere periculo putantes, primo „ ſtatim guſtu hamum doloſè abditum vore„ mus; atque illi poſteà, velimus nolimus, „ alligati, ad horribile latronis latibulum, „ mortem ſcilicet, per hujuſmodi illecebras trahamur imprudentes". Accenſet igitur magnus hic Doctor *venuſtatem corporis* rebus iis terrenis, quas oporteat habere ſuſpectas, & quarum oblectamenta reputat periculo damnationis obnoxia. Tertullianus quoque eandem corporis venuſtatem, *decoris* vocabulo expreſſam, non modò periculoſam, ſed & ſuperlativè *periculoſiſſimam* appellat: [V] Cùm & no- V. Tertull. lib. de Cultu feminarum c. 2. „ ſtra, inquiens, & aliorum cauſa verſetur in „ ſtudio PERICULOSISSIMI DECORIS, jam „ non tantùm confictæ & elaboratæ pulchri„ tudinis ſuggeſtum recuſandum à vobis ſcia„ tis, ſed etiam naturalis ſpecioſitatis oblite„ randum diſſimulatione & incuriâ, ut perin„ de oculorum incurſibus moleſtum. Nam etſi „ accuſandus decor non eſt, ut felicitas cor„ poris, ut divinæ plaſticæ acceſſio, ut animæ „ aliqua veſtis urbana: timendus tamen eſt, „ propter injuriam & violentiam ſectatorum; „ quam etiam pater fidei Abraham in uxo- Vide infra §. 139. ris ſuæ ſpecie pertimuit". Ubi ex duplici capite periculoſiſſimum eſſe corporis decorem contendit, primò quidem propter eum habentes, ſecundò propter alios eundem ſpectantes: nam habentibus procreat periculum inprimis ſuperbiendi, prout §. 135. viſum eſt; deinde iiſdem procreat periculum laſciviendi, partim quia proclives reddit in libidinem, prout proximo §. in fine viſum eſt; cui proclivitati niſi magnâ vigilantiâ obſiſtatur, facilè eveniet ut ſuccumbatur: partim denique quia tantò difficiliùs pudicitia cuſtoditur, quantò plures ei inſidiantur, juxta vetus dictum ex Publio Syro ſumptum: [W] *Mag- W. Publius Syrus in Mimis tit. de Mul. no cum periculo cuſtoditur, quod multis placet.* Quantum denique periculum ſpectantibus procreet, obviè cernitur ex variis exemplis ac documentis proximo §. congeſtis: quibus addi poteſt illud Medeæ de ſe ipſâ ad Jaſo- X. Apud Ovid. Epiſt. 12. Heroid. nem, [X] *Tunc ego te vidi, tunc cæpi ſcire quis eſſes: Illa fuit mentis prima ruina meæ. Et vidi, & perij, nec notis ignibus arſi, Ardet ut ad magnos pinea tæda Deos.* Cujus ſuæ ruinæ cauſam aſſignat ipſa pulchritudinem ſpectati, ſubdens protinùs: *Et formoſus eras, & me mea fata trahebant: Abſtulerant oculi lumina noſtra tui.* Forma igitur Jaſonis eminùs conſpecta inflammavit conſpicientem, & in ruinam præcipitavit ſpectantem. Memoratu dignum eſt quod de

Beatâ

Digitized by Google

Beatâ Brigidâ virgine noſtrate refertur in ipſius vitâ: [Y] Cùm enim eam parentes compellerent ut viro jungeretur, rogavit ipſa Dominum ut aliquam deformitatem ſuper corpus ſuum daret, quatenus ceſſarent eam proci quærere. Tunc unus oculorum ejus crepuit, & liquefactus eſt in ſuo capite". In Faſtis Marianis eadem hiſtoria his verbis recitatur ad diem 1. Februarii: " Oculos procorum ut virgo effugeret, id lachrymis à Deo impetravit, ut oculi ſui fœdum effluerent". Præcipit quidem Chriſtus, ut *Oculum nos ſcandalizantem eruamus, & à nobis proiciamus*; ſed de oculo noſtro alios ſcandalizante, nihil ibi expreſſit: quia tamen *Vnicuique mandavit Deus de proximo ſuo*, & juſſi ſumus *diligere proximum noſtrum, ſicut nos ipſos*; idcircò præfata virgo deformari optavit & petiit, ne aliis pereundi anſam præberet: longè alio ab eis voto, quæ pulchritudini ſtudent ut procorum in ſe oculos alliciant: quas Beatus Cyprianus acriter & graviter ſugillat ubi ait: [Z] Non eſt pudica, quæ affectat animum alterius movere, etiam ſalvâ corporis caſtitate. Longè abſint, quibus pulchritudo non ornatur; ſed proſtituitur: nam ſollicitudo de pulchritudine & malæ mentis indicium, & deformitatis eſt". Et ante hunc Tertullianus: [A] Quid alteri, inquit, periculo ſumus? Quid alteri concupiſcentiam importamus? quam ſi Dominus ampliando legem à facto ſtupri non diſcernit in pœnâ, neſcio an impunè abeat quæ alicui fuerit cauſa perditionis: perit enim ille ſimul in tuâ formâ ſi concupierit, & admiſit jam in animo quod concupivit: & facta es tu gladius illi".

Y. Vita Brigidæ c. 17.
Faſti Mariani.
Matt. 5. 29.
Eccli. 17. 12.
Matt. 22. 39.
Z. Cyprian. de Bono pudicitiæ.
A. Tertull. lib. de Cultu fœmin. c. 2.

CXXXVIII. Pulchritudinem ſive formæ dignitatem idem Tertullianus ibidem capite proximè ſequenti indicat eſſe timendam, primò quidem ut poſſidentibus gravem, ſecundò ut appetentibus exitioſam, tertiò ut conjunctis periculoſam, quartò ut tentationibus expoſitam, quintò demùm ut ſcandalis circumdatam. Ac imprimis eam *poſſidentibus gravem* eſſe evincit ſollicitudo atque anxietas quam pro eâ fovendâ, ſi non etiam augendâ, gerunt ejus poſſeſſores, ſive poſſeſſrices. Quia enim res fluxa eſt, & facillimo negotio violabilis, indiget fomentis ac medicamentis pluriſariis, quæ nec ſine magnâ induſtriâ ac ſtudio conquiruntur & adhibentur, nec ſine pulchritudinis diſpendio negliguntur. Quod ut planiùs perſpiciatur, prænotandum eſt, pulchritudinem conflari ex mixtura plurium, quorum quolibet deficiente deficit ipſa, & ſubintrat turpitudo adverſa. Eam definit Orator Romanus, [B] *Aptam figuram membrorum, cum quâdam coloris ſuavitate*: Clemens Alexandrinus, [C] *Commoderationem membrorum ac partium, cum bono colore*: Baſilius Magnus, [D] *Concinnam membrorum compoſitionem, efflorescentu ex ſe gratia emiſſivam*: Nazianzenus, [E] *Coloris elegantiam, cum apta membrorum compoſitione*: Auguſtinus, [F] *Partium congruentiam, cum quâdam coloris ſuavitate*: Nemeſius, [G] *Membrorum aptam compoſitionem, cum coloris ſuavitate*: Divus Thomas, [H] *Membrorum corporis bonam proportionem, cum quadam debiti coloris claritate*. Qui rursùs 1. p. q. 39. art. 8. " Ad pulchritudinem, inquit, tria requiruntur: primo quidem integritas ſive perfectio (quæ enim diminuta ſunt, hoc ipſo turpia ſunt) & debita proportio ſive conſonantia, & iterùm claritas". Ariſtoteles expreſsè ad pulchritudinem exigit debitam corporis magnitudinem: [I] *Ex magnitudine*, inquiens, *& ordine, pulchrum oritur*. Qui rursùs lib. 4. Ethic. c. 3. diſertè negat puſillos homines dicendos eſſe pulchros. Cui conſonans Rhodiginus: [K] *Pulchritudo*, inquit, *haud intelligitur niſi in magno corpore; quoniam dignitas expetitur, quæ puſillis nulla prorsùs fuerit: bellos, ceu à deliciis, appellarunt veteres*. Unde Tullius Clodium facie quidem venuſtum, ſed corpore puſillum, lib. 1. ad Atticum Epiſt. 13. noluit dicere pulchrum, ſed *pulchellum*. Idem rursùs lib. 1. de Officiis n. 130. virilem pulchritudinem à muliebri diſcernit etiam ipſo nomine, ut nimirùm illa vocetur *dignitas*, iſta verò *venuſtas*: quæ tamen jam vulgo promiſcuè uſurpantur. Porrò cùm ad pulchritudinem exigimus corporis magnitudinem, non quantamcunque exigimus, ſed juſtam, inter duas extremitates, immanitatem ſcilicet & puſillitatem, mediam: Sicut enim puſillitas à pulchritudine abſcedit per defectum, ita immanitas per exceſſum. Hinc Arvernorum Antiſtes Regem ſuum Theodoricum à ſtaturâ corporis commendans: [L] *Si forma quæratur*, inquit, *corpore eſt exacto, longiſſimis brevior, procerior eminentiorq́ue mediocribus*. Sed nec ſtatura quantumlibet exacta ſufficit, niſi ſimul concurrant & coloris nativi ſuavitas, & tam totius corporis quàm membrorum ejus omnium accurata proportionalitas. Et quidem ad integri corporis proportionalitatem quod attinet, eam Doctores noſtri deſcribunt per comparationem ad dimenſiones Arcæ Noëticæ, cujus cùm *longitudo eſſet trecentorum cubitorum, latitudo fuit quinquaginta cubitorum, & altitudo triginta cubitorum*: ut proinde latitudo continuerit ſextam longitudinis portionem, & altitudo decimam: [M] Humani corporis longitudo, inquit Auguſtinus, à vertice uſque ad veſtigia, ſexies tantùm habet quàm latitudo, quæ eſt ab uno latere ad alterum latus; & decies tantùm, quàm altitudo, cujus menſura eſt in latere à dorſo ad ventrem: velut ſi jacentem hominem metiaris ſupinum ſeu pronum, ſexies tantùm longus eſt à capite ad pedes, quàm latus à dexterâ

B. Cicero 4 Tuſcul. q. 31.
C. Clemens Alex. lib. 3. Pædag. c. 11.
D. Baſil. in Pſal. 44.
Vide in c. 3. Iſaiæ
E. Nazianz. Orat. 31.
F. Auguſt. Epiſt. 151. & l. 22 de Civit c. 19.
G. Nemeſ. l. de natura homin c. 2.
H. D. Thomas 2. 2. q. 145 art. 2.
I. Ariſt. l. de Arte Poëtica. ſub initium.
K. Rhodigi. lib. 9 antiq. lect. cap. 24. Vide lib. 16. cap 5 & 24. Tullius.
L. Apollin. Sidonius l. 1. Epiſt. 2.
Gen. 6. 15.
M. Auguſt. lib. 15 de Civit c. 26. Vide lib. 12. cont. Fauſt. cap 14. & Ambroſ l. de Arca c 6. & Iſidor in Geneſ c 7. & Rupert. l. 4 in Geneſim c. 17.

Digitized by Google

,, dexterâ in ſiniſtram vel à ſiniſtrâ in dex-
,, tram ; & decies, quam altus à terrâ.
,, Unde facta eſt Arca trecentorum in longitu-
,, dine cubitorum, & quinquaginta in lati-
tudine, & triginta in altitudine ". Eſt præ-
tereà alia quædam forma dimenſionis humani
corporis, unde colligi queat num illud ſit ritè
proportionatum, prout exigit pulchitudinis
ratio. Hanc ſuggerit Vitruvius : N. Corpo-
,, ris humani, inquiens, centrum medium na-
,, turaliter eſt umbilicus : nam ſi homo collo-
,, cetur ſupinus, manibus & pedibus expanſis,
,, & circini centrum figatur ſuper umbilico
,, ejus, circumagendo rotundationem tangen-
,, tur circinali lineâ extremitates digitorum
,, utriuſque manûs, & utriuſque pedis. Porrò
,, quemadmodùm ſchema rotundationis in
,, corpore ſic conſtituto efficitur, ita & qua-
,, drata deſignatio in eodem invenitur : nam
,, ſi à pedibus imis ad ſummum verticem fue-
,, rit menſum, eaque menſura dein transfera-
,, tur ad manus ac pedes expanſos, invenie-
,, tur eadem latitudo, quæ & longitudo ".
Præter hanc verò totius humani corporis pro-
portionalitatem neceſſaria eſt ad pulchritudi-
nem certa quædam omnium inter ſe membro-
rum conſonantia ſecundùm ſymmetriæ regu-
las. Quâ de re idem Vitruvius ibidem: " Cor-
,, pus hominis, inquit, ita natura compoſuit,
,, ut os capitis à mento ad ſummam frontem
,, & imas capillorum radices, eſſet decima
,, pars totius : item palma manûs ab articulo
,, ad extremitatem medii digiti, tantundem:
,, caput à mento ad ſummum verticem, octa-
,, va : ab imis cervicibus, tantundem : à ſum-
,, mo pectore ad imas capillorum radices, ſexta;
,, ad ſummum verticem, quarta : tertia alti-
,, tudinis vultûs pars eſt ab imo mento ad
,, imas nares: naſus ab imis naribus ad medium
,, finem ſuperciliorum, tantundem : ab eo
,, fine ad imas capillorum radices, tantundem:
,, pes verò altitudinis totius corporis, ſexta:
,, cubitus, quarta : pectus ſimiliter quarta.
,, Reliqua quoque membra ſuos habent pro-
,, portionis commenſus, quibus etiam antiqui
,, pictores & ſtatuarii nobiles uſi magnas &
infinitas laudes aſſecuti ſunt ". His addi
haud incommodè poſſunt quæ Marſilius Fici-
nus in ſuis ſuper Platonis Sympoſio oratio-
nibus ſcribit : O. His tribus, inquiens, ordine
,, nimirùm, modo, & ſpecie, conſtat viventis
,, corporis præparatio. *Ordo*, partium inter-
,, valla : *Modus*, quantitatem : *Species*, linea-
,, menta coloremque, ſignificat. Inprimis
,, oportet ut membra quæque corporis natu-
,, ralem ſitum habeant : ſuo aures loco ſint,
,, uti & oculi, & nares, &c. ac pari interval-
,, lo ſint oculi naſo utrimque propinqui, pari
,, item aures utrinque diſtent ab oculis. Ne-
,, que verò hæc intervallorum parilitas ad
,, *ordinem* ſpectans ſufficit, niſi partium quo-
,, que modus accedat, qui mediocrem, de-
,, bitâ totius corporis proportione ſervatâ,
,, ſingulis membris tribuat magnitudinem : ut
,, naſi tres in longum diſpoſiti, vultûs totius
,, impleant longitudinem ; aurium utrarum-
,, que ſemicirculi unà conjuncti, oris aperti
,, circulum adæquent; idem quoque præſtet
,, ſuperciliorum conjunctio; longitudo naſi
,, longitudini labii reſpondeat, auriſque ſimi-
,, liter; gemini oculorum orbes unum æquent
,, oris hiatum ; capita octo proceritatem cor-
,, poris comprehendant; eandem quoque mon-
,, ſtret brachiorum in latus extenſio, crurum-
,, que ſimiliter atque pedum. Neceſſariam præ-
,, tereà *ſpeciem* ducimus, ut linearum attractus
,, artificioſi, rugæque, & oculorum ſplen-
,, dor, ordinem illum modumque partium
decorent ".

N. Vitruvius lib. 3. de Architec. cap. 1.

O. Ficinus in Platonis Sympoſium Orat. 5. c. 6.

CXXXIX. Ex his arbitror unicuique facilè
apparere quàm varia ac multiformis proportio
ſive totius humani corporis, ſive membrorum
ejus tam inter ſe quàm cum ipſo, neceſſaria ſit
ad pulchritudinis integritatem : ut proinde
grave ſit & oneroſum ejuſdem pulchritudinis
ſtudioſis ad hęc omnia attendere, atque atten-
dendo cavere ne quid omnium deſit; vel ſiquid
deſit, procurare ut defectus artificioſè ſupplea-
tur, aut ab intuentium oculis curioſè occula-
tur: ut prętercam quanta requiratur induſtria ut
conſervetur coloris ſuavitas ſive claritas, ſine
quâ omnia reliqua deformiter ſqualent. Rec-
tiſſimè proinde ac veriſſimè Tertullianus dice-
bat, formæ dignitatem *poſſidentibus eſſe gravem:*
accedente ſignanter eo, quod §. 137. ex Pu-
blio Syro memoravimus, *Magno cum periculo
cuſtoditur, quod multis placet.* Hi quippe quibus
placet, inſidiari non ceſſant, atque ita pervi-
gili cuſtodiendi curâ poſſidentem gravant. At
non minùs rectè idem Tertullianus addidit
ſecundo loco, *appetentibus exitioſam.* Multa
etenim hujuſce exitii exempla adduximus
§. 136. quibus adjecimus irrefragabile iſtud
Scripturæ oraculum, *Propter ſpeciem mulieris
multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis
exarſit.* Species namque venuſta igneas ex ſe
ſagittas evibrat, quibus ſpectantium vitalia
læthaliter transfigit : quas ſagittas Apoſtolus
Tela nequiſſimi ignea appellat : illius nimirùm
nequiſſimi, quem profana Gentilitas *Cupidinem*
dixit, & pharetratum pingere conſuevit. Quâ
de re Gyraldus in ſuo Opere *De Dijs Gentium:*
,, P. *Pharetratus*, inquit, à noſtris Cupido
,, cognominatus eſt: Ovidius in Elegiis, *Nullus
,, amor tanti eſt, abeas pharetrate Cupido :* inde &
,, vulgare illud, *Cæcus & alatus, nudus puer, &
,, pharetratus.* Socrates in Sympoſio Xeno-
,, phontis inter alia multa quæ de Amore
,, diſputat, ideò *pharetratum* dici ait, *quod
,, forma procul inſpecta amantem quaſi ſagittis*
quibuſdam

Vide ſupra §. 137.

Eccli. 9. 9.

Eph. 6. 16.

P. Lilius Gyraldus De Dijs Gent. Syntag. 13.

quibuſdam feriat". Hinc Poëtarum quiſpiam admodùm mulieroſus ait, quaſi expertus: Q. *Non tot Achamenijs armantur Suſa ſagittis, Spicula quot noſtro pectore fixit Amor.* Xenophontis apud Stobæum vox iſta eſt: R. Ignis quidem nonniſi ,, tangentes urit, pulchri verò etiam procul ,, diſtantes inflammant: viſus enim quaſi anſa eſt capiendi amoris". Nimirùm natura noſtra in hoc corruptionis hæreditariæ ſtatu quandam gerit ſimilitudinem *naphtha*, vel certè radicis illius herbæ quam Pythagoras *aproxim* appellat, dicente Plinio: S. *Aproxis* à Pythagora ap- ,, pellatur herba, cujus radix è longinquo ig- ,, nes concipit, ut *naphtha*: de quâ in terræ miraculis diximus". Superiùs nimirùm lib. 2. cap. 105. Ubi de eâ ait: " Naphthæ magna eſt ,, cognatio ignium, tranſiliuntque protinùs ,, ad eam undecunque conſpectam. Ita ferunt, ,, à Medæâ pellicem crematam, poſtquam ſa- ,, crificatura ad aras acceſſerat, coronâ igne correptâ". De eâdem Plutarchus in vitâ Alexandri Magni, ubi inter alia de ipſo ait: " Mira- ,, culo ei fuit in Ecbatanis hiatus terræ ignem ,, perpetuò ſicut ex fonte ſubvehens; & ſca- ,, turigo naphthæ ex abundantia non longè ab ,, illo hiatu ſtagnantis: qui cæterà bitumen ,, repræſentat, cognationem porrò cum igne ,, habet tantam, ut priuſquam contingat flam- ,, mam, interfuſum aërem frequenter, ſolo ,, ſplendore citra flammam elucente, accendat". Ad hujus itaque ſive herbariæ radicis, ſive bituminoſæ ſpumæ inſtar, ſpectatores corporeæ pulchritudinis eminùs amoris flammam concipiunt, & ſic pereunt. Atque hoc innuere volens Tertullianus dixit *formæ dignitatem appetentibus eſſe exitioſam.* Addidit præterea tertio loco, **coniunctu periculoſam*: quia nimirum crebrò accidit ut venuſtas uxoris periculum procreet marito, cujus vitæ inſidiantur qui uxoris pulchritudine illecebrantur. Uriam quid perdidit, niſi venuſtas Bethſabeæ, cujus ducendæ cupidine incenſus Rex David *Interfecit maritum gladio filiorum Ammon*? Novit Abraham Patriarcha quanto periculo ſubjacere ſoleant viri ob formas uxorum, ideoque *Cùm ingrederetur Ægyptum dixit Sarai uxori ſuæ: Novi quòd pulchra ſis mulier, & quòd cùm viderint te Ægyptij, dicturi ſunt: Uxor ipſius eſt; & interficient me, & te reſervabunt. Dic ergo, obſecro, quòd ſoror mea ſis.* Huc indubitanter alluſit Tertullianus §. 137. relatus, ubi cùm dixiſſet, *Timendum eſſe formæ decorem, propter iniuriam & violentiam ſectatorum*, protinùs ſubdidit: *Quam etiam Pater fidei Abraham in uxoris ſuæ ſpecie pertimuit.* Potuiſſet etiam addere exemplum Patriarchæ Iſaac, qui *cùm à Geraritis interrogaretur ſuper uxore ſuâ, reſpondit: Soror mea eſt; timuerat enim confiteri quòd ſibi eſſet ſociata coniugio, reputans ne fortè interficerent eum propter illius pulchritudinem.* Quibus exemplis, uti & aliis innumeris paſſim obviis, facilè perſpicitur quàm non de nihilo dixerit Tertullianus *dignitatem formæ coniunctu periculoſam eſſe.* Addidit item quarto loco, *Tentationibus expoſitam*: & rectè quidem, ſive activas ſive paſſivas tentationes intelligere lubeat; nam utriſque expoſita eſt ſpecies venuſta, prout §. 135. & 136. dictum eſt, exempliſque illuſtratum: quibus addi poteſt exemplum puellæ illius ſpecioſæ, cui cælibatum meditanti pater ſuus Peneus reſpondiſſe memoratur: T. *Decor iſte, quod optas, Eſſe vetat; votoq; tuo tua forma repugnat*: tanquam diceret, decor vultùs tui adeò te inſtigat ad Venerem, ut non patiatur te permanere cælibem. Ex quo apparet ineſſe ipſi corporis venuſtati vim quandam activè tentandi, ſive in laſcivium pruriendi: cui proniter ſuccumbetur, niſi Dei gratiâ opituletur. Unde quidam decorus aſpectu: *Ut ſcivi*, inquit, *quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc erat ſapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum; adij Dominum, & deprecatus ſum illum.* Circa paſſivas denique tentationes, præter exempla vetuſta §. 136. commemorata, obvium eſt exemplum recentius Divi Bernardi, de quo in Romano Breviario ad diem xx. Auguſti legitur, quòd *Adoleſcens propter egregiam formam vehementer ſollicitatus ſit à mulieribus.* Qualem ſollicitationem veritus & præcavens dudum anteà Alexander Martyr, Carbonario opificio in flore ætatis ſeſe dedit, ut ſollicitandi anſam mulieribus præcideret: V. Ne igitur, inquit de eo Nyſſe- ,, nus, vel ſibi ipſi aliquid accideret impru- ,, denti quod factum noluiſſet, vel alienis ocu- ,, lis offenſionis aut lapſûs anſam præberet, ,, Carbonario opificio, velut deformi quâdam ,, larvâ, ſe conſultò circumdedit; quo tam ,, corpus laboribus ad virtutem exerceretur, ,, quàm pulchritudo ſordibus carbonum infecta obtegeretur". Recolantur quæ §. 137. memoravimus de B. Brigidâ, deformitatem ſibi divinitùs optante & impetrante: ut appareat quantoperè utriuſque ſexûs homines ſanctitate illuſtres ſategerint obviare tentationibus tam activis quàm paſſivis, quibus probè nôrunt pulchritudinem corporis eſſe expoſitam. Neque enim ignorarunt habere à fortiori locum in theſauro pulchritudinis, quod de theſauro pecuniario veriſſimè ſcriptum eſt: W. *Deprædari deſiderat, qui theſaurum publicè portat in viâ.* Sed audiamus quod quinto eoque extremo loco Tertullianus de *formæ dignitate* ſubintulit, nimirùm eam *ſcandalis circumdari.* Quod veriſſimum eſſe nemo ambigere ſinitur, qui ea perpenderit quæ § 136. præmiſimus de ruinâ complurium ex aſpectu pulchritudinis alienæ. Ubi & illud peculiariter notavimus, ipſam pulchritudinem oculis objectam ſubinde in Scripturis vocari *ſcandalum*, ut cùm dicitur *Balaam docuiſſe Balac mittere ſcandalum coram filijs Iſraël.* An non ſcanda-

Q. Propert. l. 2. Eleg. 9.
R. Xenoph. apud Stobæum Orat. 63.
S. Plinius lib. 24 cap. 17.
Plutarchus.
2. Reg. 12. 9.
Gen. 12. 11. & ſeqq.
Vide ſuprà §. 137.
Gen. 26. 7.
T. Apud Ovid. lib. 1. Metamorph.
Sap. 8. 21.
Breviarium Roman.
V. Gregor. Nyſſ. in vita Gregorij Thaumaturgi.
W. Gregor. Homil. 11. in Euang.
Apoc. 2. 14.

Digitized by Google

ſcandalis circumdata fuit pulchritudo illius meretricis, de qua Ovidius ait, [X] *Multis LAIS amata viris*? An non item illius, quæ proſtitutione corporis tam dives evaſit, ut Thebanus obtulerit reparare ſuis ſumptibus mœnia Urbis per Alexandrum Macedonem diruta, dummodò inſcribi ſinerent: [Y] *Alexander everterat, PHRYNE amica excitavit*? Huic ſtatuam auream Delphis erectam cùm Crates Philoſophus vidiſſet, exclamaſſe fertur apud Athenæum ibidem, *Intemperantiæ Græcorum depoſitum*: ſive, ut eſt apud Plutarchum Oratione 2. de Fortunâ & Virtute Alexandri, *De Græcorum laſciviâ id collocatum trophæum*. Potuiſſent & Romani conſimile trophæum de ſuâ laſciviâ collocare meretrici *Floræ*, de quâ Lactantius, [Z] *Flora*, inquit, „cùm magnas opes ex arte meretriciâ quæſiviſſet, Populum Romanum ſcripſit hæredem; certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant FLORALIA". Sicut ergo pulchritudo *Laidis*, & *Phrynes*, circumdata fuit ſcandalis Græcorum, ſic & Floræ pulchritudo ſcandalis Romanorum: & ſicut inſcriptio Thebana, & ſtatua Delphica, trophæa fuêre Laſciviæ Græcorum; ita Floralia fuerunt trophæa laſciviæ Romanorum: utrobique ſcandalizante, & ſcandalis circumdatâ, pulchritudine formæ.

X Ovid l. 1. Amorum Elegiâ 5.

Y. Apud Athenæum l. 13. c. 22.

Z. Lact. l. 1. cap. 20. Vide Arnobium lib. 3. cap. 7. & Tertull. lib. de Spectaculis c. 6. & Aug. Epiſt. 202. & l. 1. De conſenſ. Euang. c. 31. & Minut. in Octavia.

CAPUT XLI.

Digreſſio à pulchritudine nativâ, ad aſcititiam: cujus prima ſuggeſtio ſatanico adſcribitur magiſterio. Ejus ſtudium non modò feminas infatuat, ſed & mares adeò effeminat, ut non tam viri ſint dicendi, quàm batali, *vel* feminelli. *Grandem Deo plaſmatori ſuo injuriam irrogant, qui vultum ab eo primitùs formatum, quaſi peritiores artifices reformare, emendare, ſuperpolire præſumunt; ipſo auſu protervè expoſtulantes cum eo qui ſe finxerat,* Quid nos feciſti ſic? *His applicat Origenes increpationem Euangelicam,* Exterminant facies ſuas. *Pro eo autem quòd Dei plaſticam exterminant, extermınio obnoxii fiunt: non enim agnoſcet Judex ſummus in die noviſſimo vultum, quem non ipſe fecit, ſed diabolus ejus hoſtis infecit. Impudicus habitus corporis, nuncius eſt adulterini cordis. Amici Sponſi diligentes decorem domûs Dei non debent talibus adulteris connivere, ſed palam oblatrare; ne Prophetico ſubjaceant opprobrio,* Canes muti latrare non valentes. *Non ſemper in malo accipiendi ſunt* canes, *ſed boni ſunt qui vigilanter latrant pro domo, pro domino, pro grege, pro paſtore. Animarum Curiones & Euangelii præcones Demoſthenicâ anginâ corripiuntur, cùm vel adipiſcendi cupidine vel amittendi formidine elinguantur. Recenſentur particulariùs ex Auguſtino plures oblatrandi obices, quibus canes myſtici inexcuſabiliter redduntur elingues: quos inter eminet* timor verbi aſperi, *quo crebriter impelluntur in laqueum diaboli.*

CXL. CUm ex tot capitibus timendus ſit decor formæ nativus, qui inter bona Dei dona reputatur; quanto magis timendus, quin & culpandus cenſeri debet decor aſcititius, pigmentitius, ſophiſticus, deceptorius? Si enim *fallax eſt gratia, & vana pulchritudo*, quam natura indidit; quanto fallacior ac vanior ea, quam impoſtura adinvênit? Nonnulli ſanè Patres uſqueadeò fucatitiam iſtam pulchritudinem inſectantur, ut ex apoſtaticorum Angelorum diſciplinâ ſumptam arbitrentur: Prov. 31. 30.

Digitized by Google

A. Clemens Alex. lib. 5. ſtromat.

„ A. Angeli illi, inquit Clemens Alexandri-
„ nus, quibus ſuperna ſors obtigerat, delapſi
„ ad voluptates enunciarunt arcana mulieri-
bus". Ubi ſermo eſt de *arcanis* muliebrium
ornamentorum, de quibus & Tertullianus

B. Tertull. lib. de cultu femin. c. 10.

ejuſdem ævi Scriptor: B. Non veritate, in-
„ quit, bona ſunt, ſed raritate: per Angelos
„ autem peccatores demonſtrata ſunt, qui &
ipſas materias prodiderunt". Et lib. de ha-
bitu muliebri cap. 2. loquens de iiſdem An-
gelis peccatoribus: "Propriè, inquit, &
„ quaſi peculiariter feminis inſtrumentum iſtud
„ muliebris gloriæ contulerunt, lumina la-
„ pillorum quibus monilia variantur, & cir-
„ culos ex auro quibus brachia arctantur, &
„ medicamenta ex fuco quibus lanæ coloran-
„ tur, & illum ipſum nigrum pulverem quo
„ oculorum exordia producuntur. Hæc qua-
„ lia ſint, interim jam ex Doctorum ſuorum
„ qualitate & conditione pronuntiari po-

C. Cyp. lib. de Habitu virg.

teſt". Et Martyr Cyprianus: C. Non coc-
„ cineas, inquit, aut purpureas oves fecit
„ Deus, aut herbarum ſuccis & conchyliis tin-
„ gere & colorare lanas docuit: nec diſtinctis
„ auro lapillis & margaritis, contextâ ſerie
„ & numeroſâ compage digeſtis, monilia in-
„ ſtituit, quibus cervicem quam fecit abſcon-
„ deres; ut operiatur illud quod Deus in ho-
„ mine formavit, & conſpiciatur id deſuper
„ quod diabolus adinvenit. An vulnera in-
„ ferri auribus Deus voluit, quibus innocens
„ adhuc infantia, & mali ſæcularis ignara,
„ crucietur; ut poſtea de aurium cicatricibus
„ & cavernis pretioſa grana dependeant,
„ gravia, etſi non ſuo pondere, mercium
„ quantitate? Quæ omnia peccatores & apo-
„ ſtatæ Angeli ſuis artibus prodiderunt,
„ quando ad terrena contagia devoluti à cæ-
„ leſti vigore receſſerunt. Illi & oculos cir-
„ cumducto nigrore fucare, & genas mendacio
„ ruboris inficere, & mutare adulterinis colo-
„ ribus crinem, & expugnare omnem oris &
„ capitis veritatem, corruptelæ ſuæ impugna-

PRÆOCCUPATIO.

tione docuerunt". Fruſtrà autem quis tenta-
verit vim harum authoritatum enervare ex eo,
quòd authores earum autumaverint Angelos
concupiſcentiâ feminarum illectos de cælo
corruiſſe, atque à Deo apoſtataſſe: quæ ſenten-
tia hodie penè exolevit. Etenim quamvis præ-
fati authores, utramque ſententiam tradide-
rint, atque etiam in unâ erraverint; non ta-
men hinc conſequens eſt eos in alterâ erraſſe,
vel veritatem ejus in alterius veritate fun-
daſſe. Nemo quippe ambigit, quin mali An-
geli etiam uſque nunc non ceſſent, nec uſque
ad ſæculi finem ceſſaturi ſint, ſuggerere mor-
talibus novas peccandi illecebras. Nihil pro-
inde obſtat quo minùs docuerint mulieres ar-
tificium fucandi ac curioſè ſe ornandi, tam-
etſi ipſi dudùm anteà corruerint, & alio quo-
piam peccati genere deliquerint. Stat igitur
veritas hujus ſententiæ, cum falſitate alterius
illius ſententiæ: ac per hoc non eſt repudian-
da authoritas aſſertorum unius, propter alte-
ram. Hoc igitur eſt primum illius artificii
præjudicium, quòd immundorum ſpirituum
magiſterio in hominum notitiam pervenerit.
Unde rectè monet Arnobius alienum eſſe à
divinâ benignitate animas idcircò in hæc ter-
rena corpora mittere, D. Ut divini ponderis D. Arnob. l. 2. advers. Gent.
„ & gravitatis oblitæ, gemmas, lapillos, mar-
„ garitas, caſtitatis diſpendio compararent,
„ conſpiciendis quærerent corporibus fucos,
„ innecterent teniis colla, laminas pertunde-
„ rent aurium, imminuerent frontes limbis,
„ fuligine oculos obumbrarent; nec in formis
„ erubeſcerent maſculorum calamiſtris vibrare
„ cæſariem, cutem corporis levigare, ince-
„ dere poplitibus nudis, omnique alio cultu
„ vigorem virilitatis ſeponere, & in habitum
feminarum delitiaſque molliri". Ex quo vi-
demus, non feminas modò, ſed & viros
huic artificio ab immundis ſpiritibus ſuggeſto
reperiri intentos: quâ de re graviter cum iis
expoſtulat Clemens Alexandrinus: E. Eouſ- E. Clemens Alex. l. 3. Pædag. c. 3.
„ que, inquiens, proceſſit luxus, ut non ſo-
„ lùm feminæ inani hoc ſtudio laborent, ſed
„ etiam viri idem vitium ſequantur. Qui au-
„ tem à corporis cultu puri non ſunt, ij pro-
„ fectò nequaquam ſani ſunt, ſed ad molli-
„ tiem declinantes. Planè effeminantur, illi-
„ berali utique tonſu ac meretricio ſe ton-
„ dentes, ſubtilibus item ac pellucidis veſti-
„ bus induti glorioſè uſquequaque obeuntes.
„ Quid de his dixerit quiſpiam qui tanquam
„ metopoſcopus ex figurâ divinat, cùm
„ eos viderit adulteros, androgynos, atque
„ effeminatos, utrique Veneri deditos, pilis
„ infeſtos, glabros, florem virilem abhorren-
„ tes, comas inſtar mulierum ornantes? *In ne-* Sybilla.
„ *fariis atque audacibus cæptis improbè ac ſceleratè*
„ *viventes, ſtolida admittunt & improba facta*, ait
„ Sibylla. Propter tales plenæ ſunt civitates
„ ijs qui effeminatos ejuſmodi picant, radunt,
„ vellunt: officinæ item ubique conſtructæ
„ & apertæ ſunt, & hujus meretriciæ forni-
„ cationis artifices multum pecuniæ lucran-
„ tur ab his qui ſeipſos pice oblinunt, pilos
„ vulſoribus quoquo modo vellendos præ-
„ bent: quos nec eorum qui vident, nec eo-
„ rum qui accedunt, nec ſuiipſorum, qui viri
„ ſunt, pudet. Tales ſunt qui turpes & illibe-
„ rales ſequuntur perturbationes, & quorum
„ corpus violentis picis vulſionibus glabrum
„ eſt ac læve. Nihil eſt certè quo queat ultrà
„ progredi talis impudentia. Si autem nihil
„ ab eis intactum relinquitur, non eſt à me
„ ſilentio prætereundum, quòd eorum quen-
„ dam pædagogi more increpans Diogenes,
„ cùm venderetur, magno ac forti animo

 dixit:

Digitized by Google

Diogenes.
,, dixit: *Veni adoleſcens, eme tibi virum*; anci-
,, piti oratione meretricium ejus animum
,, caſtigans: eos enim qui naturâ viri ſunt,
,, quomodò non eſt turpe atque illiberale radi
,, ac levigari? Pilos autem tingere, & canos
,, ungere, coloribuſque oblinire, perditorum
,, effeminatorumque androgynorum eſt. Pu-
,, tant fortè muliebres hujuſmodi tinctores &
,, unctores poſſe ſe, ſicut ſerpentes, ſenium
,, capitis exuere, dum ſeipſos pingentes tranſ-
,, formant ac renovant? Sed etſi pilos callidè
,, circumſcribant, rugas tamen non effugiunt:
,, ſed nec mortem latebunt, quamvis ætatem
arte ementiantur". Plura addit idem author
toto penè capite adverſus eoſdem, ac tum
non longè ante finem ait: "Quid non igitur
,, admiſerint feminæ ad libidinem propenſæ,
,, dum vident viros talia audere? Imò verò
,, ii non viri, ſed batali & feminelli dicendi
,, ſunt, quorum & voces compreſſæ ſunt ac
,, graciles, & veſtis tum tactu tum tincturâ
,, ipsâ eſt effeminata. Ex moribus utique ex-
,, ternis apertè arguuntur hi homines, ex
,, amictu, calceatu, figurâ, habitu, tonſu,
aſpectu".

CXLI. Non ſolo argumento ex diabolicâ
origine petito reprobatur à Patribus ars iſta
fucandi, ſed ex eo inſuper quòd ejus uſus
apertam injuriam Deo Creatori videatur in-
ferre: [F] In Deum delinquunt, inquit Ter-
,, tullianus, quæ cutem medicaminibus ur-
,, gent, genas rubore maculant, oculos fuli-
,, gine porrigunt. Diſplicet nimirùm illis pla-
,, ſtica Dei: in ipſis ſe nimirum arguunt, &
,, reprehendunt Artificem omnium: repre-
,, hendunt enim cùm emendant, cùm adji-
,, ciunt, utique ab adverſario artifice ſumen-
,, tes additamenta. Is eſt diabolus: nam quis
,, corpus mutare monſtraret, niſi qui & ho-
minis ſpiritum malitiâ transfiguravit"? Et
hunc ſecutùs Martyr Cyprianus: [G] Opus
,, Dei, inquit, & factura ejus, & plaſtica,
,, adulterari nullo modo debet adhibito flavo
,, colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut
,, quolibet denique lineamenta nativa corrum-
,, pente medicamine. Dicit Deus, *Facia-*
,, *mus hominem ad imaginem & ſimilitudinem no-*
,, *ſtram*: & audet quiſquam mutare & con-
,, vertere, quod Deus fecit? Manus Deo in-
,, ferunt, quando id, quod ille formavit, re-
,, formare & transfigurare contendunt; neſ-
,, cientes quia opus Dei eſt omne quod naſci-
,, tur, diaboli quodcunque mutatur. Si quis
,, pingendi artifex vultum alicujus & ſpeciem
,, & corporis qualitatem æmulo colore ſignaſ-
,, ſet, & ſignato jam conſummatoque ſimu-
,, lachro alius manum inferret, ut jam forma-
,, ta jam picta, quaſi peritior, reformaret,
,, gravis prioris artificis injuria & juſta indi-
,, gnatio videretur. Tu te exiſtimas impunè
,, laturum tam improbæ temeritatis audaciam,
,, Dei Artificis offenſam? Ut enim impudica
,, circa homines & inceſta fucis lenocinanti-
,, bus non ſis, corruptis violatiſque quæ Dei
,, ſunt peior adultera detineris. Quòd ornari
,, te putas, quòd putas comi, impugnatio eſt
,, iſta divini operis, prævaricatio eſt verita-
,, tis". De eiſdem quoque loquens Clemens
Alexandrinus: [H] Hominum opificem, in-
,, quit, contumeliâ afficiunt, tanquam qui
,, eis minorem debitâ pulchritudinem imper-
tierit". Et inferiùs ibidem cap. XI. "Ab-
,, ſurdum eſt, inquit, eos qui ad Dei imagi-
,, nem & ſimilitudinem facti ſunt, tanquam
,, archetypum exemplar ſpernentes, externum
,, ornatum inducere, improbum humanum
artificium Dei opificio præferentes". Et ſu-
periùs lib. 2. cap 12: "O curam, inquit,
,, valde inanem! ô vanam & inſanam gloriæ
,, cupiditatem! Ritu meretricio opes effun-
,, dunt in probra ac dedecora, ſuâque impro-
,, bâ & arroganti ſtoliditate dona Dei cor-
,, rumpunt & adulterant, artem maligni imi-
tantes" Et hujus diſcipulus Origenes, ediſſe-
rens illud Chriſti de hypocritis, *Exterminant*
facies ſuas, ita ſcribit: [I] Benè dicit, *extermi-*
,, *nant*, hoc eſt, immaculatas maculant, in-
,, coinquinatas coinquinant, mundas ſordi-
,, dant: propterea digna illos exterminatio in
,, hoc etiam ſæculo expectat. Tales ſunt mu-
,, lieres quædam, quæ album, & nigrum, &
,, rubicundum ſuper facies ſuas inducunt, quaſi
,, ſapientiores ſint plaſmatore ſuo Deo, ut qui
,, non benè illum fecerit vultum, non pruden-
,, ter illam conſtituerit faciem. Hujus crean-
,, tis opus emendare volunt, componere non
,, erubeſcunt, & poſt fabricatoris manum ſu-
,, peraddere non verentur: mortuis coloribus
,, ſuas facies linunt viventes, & de viventibus
tranſmutant in mortuas". Et Ambroſius diſ-
ſerens de imagine Dei inditâ primitùs homi-
ni ab ipſo archipictore Deo: [K] Pictus es, in-
,, quit, ô homo: & pictus à Domino Deo tuo.
,, Bonum habes Artificem atque pictorem:
,, noli bonam delere picturam, non fuco, ſed
,, veritate fulgentem; non cerâ expreſſam, ſed
,, gratiâ. Deles picturam mulier, ſi vultum
,, tuum materiali candore oblinas, ſi acquiſiti-
,, tio rubore perfundas. Illa pictura vitii, non
,, decoris eſt; illa pictura fraudis, non ſim-
,, plicitatis eſt; illa pictura temporalis eſt, &
,, pluviâ aut ſudore tergitur; illa pictura fallit
,, & decipit, ut nec illi placeas cui placere
,, deſideras, qui intelligit non tuum, ſed
,, alienum eſſe quo placeas, nec ut tuo diſ-
,, pliceas authori, qui videt opus ſuum
,, eſſe deletum. Dic mihi, ſi ſupra artificem
,, aliquem inducas alterum, qui opus illius
,, prioris novis operibus obducat, nonne in-
,, dignatur ille qui opus ſuum adulteratum eſſe
cogno-

F. Tert lib. de cultu femin. c. 5.

G. Cyprian. lib. de Habitu virginum.

Gen. 1. 26.

H. Clemens Alex. lib. 3. Pædag. c. 2. Vide Nazianzenum oration. 31. item carmine 4. & 63. & Baſilium l. de ſancta virginitate.

Matt. 6. 16.

I Origenes Homil. 4 in Diverſos. Vide Theodoret. Hiſtoriæ Religioſæ c. 9.

K. Ambroſ. l. 6. Hexameron c. 8. Vide l. 1. de virgin.

Digitized by Google

„ cognoverit? Noli tollere picturam Dei, & „ picturam meretricis aſſumere: quia ſcriptum „ eſt, *Tollam ergo membra Chriſti, & faciam membra meretricis? Abſit.* Quòd ſi quis adulteret „ opus Dei, grave crimen admittit: grave „ enim crimen eſt, ut putes quòd meliùs te „ homo quàm Deus pingat: grave eſt, ut dicat de te Deus, Non agnoſco colores meos, „ non agnoſco imaginem meam, non agnoſco „ vultum quem ipſe formavi, rejicio ego quod „ meum non eſt: illum quære qui te pinxit, „ cum illo habeto conſortium, ab illo ſume gratiam cui dediſti mercedem". Et Hieronymus ad Furiam: L. Quid facit in facie Chriſtianæ, inquit, purpuriſſus, & ceruſſa: quorum alterum, ruborem genarum labiorumque mentitur; alterum, candorem oris & „ colli? Ignis juvenum, fomenta libidinum, „ impudicæ mentis indicia. Quomodò flere „ poteſt pro peccatis ſuis, quæ lachrymis cutem nudat, & ſulcos ducit in facie? Ornatus iſte non Domini eſt, velamen iſtud „ Antichriſti eſt. Quâ fiduciâ, erigit ad cælum vultus, quos Conditor non agnoſcit"? Et Chryſoſtomus in Homiliis ſuper Matthæum, tractans de coloribus pigmentitiis: M. Non „ gaudet Chriſtus hiſce coloribus, inquit, ſed „ ſublimiorem pulchritudinem flagitat: animæ „ ſcilicet, quam valdè etiam diligit, quam & „ propheta non parvi pendendam indicat ubi „ ait, *Concupiſcet Rex decorem tuum.* Non ergo „ inane quid atque ſuperfluum nobis imponamus: nulli enim ex operibus Dei aliquid „ deeſt, nec quidquam eſt quod emendatione „ tuâ egeat. Nemo imagini ad ſimilitudinem „ Regis effictæ apponere quidquam audet: & „ ſi audeat, nequaquam impunè audebit. Hominis igitur operi nihil addis: quod autem „ Deus operatus eſt, id emendare attentas, „ nec gehennam cogitas, nec animæ jacturam pertimeſcis"? Et rursùs Homil. 10. in Epiſtolam ad Coloſſenſes: " Vis, inquit, videri „ pulchra & decora? Sufficiat tibi formatio „ Creatoris. Quid aurea inducis ornamenta, tanquam Dei figmentum correctura"? Conſonat his Auguſtinus in peculiari ad populum ſermone, qui *de adulterino virorum ac mulierum habitu* inſcribitur, & ab Ivone Carnotenſi verbatim tranſcribitur, ubi hæc inter alia hìc opportunè inſerenda occurrunt: N. Qui quantitatem vel formam, quam omnipotens & „ prudentiſſimus plaſmator finxit, in aliam „ transfigurare contendit, nonne evidenter „ dicere videtur ei qui ſe finxit, *Cur me feciſti ſic?* Improba temeritas, conditoris plaſma „ vilificare, ut quantitatem ſuam aut formam, quantum in ſe eſt, in aliud transfiguret".

1. Cor. 6. 15. — L. Hieron. Epiſt. 10. Vide l. contra Helvidium c. 10. — M. Chryſoſt. Hom. 31. in Matthæum. — Pſal. 44. 12. — N. Auguſt. Serm 247. de tempore. Vide Ivonem Serm. 24. Rom. 9. 20.

CXLII. Hinc facilè perſpicitur primò, quàm irrito conatu tentent nonnulli laxiores morum directores reſtringere dicta Patrum in fucos detonantium ad eas quæ voto caſtitatis fuerint adſtrictæ: ut hâc ratione excuſent reliquos utriuſque ſexûs homines, ſive matrimonio jam nexos, ſive eidem ineundo intentos. Quis enim ignoret, univerſos ſine exceptione homines, cujuſcunque ſexûs, ſtatûs, aut conditionis, à Deo ad ſuam imaginem condi, fingi, ac pingi? Si ergò nefas eſt imaginem à tanto artifice pictam emendare vel transformare, prout uno ore clamant authores omnes proximo §. adducti: planum profectò eſt, dicta eorundem authorum nequaquam eſſe ad determinati ſtatûs aut conditionis homines arctanda, ſed univerſaliter omnibus accommodanda. Fruſtrà autem in patrocinium prætactæ reſtrictionis adducitur Cyprianus ex eo, quòd librum ſeu Tractatum unde eum citavimus inſcripſerit *De Diſciplinâ & Habitu Virginum*; quaſi inde conſectaneum ſit, dicta ejus ad ſolas Virgines eſſe reſtringenda. Ipſe quippe Cyprianus, quaſi prævidens hanc ſiniſtram dictorum ſuorum interpretationem, præoccupavit eam, dicens illic immediatè poſt verba §. 140. ex ipſo relata: „ O. Et quidem iſto in loco pro timore quem „ nobis fides ſuggerit, pro dilectione quam „ fraternitas exigit, NON VIRGINES „ TANTUM, aut viduas, ſed & nuptas „ puto, & omnes omninò feminas admonendas, quòd opus Dei, & factura ejus, & „ plaſtica, adulterari nullo modo debeat adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel „ rubore, aut quolibet denique lineamenta nativa corrumpente medicamine". Indidem quoque perſpicitur ſecundò, fucorum uſum ab iiſdem authoribus reputari peccatum non leve, ſed prorsùs grave, atque adeò æternæ damnationi obnoxium. Nam Cyprianus eum dicit continere *gravem prioris artificis injuriam:* imò & *inceſtu corporali pejus adulterium.* Clemens item Alexandrinus *Improbam & arrogantem ſtoliditatem* vocat: Origenes culpam *exterminatione dignam:* Ambroſius disertè *grave crimen:* Hieronymus *velamen Antichriſti:* Chryſoſtomus indicat dignum eſſe *gehennâ:* & inferre *animæ jacturam:* Auguſtinus denique appellat *improbam temeritatem.* Quæ omnia patent ex eorundem Patrum ſententiis proximo §. recitatis. Accedit quòd Auguſtinus verbis ex ipſo illic relatis præmiſerit: P. Habitus impudicus corporis nuncius eſt adulterini cordis. Impudicus autem habitus corporis in viris ſunt, „ ſuperflua & inordinata capillatura, veſtimentorum muliebrium affectata ſimilitudo, calceamentorum quoque metas neceſſitatis excedens ſimulata longitudo: in mulieribus „ item FACIES FUCATA, virilium „ veſtimentorum imitatio, capillorum nativi „ coloris adulteratio. Hic habitus in utroque ſexu adulterinus eſt, & ſanctarum nup-

PRÆOCCUPATIO. — O. Cyp. lib. de Habitu Virginum. — Vide ſuprà §. 141. — P. Auguſt. Ser. 247. de Tempore.

Digitized by Google

„ tiarum ſocietate indignus, & à conſpectu
„ tanti Sponſi & tantæ Sponſæ prorsùs
„ amovendus. Nec ſilentio præterire hoc de-
„ bent amici Sponſi, diligentes decorem
„ domûs Dei: debent hujuſmodi adulteris pu-
Iſa. 56. 10. „ blicè oblatrare, ne dicatur de eis: *Canes muti,*
latrare non valentes". In quibus verbis com-
plura documenta obſervatu digna occurrunt:
ut inprimis illud, *Habitus impudicus corporis,*
nuncius eſt adulterini cordis. Cui conſonum eſt
illud Ambroſii, ab eodem Auguſtino alibi re-
Q. Ambroſ. l. 1. de Virginibus, apud Aug. l. 4. de Doct. Chriſt. cap. 21. latum: Q. Hinc illa naſcuntur incentiva vi-
„ tiorum, ut quæſitis coloribus ora depingant,
„ dum viris diſplicere formidant; & de adul-
„ terio vultûs meditentur adulteria caſtitatis".
R. Clem. Alex. lib. 3. Pædag. c. 2. Vide Baſil. Homil. 24. Et illud item Clementis Alexandrini: R. Sicut
„ notæ inuſtæ fugitivum, ſic floridi colores
adulteram denotant". Necnon & illud ejuſ-
dem paulò infrà: " Nequaquam aberraverit
„ qui meretrices dixerit eas, quæ ex vultibus
ſuis larvas faciunt". Et illud item Cypriani:
S. Cyp. l. de Habitu virgin. Vide Tertul. l. de Cultu femin. c. 12. „ S. Ornamentorum ac veſtium inſignia, &
„ lenocinia formarum, non niſi proſtitutis &
„ impudicis feminis congruunt: & nullarum
„ ferè pretioſior cultus eſt, quàm quarum pu-
dor vilis eſt". Necnon & illud ejuſdem lib.
de Bono pudicitiæ: " Non eſt pudica, quæ
„ affectat animum alterius movere, etiam ſal-
„ vâ corporis caſtitate: longè abſint, quibus
„ pulchritudo non ornatur, ſed proſtituitur;
„ nam ſollicitudo de pulchritudine malæ
mentis indicium eſt". Unde & Hieronymus
T. Hieron. Epiſt. 10. ejuſmodi fucos facierum vocat T. *Ignem juve-*
num, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia:
V. Naz. carmine 4. & Gregorius Nazianzenus nunc V. *Adulterii*
W. Idem carmine 63. *pharmaca,* nunc W. *Lenocinii commenta:* & Joan-
X. Chryſoſt. Homil. 8. in priorem ad Timoth. nes Chryſoſtomus X. *Laſciviæ irritamenta.* Se-
cundò in iiſdem Auguſtini verbis illud præ-
tereà obſervatu dignum occurrit, gravitatem
hujus criminis tantam cenſeri, ut *à conſpectu*
Sponſi & Sponſæ prorsùs amovendus ſit qui eo ſe
fœdaverit. In convivio enim nuptiali nemo
permanere ſinitur, niſi qui veſte nuptiali ami-
ctus reperitur: cui veſti prorsùs repugnat *in*
utroque ſexu habitus adulterinus. Ac per hoc quiſ-
quis adulterino habitu indutus illic apparue-
Mat. 22. 13. rit, *Ligatis manibus & pedibus mittetur in tene-*
bras exteriores. Unde Cyprianus inducit Spon-
ſum in extremo Judicio mulieri fucis illitæ
dicentem vigore Cenſoris ac Judicis: Y. Opus
Y. Cypr. l. de Habitu virg. „ hoc meum non eſt, nec imago hæc noſtra
„ eſt: cutem falſo medicamine polluiſti, cri-
„ nem adultero colore mutaſti, expugnata eſt
„ mendacio facies, figura corrupta eſt, vultus
„ alienus eſt: Deum videre non poteris, quan-
„ do oculi tui non ſunt quos Deus fecit, ſed
„ quos diabolus infecit: illum tu ſectata es,
„ rutilos atque depictos ſerpentis oculos imi-
„ tata es; de inimico tuo compta, cum illo
pariter & arſura". Cui planè parallela ſunt

verba Ambroſii proximo §. relata. Ex qui- Vide Ambr. ſuprà §. 141.
bus planum eſt, tam hunc quàm illum arcere
hujuſmodi feminas à convivio nuptiali, & ad-
dicere Inferno, ut ardeant ibi cum diabolo.
Hinc & Cyprianus ibidem præmiſerat ad
unam talium reliquas repræſentantem: " Au-
„ daci conatu, & ſacrilego contemptu, crines
„ tuos inficis; malo præſagio futurorum, ca-
pillos jam tibi flammeos auſpicaris". Et ante
hunc Tertullianus de talibus loquens plurali-
ter: Z. Malè, inquit, ac peſſimè ſibi auſpi- Z. Tertul. de Cultu fem. cap. 6.
cantur flammeo capite". Cenſet nimirum
uterque, flammeum capillorum colorem pig-
mentitio artificio procuratum præſagire flam-
mam gehennæ, quâ arſuræ ſint quæ ejuſmodi
fucis comas inauraverint. Unde Hieronymus
matronam quandam edocens de inſtitutione
filiæ: A. Cave, inquit, ne aures ejus perfores, A. Hieron. Epiſt. 7. ad Lætam.
„ ne ceruſsâ & purpuriſſo conſecrata Chriſto
„ ora depingas, ne collum auro & margaritis
„ premas, ne caput gemmis oneres; nec ca-
„ pillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ig-
nibus auſpiceris".

CXLIII. In iiſdem denique Auguſtini
verbis ſignanter attendenda eſt finalis iſta clau-
ſula, *Amici Sponſi, diligentes decorem domûs Dei,* Iſa. 56. 10.
debent hujuſmodi adulteris publicè oblatrare, ne di-
catur de eis: Canes muti, latrare non valentes. Vide §. proximo.
Pro cujus pleniori intelligentiâ notandum eſt
ex eodem ipſo Auguſtino, B. Non ſemper in B. Auguſt. Epiſt. 59. q. 3.
„ malo accipiendos eſſe *canes:* alioquin non
„ reprehenderentur apud Prophetam *Canes*
„ *muti, neſcientes latrare, & amantes dormitare.*
„ Profectò enim laudabiles canes eſſent, ſi &
„ latrare ſcirent, & vigilare amarent. Et certè
„ illi *trecenti,* in numero per crucis litteram Iud. 7. 7.
„ ſacratiſſimo non eligerentur ad victoriam fa-
„ ciendam, qui tanquam *canes lamberent aquam,*
„ niſi aliquid magnum ſignificarent. Vigilant
„ enim & latrant boni canes & pro domo, &
„ pro domino, & pro grege, & pro paſtore.
„ Unde & in Eccleſiæ laudibus quùm prophe-
„ tia exereretur, *lingua canum* eſt commemo- Pſal. 67. 24.
rata". Et rursùs in Pſalmum 67. ad verſ. 24.
" Canes laudabiles, inquit, non deteſtabiles,
„ fidem ſervant domino ſuo, & pro ejus domo
„ contra inimicos latrant. Non enim tantum- Vide Aug. q. 37. in Judices.
„ modò *canum* dixit, ſed *canum tuorum:* nec
„ eorum dentes, ſed lingua laudata eſt; quo-
„ niam non utique fruſtrà, nec ſine magno ſa-
„ cramento, Gedeon ſolos eos juſſus eſt du-
„ cere, *qui fluminis aquam, ſicut canes, lamberent;*
„ taleſque non ampliùs quàm *trecenti* in tantâ
„ multitudine inventi ſunt: in quo numero
„ ſignum crucis eſt, propter T. litteram, quæ
„ in Græcis numerorum notis *trecentos* ſigni-
ficat". Notat quoque Hugo Victorinus
„ C. Canes in quibuſdam rebus habere figuram C. Hugo Victor. lib. 1. Beſtiarii c. 21.
„ prædicatorum: qui ſemper admonendo, &
„ quæ recta ſunt exercendo, inſidias diaboli
pellunt;

Digitized by Google

„ pellunt; ne theſaurum Dei, animas ſcilicet
Chriſtianorum, ipſe auferat". Monet igitur
Auguſtinus verbis initio hujus §. relatis myſti-
cos iſtos canes, cuſtodiæ domûs Dei deſtina-
tos, ut adulterantibus veſtem, aut faciem
ſuam, nequaquam conniveant, ſed *publicè ob-
latrent:* incurſuri alioquin propheticum iſtud
opprobrium, *Canes muti non valentes latrare.*
Convincuntur etenim non diligere decorem
domûs Dei, qui cernentes eam frequentari ab
adulterinè veſtitis, aut pigmentitiè transfor-
matis, obmuteſcunt, & ſuâ obmuteſcentiâ
lenocinio applaudunt, atque ejus participes
evadunt, cum eis quibus connivent plectendi,
Iſa. 6. 5. ac ſerò tandem dicturi viritim, *Væ mihi, quia*
D. Greg. de curâ paſtor. p. 3. Admonit. 15. *tacui:* D. Qui enim proximorum mala reſpi-
„ ciunt, inquit Gregorius, & tamen in ſilen-
„ tio linguam premunt, quaſi conſpectis vul-
„ neribus uſum medicaminis ſubtrahunt; &
„ eò mortis authores ſunt, quò virus, quod
potuerunt, curare noluerint". Plura huc
ſpectantia repeti poſſunt ex 1. libro hujus Ope-
ris noſtri cap. 36 §. 136 ubi inter alia illud
E Cap. Error Diſt 83. Vide lib. 1. §. 136. ex corpore Juris adductum fuit: E. Error,
„ cui non reſiſtitur, approbatur; & veritas,
„ cùm minimè defenſatur, opprimitur. Ne-
„ gligere quippe, cùm poſſis deturbare per-
„ verſos, nihil aliud eſt, quàm fovere: nec
„ caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui mani-
feſto facinori deſinit obviare". Quod quidem
in iis peculiari titulo locum habet, quibus
animarum cura, ſive ovilis Dominici cuſto-
F. Aug. l. 1. de Civitate cap 9. dia, ex officio incumbit: F. Non utique pa-
„ rem, inquit Auguſtinus, ſed longè gravio-
„ rem cæteris habent cauſam, quibus per Pro-
Ezech. 3.18. „ phetam dicitur: *Ille quidem in ſuo peccato mo-*
„ *rietur, ſanguinem autem ejus de manu ſpeculato-*
„ *ris requiram:* ad hoc enim ſpeculatores, hoc
„ eſt, populorum præpoſiti, conſtituti ſunt in
„ Eccleſiâ, ut non parcant objurgando pec-
„ cata. Nec ideò tamen ab hujuſmodi culpâ
„ penitùs alienus eſt, qui licèt præpoſitus non
„ ſit, in iis tamen quibus vitæ hujus neceſſi-
„ tate conjungitur, multa monenda vel ar-
„ guenda novit, & negligit; devitans eorum
„ offenſiones propter illa, quibus in hac vitâ
„ non indebitis utitur, ſed pluſquam debuit
G Gregor. l. 1 Regiſtri Epiſt 24. Vide de curâ Paſtorali p. 2. c. 4. delectatur". Et Papa Gregorius: G. Sæpe,
„ inquit, Rectores improvidi, humanam amit-
„ tere gratiam formidantes, loqui liberè recta
„ pertimeſcunt: & juxta Veritatis vocem ne-
„ quaquam jam gregis cuſtodiæ *paſtorum* ſtu-
Joan. 10.12. „ dio, ſed *mercenariorum* vice deſerviunt: quia
„ *veniente lupo fugiunt,* dum ſe ſub ſilentio ab-
„ ſcondunt. Hinc namque eos Dominus per
Iſa. 56 10. „ Prophetam increpat, dicens: *Canes muti,*
„ *non valentes latrare.* Hinc rurſùs queritur,
Ezech. 13. 5. „ dicens: *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppo-*
„ *ſuiſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtaretis in prælio*
„ *in die Domini.* Ex adverſo quippe aſcendere
„ eſt, pro defenſione commiſſi gregis voce li-
„ berâ Poteſtatibus hujus Mundi contraire:
„ & in die Domini in prælio ſtare eſt, pravis
„ decertantibus ex juſtitiæ amore reſiſtere.
„ Paſtori etenim recta timuiſſe dicere, quid
„ eſt aliud, quàm terga tacendo præbuiſſe?
„ Qui nimirùm ſi pro grege ſe objicit, murum
„ pro domo Iſraël hoſtibus opponit. Hinc
„ rurſùs delinquenti populo dicitur: *Prophetæ* *Thren. 2.14.*
„ *tui viderunt tibi falſa & ſtulta, nec aperiebant*
„ *tibi iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam pro-*
„ *vocarent.* Prophetæ quippe nonnunquam in
„ ſacro Eloquio Doctores vocantur, qui dum
„ fugitiva eſſe præſentia indicant, quæ ſunt
„ ventura manifeſtant. Quos divinus ſermo
„ falſa videre redarguit, quia dum corripere
„ culpas metuunt, incaſſùm delinquentibus
„ promiſſâ ſecuritate blandiuntur: qui ini-
„ quitatem ſuam peccantibus nequaquam ape-
„ riunt, quia ab increpationis voce conticeſ-
„ cunt; clavis quippe apertionis, ſermo eſt
„ correptionis: quia increpatio culpam de-
„ tegit, quam ſæpe etiam ipſe qui perpe-
travit neſcit". Ex quibus apparet, quantopere
Deo diſpliceant, & quàm mercenariè paſto-
rum munus obeant, qui faciem comamve adul-
terantibus non oblatrant, ſed velut H. *Demoſ-* *H. Vide Plutarch in Demoſthene, & Gellium l. 11. c. 9.*
thenicâ anginâ correpti muteſcunt. Neque enim
multùm intereſt an muneribus corrupti, ut
Demoſthenes à Mileſiis, an alio quopiam hu-
mano reſpectu præpediti, oblatrare negligant:
ſiquidem, ut Auguſtinus advertit, I. Ab *I. Aug. l. 1. de Civitate cap. 9.*
„ ejuſmodi peccatoribus docendis, admonen-
„ dis, aliquando etiam objurgandis & corri-
„ piendis MALE DISSIMULATUR, vel
„ cùm laboris piget, vel cùm eos coràm ve-
„ recundamur offendere; vel cùm inimicitias
„ devitamus, ne impediant aut noceant in iſtis
„ temporalibus rebus, ſive quas adipiſci adhuc
„ appetit noſtra cupiditas, ſive quas amittere
formidat infirmitas". Ad quas *malè diſſimulandi*
cauſas reduci poteſt & ea, quam idem Augu-
ſtinus Serm. 19. de verbis Apoſtoli cap. 1. ſpe-
cialiter expreſſit, nimirùm *timor verbi aſperi:*
" Nulla cauſa eſt, inquit ipſe illic, quæ magis
„ facit hominem diſpenſatorem myſteriorum
„ Dei pigrum ad redarguendos contradicen-
tes, quàm timor verbi aſperi". Qui rurſùs
concione 1. in Pſal. 90. aſſerit multos timore
verbi aſperi à redarguendo deterritos impelli in
laqueum venantium, hoc eſt, in muſcipulam dæ- *Pſal. 90. 1.*
monum: " Timens avis, inquit, inanem ſo-
„ num, cadit in retia: ſic homines timentes
„ inſultantium verba vana & inania, & eru-
„ beſcentes conviciis ſuperfluis, cadunt in la-
„ queos venantium, & captivantur à diabo-
lo". Et mox iterùm de ſeipſo loquens:
" Cogit me Deus dicere, inquit, & ſi non
„ dixero, ego cado in laqueos venantium. Si
„ enim detractiones hominum timeo, ut non
dicam;

Digitized by Google

„ dicam; ego ipſe à verbo aſpero cado in laqueos venantium, qui vos moneo ut nòn timeatis verba hominum". Qui rurſùs Serm. 16. de verbis Domini cap. 4. diſertè pronuntiat peiorem eſſe convitiatore eum qui tacendo connivet convitianti: " ille, inquiens, injuriam fecit, & injuriam faciendo gravi ſe-„ ipſum vulnere percuſſit; tu vulnus fratris „ tui contemnis? Tu eum vides periiſſe, & „ negligis? Peior es tacendo, quàm ille convitiando".

CAPUT XLII.

Bina ex Scripturis profertur objectio, pro vindicando pulchritudinis ſtudio: prima ex Eccleſiaſtico, priſcos Patriarchas ob pulchritudinis ſtudium *laudante; altera ex Apoſtolo* habitum ornatum *matronis Chriſtianis commendante. Pulchritudo alia corporis exterior, eáque vana; alia animæ interior, eáque ſola vera. Hâc potiùs quàm illâ aſſimilamur Conditori noſtro, totius pulchritudinis archetypo: & ob hujus, non ob illius ſtudium laudati ſunt veteres heroes. Secunda objectio partim ex Apoſtoli vulgato contextu, partim ex aliis originalis idiomatis traductionibus eliditur.* Habitûs ornati *periphraſis ex Baſilio. Neminem ornat, niſi quod ipſum decet. Quæ nativam pulchritudinem reddunt magis timendam quàm optandam, nihilo minùs aſcititiam reddunt magis vitandam quàm ambiendam; quæ & propriis inſuper fœdatur nævis, & diſpendioſi geniminis incommodatur noxis: quarum noxarum nonnullæ ex Chryſoſtomo referuntur, ac ſingulatim perpenduntur. Aviditati ſignanter muliebri ſufficere nequeunt quantivis theſauri. Immane pulchritudinis ſtudium typicè adumbratur in* ſanguiſugâ *Salomonicâ, binis fœcundatâ filiabus, dicentibus:* Affer, affer. *Oppiæ Paulinæ luxus gemmarius ex Caio Plinio, æquans aureorum millionem.*

CXLIV. DUo ſunt quæ prædictis objici poſſe video, quorum primum eſt,

OBIECTIO I. quòd Eccleſiaſticus in veterum Patriarcharum laudem retulerit,

Eccli. 44. 6. *Pulchritudinis ſtudium habuiſſe.* Non ergo reprehenſioni obnoxium, ſed encomio

II. dignum eſt hujuſmodi ſtudium. Alterum eſt, quòd in novâ etiam lege Paulus Apoſtolus non ſolùm non culpet, ſed apertè commen-

1. Tim. 2. 9. det *Habitum ornatum*, ſignanter in mulieribus.

AD I. Ad primam objectionem obvia eſt ſolutio, Eccleſiaſticum loqui non de exteriori corporis, ſed de interiori cordis & animi pulchritudine, quæ nihil aliud eſt quàm decor ac ſplendor virtutis. Hoc non obſcurè indicat ipſe Eccleſiaſticus, cujus integra ſententia illic

Eccli. 44. 6. eſt: *Homines divites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes*:

K. Auguſt. l. 8. de Trinit. c. 6. [K] Eſt enim, ut Auguſtinus ait, „ quædam pulchritudo animi juſtitia, quâ „ pulchri ſunt homines plerique, etiam qui corpore diſtorti atque deformes ſunt". Qui rurſùs Epiſt. 222. paulò ante finem: " Quid „ eſt aliud juſtitia, inquit, cùm in nobis eſt, „ vel quælibet virtus quâ rectè ſapienterque „ vivitur, quàm interioris hominis pulchri-„ tudo? Etenim ſecundùm hanc pulchritudi-„ nem magis, quàm ſecundùm corpus, facti „ ſumus ad imaginem Dei: unde nobis dici-„ tur, *Nolite conformari huic ſæculo, ſed reforma-* Rom. 12. 2.

„ *mini in novitate mentis veſtræ, ad probandum vos* „ *quæ ſit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum* „ *& perfectum.* Si ergo non in mole, neque in „ diſtantibus per loca ſua partibus, ſicut corpora ſive cernuntur ſive cogitantur; ſed in „ virtute intelligibili, qualis eſt juſtitia, mentem dicimus ſeu novimus ſeu volumus pulchrum, & ſecundùm hanc pulchritudinem „ reformamur ad imaginem Dei: profectò „ ipſius Dei, qui nos reformavit & reformat „ ad imaginem ſuam, non aliquâ mole corporeâ ſuſcipienda eſt pulchritudo; eoque juſtorum mentibus credendus eſt incomparabiliter pulchrior, quo eſt incomparabiliter juſtior". Hujus itaque incorporeæ pulchritudinis, quâ divinæ & archetypæ pulchritudinis participatione ſplendeſcimus, *ſtudium habuiſſe* priſci Patriarchæ ab Eccleſiaſtico memorantur, & ob id ipſum laudantur: ad quorum imita-

Digitized by Google

imitationem idem Auguſtinus hortatur & incitat viduas Chriſtianas, quibus ait: [L. Aug. l. de Bono Viduitatis c. 19.] [L.] Placete totâ intentione *Speciosſo formâ præ filiis hominum*: ejus enim gratiâ placetis ei, [Pſalm. 44. 3.] *quæ diffuſa eſt in labiis eius.* Placete ei illâ quoque parte cogitationis quæ occuparetur Mundo, ut placeretur viro. Placete illi, qui diſplicuit Mundo, ut placentes ei liberarentur ex Mundo. Hunc enim *ſpecioſum formâ præ filiis hominum* viderunt homines in cruce paſſionis, [Iſa. 53. 2.] & *Non habuit ſpeciem neque decorem, ſed facies eius abiecta, & deformis poſitio eius.* Ex hac tamen deformitate Redemptoris noſtri manavit pretium decoris veſtri, ſed decoris interioris: [Pſalm. 44. 14.] *Omnis enim pulchritudo filiæ Regis intrinſecùs.* Hac pulchritudine illi placete, hanc pulchritudinem ſtudiosâ curâ & ſollicitâ cogitatione componite. Non amat ille fallaciarum fucos, veris veritas delectatur; & ille [Ioan. 14. 6.] *Veritas* vocatur". Meritò igitur laudantur ab Eccleſiaſtico [Eccli. 44. 6.] priſci illi heroes, hujus *Pulchritudinis ſtudium habentes*: meritò ſimiliter ab Auguſtino laudantur heroinæ Chriſtianæ, eoſdem imitantes: "Vigorem quippe hujus pulchritudinis, prout ipſe mox ſubdit, dum extendit in anteriora charitas, rugam in eâ non facit annoſitas". At contrà de corporeâ pulchritudine veriſſimum eſt iſtud Poëtæ, [M. Nemeſianus Ecloga 4.] [M.] *Donum forma breve eſt, nec ſe tibi commodat annis*: & illud item alterius Poëtæ, [N. Ovid. l. 2. Artis Amator.] [N] *Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo*: & illud item alterius Poëtæ, ſed tragici: [O. Seneca in Hippolyto.] [O.] *Vt gratæ capiti deficiunt roſæ, Sic fulgor teneris qui radiat genis Momento rapitur, nullaq; non dies Formoſi ſpolium corporis abſtulit.* Quemadmodùm igitur corporea pulchritudo propter inſtabilitatem congruenter dicta eſt *Vana*, [Prov. 31. 30. Vide ſuprà § 134.] prout §. 134 viſum eſt: ita ſpiritalis pulchritudo, quæ nunquam marceſcit vel annoſitate rugam contrahit, non minùs congruenter dicitur *vera*: & idcircò eâ magnopere delectatur, qui *Veritas* vocatur: [P. Clem. Alex lib. 2. Pædag. c. 12. Vide Baſil in caput 5. Iſaiæ v. 20.] [P.] In ſolâ animâ, ait Clemens Alexandrinus, pulchritudo apparet, & turpitudo: & ideò is ſolus qui virtute eſt præditus, verè eſt pulcher, & bonus, & honeſtus; & viciſſim id ſolùm eſt bonum, quod pulchrum eſt ac honeſtum. Sola autem virtus vel per corpus pulchrum apparet, & in carne effloreſcit, moderationis ſpeciem amabilem oſtendens, quando mores tanquam lux quædam in formâ reſplenduerint. Etenim uniuſcunque vel plantæ vel animalis pulchritudo in uniuſcujuſque virtute ſtatuitur: hominis autem virtus eſt juſtitia, temperantia, animi magnitudo, & pietas: pulcher ergo & honeſtus homo eſt, qui bonus eſt, non qui dives". Et rursùs lib. 3. cap. 1. comparans huic *veræ* pulchritudini hominis interioris *vanam* illam pulchritudinem hominis exterioris: "Pulchritudo flacceſcit, inquit, & citiùs quàm folia humi decidit quando amatoriæ ejus libidinis procellæ expiraverint; & priuſquam venerit autumnus, marceſcit & interit: omnia autem fit cupiditas, & omnia effingit, fucumque facere vult, ut occultet hominem. At verò homo ille quem Ratio & Verbum inhabitat, non variatur, non fingitur, formam habet Rationis, Deo aſſimilatur, pulcher eſt, non ut pulcher appareat ſeſe exornat; vera eſt ejus pulchritudo". Et inferiùs ibidem cap. 11. "Optima pulchritudo, inquit, eſt pulchritudo animæ, quando fuerit Sancto Spiritu, & iis quæ ab eo oriuntur laetitiis ornata, juſtitiâ ſcilicet, prudentiâ, fortitudine, temperantiâ, bonorum amore, & pudore, quo nullus unquam color viſus eſt nitidior". Hujus itaque *veræ* atque *optimæ* pulchritudinis curâ ac ſtudium ab Eccleſiaſtico extollitur in priſcis illis heroibus, quos vocat *Homines divites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes.* [Eccli 44. 6.]

CXLV. Pro ſecundæ objectionis expeditione proderit audire integrum Apoſtoli textum, [AD SECVNDAM.] quem vulgatus Interpres hoc nobis tenore exhibet: *Volo ergo viros orare in omni loco,* [1 Tim. 2. 8. & 9.] *levantes puras manus, ſine ira, & diſceptatione: Similiter & mulieres in* HABITV ORNATO, *cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretiosâ: ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* Ubi clauſula illa, *in habitu ornato*, anſam præbuit præſenti objectioni; vel potiùs ex eâ anſam arripuerunt, qui muliebri luxui patrocinari voluerunt: revera enim non tam eſt anſa data, quàm accepta, ſive arrepta. Cùm enim Apoſtolus diſertè illic vetet tortionem crinium, geſtationem auri ac gemmarum, necnon in ſpecie *veſtem pretioſam*: facilè perſpicitur quantoperè alienus fuerit ab indulgendo mulieribus *habitum* eo modo *ornatum*, quo objectio prætendit, & mulieres ambiunt. Ne igitur Apoſtolus in eodem contextu ſibi ipſi adverſari putetur, & quod unâ manu aſtruit alterâ deſtruere redarguatur, operæ pretium fuerit diſquirere quid per *habitum ornatum* eo loco intellexerit: hoc namque comperto veritas patebit, & objectio ceſſabit. Porrò cùm Apoſtolus Græcè primitùs ſcripſerit, non uno modo ejus textum Interpretes & Commentatores tranſtulerunt & explicuerunt. Notarunt verò jampridem Oecumenius & Theophylactus [Oecumenius. Theophylactus.] Græcam dictionem quam noſter Interpres vertit *Habitu*, non ſignificare quemcunque indifferenter amictum, ſed determinatè *longiorem, circumquaque tegentem*: ut vel hinc planum ſit quàm longè ab Apoſtoli præſcripto abſcedant mulieres, quæ partes corporis, ſcandalo ſignanter obnoxias, oſtentant nudas. Rurſùs quia eadem dictio

Græca non omninò ſynonima eſt voci *Habitus*, quippe ſignificanti etiam conſtitutionem ſeu habitudinem corporis, atque inſuper quaſdam immanentes animo qualitates ad agendum facilitantes: idcircò pro eo nonnulli vertêre *Amictum*, prout cernere eſt apud Oecumenium,

Eraſmus. Faber.

& noviſſimè apud Eraſmum, & Fabrum Stapulenſem. Prætereà vox Græca quam vulgatus Interpres vertit *ornato*, anceps eſt, ut monet Heſſelius, & *ornatum* & *modeſtum* ſignificans.

Heſſelius.

Si igitur Apoſtolus dictione ſuâ Græcâ uſus eſt in eâ ſignificatione quâ denotat *modeſtum* ſive *moderatum*, aut *modicum*, ceſſat penitùs objectio facta: neque enim veſtium pompoſus ſplendor indulgetur, ubi modeſtia præſcribitur: Q Nec jubet Apoſtolus, inquit „ Heſſelius, ut mulieres ſe comant, cùm ſatis „ ſuperque id agant: ſed ut habitu modeſto „ undique tectæ ſint in quotidianâ converſatione". Cæterùm quia vulgata editio huic interpretationi nequaquam obſtat, ſed ritè intellecta favet & conſonat; idcircò nec juxta eam objectio robur ullum habet.

Q Heſſel. in caput 2. prioris ad Tim.

Quærit Baſilius, R *Quis eſt ille ab Apoſtolo traditus* HABITVS ORNATVS? Et continuò reſpondet: " Nempe uſus ad propoſitum cujuſque finem „ accommodatus cum decore & dignitate, „ habitâ ratione temporis, loci, perſonæ, „ utilitatiſque. Neque enim ratio admittit „ eadem veſtimenta tempore hiemis, & æſta„ tis: nec putandum eſt eundem congruere „ habitum ei qui laboret, & ei qui vacet; aut „ ei qui miniſtret, & ei cui miniſtretur; mi„ liti, & privato; viro, & feminæ". Baſilio itaque *habitus ornatus* nihil aliud eſt quàm habitus geſtanti congruus.

R. Baſilius Regul. 20 inter Breviores. Vide eundem in Moralibus Regulâ 73 c. 5. & Auguſt. l. 3 de Doct. Chriſt. c 12. 13. & 14.

Unde Haymo in Commentario: S *In habitu ornato*, inquit, „ non ornato vel auro, vel gemmis, aut mar„ garitis; ſed *ornato* dicit, id eſt, congruo ſibi".

S. Haymo in caput 2. prioris ad Timoth

Nec minùs appoſitè Eſtius: T *Habitum*, in„ quit, intellige qualem vox Græca ſignificat: „ *ornatum* verò, id eſt, *modeſtum*, ac *moderatum*, „ & qui *deceat* mulieres: nam quod *decet*, id demum *ornat*".

T Eſtius in cap 2. prioris ad Tim.

Similiter & Tirinus: V In „ Eccleſiis, inquit, debent *mulieres* comparere „ *in habitu ornato*, id eſt, honeſto & decenti: neque enim *ornat*, niſi quod *decet*".

V. Tirin. in cap 2 prioris ad Tim.

Cùm igitur Eccleſiæ adeantur non ad oſtentationem divitiarum, ſed ad impetrandum ſublevamen miſeriarum; non congruit adeuntibus ſplendidus corporis habitus, ſed humilis ac modeſtus amictus. Unde Ambroſiaſter hunc ipſum Apoſtoli locum ediſſerens: W Humili habi„ tu, inquit, mulieres orare debere monet „ Apoſtolus, non in jactantiâ. Qui enim vult „ audiri, inclinare ſe debet, amotâ à ſe pom„ pâ: ut miſericordiam Dei provocet. Ha„ bitus enim ſuperbus nec impetrat, nec recta „ de ſe facit credi. Quis enim prudentium „ jactanter orantem mulierem non horreat? „ Quanto magis Deus, qui corpus à ſe libe„ rum factum videt metallis obligatum? Nam „ humilis habitus bonæ profeſſioni congruit, „ ut poſſit non aliud æſtimari, quàm cerni„ tur: quæ autem in domo Dei cum pompâ „ ſe mavult videri, non utique propter Deum, „ ſed propter homines, conſequitur quod vult, „ ut glorioſa videatur; nihil conſecutura à „ Deo, niſi maculam: quantò enim homini„ bus ſplendidior videtur, tantò magis à Deo deſpicitur".

W. Amb. in cap 2 prioris ad Tim.

Idem porrò hic author ibidem in textu pro *habitu ornato* legit *habitu ordinato*: quæ lectio placuit etiam vero Ambroſio lib. 1. de Officiis cap. 45. Eraſmus autem vertit *Amictu modeſto*, Faber *Amictu mundo*, Syrus Interpres *Habitu caſto veſtimenti*, Oecumenii interpres *Habitu decenti*. Chryſoſtomi Commentarius ſic habet, X *Habitum* profectò, tunicam „ undique honeſtè compoſitam ſignificare vo„ luit: *ornatum* non exquiſitum intelligas, ſed „ *moderatum*. Hic enim ornatus habitus eſt, „ ille autem etiam fœdus. Quid dicis? Deum „ precatura pergis, & ornamenta aurea cir„ cumfers, flavoſque crines, & ipſos quoque „ auro compoſitos? An verò ſaltatura ad Ec„ cleſiam pergis? Nunquid hìc nuptias & laſ„ civiæ oblectamenta conquiris? Num ut tui „ ſpectaculum præbeas adveniſti? Num tibi nunc inſtruendus eſt thalamus"? Qui rurſùs ibidem poſt pauca ſubjungit: " Paulo ingens „ cura eſt ſuperfluum ornatum ad honeſtiorem „ modum componendi, plurimùmque ſtudii „ tuendo pudori impendit. Quòd ſi ea, quæ „ opum tantummodò indicia ſunt, tanto ſtu„ dio circumcidit, aurum ſcilicet, margaritas, „ & veſtimenta pretioſa: quantò magis ea „ quæ immodico ſtudio & arte quæruntur, „ cujuſmodi ſunt, purpuriſſo vultum inficere, „ ſtibio oculos pingere, fracto greſſu incede„ re, molliorem vocem formare, aut laſcivum „ intuitum, qui libidinis jaculetur incendia; „ ſuperfluam pallii aut tunicæ jactationem, „ cingulum exquiſitâ arte ac ſtudio confectum, „ ſtridentes ſoccos, & cætera laſciviæ irrita„ menta? Hæc enim omnia uno verbo nota„ vit dicendo, *in habitu ornato, & cum vere„ cundiâ ornantes ſe*. Iſta quippe à verecundiâ „ remotiſſima ſunt, & plena dedecoris ac turpitudinis cenſentur".

X Chryſoſt. Homil. 1. in priorem ad Tim.

CXLVI. Porrò quemadmodùm ſuperiùs cap. 40. §. 138. & 139. oſtendimus formæ dignitatem etiam nativam compluribus ex capitibus eſſe timendam; quæ capita ibidem ſingulatim percenſuimus, & exemplis illuſtravimus: ita nunc lubet ex Chryſoſtomo commemorare quædam alia mala, quæ affectatam hanc pulchritudinem non modò timendam, ſed & omninò vitandam eſſe perſuadent: Y Dic „ quæſo, ait ille, ſi quis regiam tibi veſtem „ dediſſet, tu autem vilem mercenarii habitum ſuper-

Vide ſupra §. 138. & 139.

Y Chryſoſt. Homil. 10. in Epiſt. ad Coloſſenſ.

Digitized by Google

,, ſuperinduceres; nonne, præterquam quòd
,, turpiter & indecorè te gereres, etiam puni-
,, reris? Cæli & Angelorum Dominum in-
,, duiſti, & circa terrena occuparis? Quæ à
,, me dicta ſunt, ut oſtendam quàm magnum
,, per ſe malum ſit nimius ornamentorum ap-
,, petitus ac deſiderium, etiamſi nullum aliud
,, inde malum naſceretur, ſed citra ulterius
,, ullum periculum haberi quiret: nam ad ina-
,, nem gloriam & faſtum parat atque in-
,, ſtruit. Nunc autem multa etiam alia mala
,, ex nimiâ ſui ornandi curâ naſcuntur: ut ma-
,, nifeſtæ ſuſpiciones, ſumptus intempeſtivi;
,, blaſphemiæ, avaritiæ, ac plura habendi cu-
piditatis occaſiones". Ubi inprimis aſſerit
ipſum appetitum non per accidens duntaxàt,
ſed *per ſe eſſe magnum malum*, quia nimirum ina-
nem gloriam faſtumque redolet. Et ſanè ſiquis
benè conſideret, facilè deprehendet, omnia
mala, ob quæ Tertullianus dixerat timen-
dam nativam pulchritudinem, comitari hanc
aſcititiam pulchritudinem, perinde ac illam:
ut proinde poſſimus ad Tertulliani imitatio-
nem dicere eam eſſe *poſſidentibus gravem, appe-
tentibus exitioſam, conjunctis periculoſam, tentatio-
nibus expoſitam, & ſcandalis circundatam.* Sed
aſcititia iſta pulchritudo proprios inſuper ha-
bet fœtus, à Chryſoſtomo mox relato per-
ſtrictos, ut inprimis *manifeſtas ſuſpiciones*: [Z] Le-
,, nocinia formæ, inquit Tertullianus, nun-
,, quam non proſtituto corpori conjuncta &
,, debita, etiam Scripturæ ſuggerunt. Illa ci-
,, vitas valida, quæ ſuper ſeptem montes &
,, plurimas aquas præſidet, cùm proſtitutæ
,, appellationem à Domino meruiſſet, quali
,, habitu appellationi ſuæ comparata eſt?
,, *Sedentis* certè *in purpurâ, cum coccino, & auro,*
,, *& lapide pretioſo.* Quæ maledicta ſunt, ſine
,, quibus non potuit maledicta & proſtituta
,, deſcribi! *Thamar* illa, quia ſe expinxerat &
,, ornaverat, idcirco Judæ ſuſpicioni viſa eſt
,, quæſtui ſedere, adeò, quia ſub velamento
,, latebat, habitûs qualitate quæſtuariam
,, mentiente, fecit ut quæſtuariam & volue-
,, rit, & compellarit, & pactus ſit. Unde
,, addiſcimus, adversùs congreſſus etiam &
,, ſuſpiciones impudicas providendum omni
,, modo eſſe. Quid enim caſtæ mentis integri-
,, tas in alterius ſuſpicione maculatur? Quid
,, ſperatur in me, quod averſor? Cur non
,, mores meos habitus pronunciat, ne ſpiritus
,, per aures ab impudentiâ vulneretur? Li-
,, ceat videri pudicam, certè impudicam non
licet". Plura hùc ſpectantia repeti poſſunt ex
§. 136. & 142. quibus addi poteſt illud Hie-
ronymi: [A] Aut loquendum nobis eſt ut veſti-
,, ti ſumus, aut veſtiendum ut loquimur. Quid
,, pollicemur aliud, & aliud oſtendimus? Lin-
,, gua perſonat caſtitatem, & totum corpus
præfert impudicitiam". Et illud item Mar-
tyris Cypriani: [B] Si tu te ſumptuoſiùs comas,
,, & per publicum notabiliter incedas, ocu-
,, los in te juventutis illicias, ſuſpiria adoleſ-
,, centium poſt te trahas, concupiſcentiæ li-
,, bidinem nutrias, ſuſpicandi fomenta ſuc-
,, cendas; ut etſi ipſa non pereas, alios tamen
,, perdas, & velut gladium te & venenum vi-
,, dentibus præbeas: excuſari non potes quaſi
,, mente caſta ſis & pudica. Redarguit te cul-
tus improbus, & impudicus ornatus". Sequi-
tur apud Chryſoſtomum ſecundus aſcititiæ
pulchritudinis fœtus, nimirùm *Sumptus intem-
peſtivi*: [C] Muliebri concupiſcentiæ, inquit
,, Baſilius, nullus ſufficit theſaurus, ne qui-
,, dem ſi è fluminibus fluxerit: quandoqui-
,, dem unguenta exotica ita quærunt ex Bar-
,, baris, ut oleum ex foro; & ex mari con-
,, chylia. purpuram, varioſque colorum flo-
,, res, pluſquam ex ove lanam habere conten-
,, dunt. Prætereà pretioſi lapides undique
,, conquiſiti innectuntur auro: alii ad ornan-
,, dam cervicem, alii collo adaptantur, aliis
,, zonæ locupletantur, aliis manus pedeſque
,, ornantur. Gaudent auri cupidæ feminæ
,, manicis ligari, dummodò ex auro ſit vin-
culum". Radicem hujus inſatiabilis cupidi-
tatis duplicem aſſignat Valerius Maximus,
imbecillitatem ſcilicet mentis, & vacationem
ab occupationibus externis: [D] Feminas, ait
,, ipſe, & imbecillitas mentis, & graviorum
,, operum negata affectio, omne ſtudium ad
,, curioſiorem ſui cultum hortatur conferre".
Sed vide quouſque ſe curioſitas iſta porrexe-
rit: [E] Lolliam Paulinam, inquit Plinius ocu-
,, latus teſtis, quæ fuit Caii Principis matro-
,, na, nec ſerio quidem ac ſolemni ceremonia-
,, rum aliquo apparatu, ſed mediocrium etiam
,, ſponſalium cœnâ, vidi ſmaragdis margari-
,, tiſque opertam, alterno textu fulgentibus,
,, toto capite, crinibus, ſpiris, auribus, collo,
,, manibus, digitiſque: quæ ſumma quadrin-
genties ſeſtertium colligebat". Ecce quàm
intempeſtivus ſumptus! Facit quippe illa ſumma,
juxta uſitatum nunc computandi ſtylum, de-
cies centena millia ſcutorum, hoc eſt, inte-
grùm aureorum millionem. Certant nimi-
rùm hujuſmodi matronæ falſificare illud Ve-
ritatis oraculum, *Corpus plus eſt quàm veſtimen-
tum*: [F] Inſano quodam amore, inquit Cle-
,, mens Alexandrinus, feruntur in immode-
,, rationem: non ampliùs lintea ex Ægypto,
,, ſed quædam alia ex terrâ Hebræorum & Ci-
,, licum comparantes. Amorgina autem ta-
,, ceo, & byſſina; delitiæ jam eorum immo-
,, dicè ludificando tranſmiſerunt appellatio-
,, nem. Porrò autem, ut mihi videtur, opor-
,, teret ut id quod tegitur, præſtantius oſtende-
,, retur eſſe ſuo tegumento, ut ſimulachrum
,, templo, animam corpore, & corpus amictu.
,, Nunc autem contrà prorsùs accidit: nam ſi

Z. Tertull. l. de Cultu femin. c. 12. Vide Cypr. l. de Habitu virg. & l. 3. ad Quirinum c. 36
Apoc. 17. 4.
Gen. 38. 15.
Vide ſuprà §. 136. & 142.
A Hieron. Epiſt. 10.
B Cyp. l. de Habitu Virginum.
C. Baſilius Homil. 7 in divicentes. Vide in c. 3. Iſaiæ.
D. Valerius Max. l. 9. Memorab. cap. 1.
E. Plin. l. 9. cap. 35.
Luc. 12. 23.
F Clemens Alex. lib. 2. Pædag. c. 10

„ corpus quarundam venundaretur, ne mille „ quidem drachmis Atticis conſtiterit; cùm „ tamen in unam ſubinde veſtem mille talen„ ta expendant: hoc ipſo arguentes eſſe ſe ſuâ veſte viliores ac deſpectiores". Certant ſimiliter aliud ejuſdem Veritatis oraculum falſificare, quo negatur poſſe per nos mutari capillorum colorem. Unde Cyprianus uni earum reliquas repræſentanti ait: G· Dominus „ tuus dicit, *Non potes facere capillum unum al„ bum, aut nigrum*: & tu ad vincendam Domi„ ni tui vocem vis te eſſe potiorem? Audaci „ conatu & ſacrilego contemptu crines tuos „ inficis: malo præſagio futurorum, capillos jam tibi flammeos auſpicaris".

G. Cyp. l. de Habitu virg. Vide Tertul. lib. de Cultu femin. c. 6. *Mat.* 5. 36.

CXLVII. Tertio loco in aſcititiæ pulchritudinis fœtibus recenſet Chryſoſtomus *blaſphemias*, id eſt, effutita in ſummam Dei bonitatem ac majeſtatem convitia. Effutiunt profectò iſtæ metamorphæ, quæ dum plaſticam Dei quaſi emendando transformant, ipſum primum ac ſummum plaſmatorem reprehendunt, culpant, accuſant; dicentes quodammodò ei, *cur nos feciſti ſic?* Quâ de re videri poſſunt quæ §. 141. ex Patribus adducta ſunt teſtimonia. Effutiunt prætereà, quatenùs ſpectatoribus ſuis effutiendi anſam temerè exhibent. Qui enim eas cernunt tantopere intentas ornatui corporis exteriori, vehementer ſuſpicantur eas parùm curare ornatum animæ interiorem: prout jam proximo §. ad illa Chryſoſtomi verba, *manifeſtas ſuſpiciones*, oſtendimus. Ex quo ulteriùs provenit, ut nonnulli imbecilliores prorumpant in verba vel ſaltem cogitata blaſphemiæ, murmurantes adversùs divinam providentiam, tanquam ea vel nulla ſit, vel certè non æqua; quæ tantâ proſperitate bearit aut beari ſiverit pravas animas, derelictis in ſummâ egeſtate aliis multò melioribus, ac Devotioribus: H· Revera, inquit Au„ guſtinus, hoc te perturbat hominem Chri„ ſtianum, quia vides malè viventes felices, „ rerum iſtarum copiâ circumfluere, ſanos eſſe, „ ſuperbis dignitatibus eminere, incolumem „ habere domum, gaudia ſuorum, obſequia „ clientium, excellentiſſimas potentias, nihil „ triſte interpellare vitam ipſorum. Mores ne„ quiſſimos vides, facultates copioſiſſimas reſ„ picis: & dicit cor tuum, nullum eſſe divinum „ judicium, omnia caſibus fieri, & fortuitis mo„ tibus ventilari. Nam ſi Deus, inquis, res hu„ manas reſpiceret, non floreret illius iniquitas, & mea innocentia laboraret". Perturbavit planè diſcurſus iſte non paucos, qui apud Pſalmographum dicebant: *Quomodò ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in Excelſo? Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo, obtinuerunt divitias.* Quinimò ipſe Pſalmographus, quanquam alioqui Deo admodùm devotus, ingenuè fatetur ibidem ſe ejuſdem argumenti objectu violenter aliquando fuiſſe pulſatum: *Mei*, inquiens, *penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei: quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Quoniam igitur ſuperflui cultûs & ornatûs affectatrices & oſtentatrices Deo ſummo Artifici contumeliam inferunt emendando quod ipſe præpinxerat, & opum prætereà ſuarum monſtratu ſpectatores ſuſpicaces ad derogandum Dei providentiæ impellunt: idcircò non ſolùm ipſæ blaſphemant, ſed & aliis blaſphemandi anſam ſuppeditant. Rectè proindè inter mala aſcititiam pulchritudinem comitantia Chryſoſtomus recenſuit *blaſphemias*. Sed non minùs rectè eiſdem accenſuit *avaritiam* ſive *plura habendi cupiditatem*. Huc enim faciunt ea quæ proximo §. adducta ſunt circa illa ejuſdem Chryſoſtomi verba, *ſumptus intempeſtivi*: ſignanter illud Baſilii, *Muliebri concupiſcentiæ nullus ſufficit theſaurus, nequidem ſi è fluminibus fluxerit.* Cui conſonum eſt iſtud Clementis Alexandrini: I· Ebrioſam quidem eſſe & vi„ noſam, etſi magna ſint vitia, non tamen tan„ ta quantum eſt nimium ſeſe ornandi ſtu„ dium. Menſa plena, & frequentes calices, „ ſatis ſunt ad implendam ingluviem: at con„ trà nimio ornatûs ſtudio prurientibus nec „ quod ſuper terram, nec quod ſubtus terram „ eſt, aurum ſuffecerit: neque mare Tyrium, „ aut quæ ab Indis & Æthiopibus deportan„ tur onera; ſed nec Pactolus, cujus aurea ſunt „ fluenta, nec Midæ contactus omnia in au„ rum convertens, ſatiare quiverit. —— Dum „ ergo nullos cupiditati ſuæ limites con„ ſtituunt, in impudentiam impingunt; dele„ ctatæ theatris, & pompis, & ſpectatorum „ multitudine, & errore in ſacris, & diuturnâ „ morâ in triviis, ut omnibus innoteſcant: „ ornantur enim ut aliis placeant, nequaquam „ in corde ſed in facie gloriantes. Sicut autem „ notæ inuſtæ fugitivum, ita floridi hujuſmo„ di colores adulteram indicant. Sed benè per „ Hieremiam dicit Pædagogus, *Etſi coccino „ induaris, & auro ornamento ſplendeſcas, & ocu„ los tuos ſtibio ungas, fruſtrà eſt pulchritudo tua.* „ An verò non abſurdum eſt, equos quidem, „ & aves, & alia animantia, ex herbâ & pra„ tis ſurgere & evolare proprio contenta or„ namento, jubis, colore naturali, & plumis „ variis: mulierem verò, quaſi beſtiis foret „ inferior, adeò ſe deformem exiſtimare, ut „ externâ, emptitiâ, & adumbratâ pulchritu„ dine egeat? Vittæ certè, & earum permul„ tæ differentiæ, curioſæ item & ſupervacaneæ „ capillorum plicaturæ, criniumque innume„ rabiles figuræ, necnon pretioſæ ſpeculorum „ ſtructuræ, quibus ſe componunt dum eos „ venantur qui inſipientium puerorum more „ formas mirantur, feminarum ſunt quæ om„ nem exuerunt pudorem: quas qui meretri„ ces vocaverit, non utique aberrabit". Ex

quibus

Vide ſuprà §. 141.

H. Aug. in Pſalm. 36. Concione 1.

Pſal. 72. 11. & 12.

Ibid v. 2 & 3.

Vide § 146. Baſilius.

I. Clemens Alex. lib. 3. Pædag. cap. 2.

Hier. 4. 30.

Digitized by Google

quibus apparet, nimium iſtum ornatûs ac decoris appetitum congruenter intelligi nomine hirudinis ſive ſanguiſugæ, de quâ in Proverbiis ait Salomon: *Sanguiſuga duæ ſunt filiæ, dicentes: Affer, affer.* Duas item ejuſdem beſtiolæ filias plerique Interpretes ſtatuunt *avaritiam & luxuriam*: K. Hanc beſtiolam, inquit Arboreus, mirum in modum ſitientem ſanguinem, imitantur duo vitia, quæ *duabus filiabus* hoc loco exprimuntur, videlicet *avaritia* & *luxuria*. Nam ſicut ſanguiſuga epoto ſanguine non ſatiatur, ſed ſemper etiam avidiùs ſitit: ita iſtis vitiis dediti ſatiari non poſſunt, ſed continuò dicunt, *Affer, affer*: ſiquidem extincta *libido* reaccenditur, nec ſatiari poteſt; & licet in Veneris laſciviam prurientes, ad momentum horæ ab obſcœno opere conquieſcant, & poſt congreſſum ſentiant ſtimulum ſive aculeum carnis tantiſper deferbuiſſe: tamen paulò poſt, priſtinam voluptatem in memoriam revocantes, ad concupiſcendum ardentiùs inflammantur. Nec item *avaritia*, ſive inexplebilis habendi ſitis, penitùs extingui poteſt: ſed quemadmodùm Infernus cùm multos deglutierit, nunquam dicit, *Satis eſt*; ita & avarorum cupiditas".

Prov. 30. 15.

K. Arbor. in cap. 30. Proverbior. v. 15. Vide Delrium Adagio 267.

CAPUT XLIII.

Nova adversùs mox traditam doctrinam inſtantia, ex trimembri reſponſo Auguſtini ad conſulta Poſſidii. Verus Chriſtianorum in utroque ſexu ornatus non modò nullus fucus mendax, verùm nec auri quidem aut veſtis pompa, ſed mores boni ſunt. Fucorum præſtigiæ feminis cujuſvis ſtatus, ſimiliter & inaurium ſuperſtitiones viris, indiſſimulanter ab hierarchis interdicendæ ſunt. Familiare eſt nuptis ſuperfluitatem cultûs & ornatûs ſui excùſare prætextu maritis placendi, cùm tamen crebrò immiſceatur libido ſe etiam extraneis oſtentandi. Scripturarum utriuſque Teſtamenti cum priſcis Patribus in pomposi ornatus exterminium conſpiratio. Eidem ornatui nequaquam Auguſtinus patrocinatur, licèt nolit ut ab Antiſtite nuptis aut nupturientibus præproperè *inhibeatur. Auguſtini locus Chryſoſtomiani loci juxtapoſitione elucidatur, atque ex utriuſque conſonantiâ ſuperfluitas Mundi muliebris perſtringitur. Quod* ſecundùm veniam *indulgetur, culpabile ſubindicatur. Alia objectio, ex Hieronymi in Pelagianos improperio ſumpta, diluitur; & Pelagianorum aliquot dogmatum catenatio oſtenditur. Dum ſtulti vitant vitia, in contraria currunt. Extremitates cavendæ, mediocritas amplectenda: & hujus amuſſis unde ſumenda? Ritus hominum pro temporum ac locorum diverſitate variatur, juſtitiæ œcumenica uniformitas quoquoversùm dilatatur.*

CXLVIII. SUperſunt adhuc nonnullæ difficultates, quæ Lectorem improviſum turbare poſſint, niſi præviè objiciantur, & objectæ expediantur: quarum prima ſumitur ex reſcripto Auguſtini ad Poſſidium Calamenſem Antiſtitem, à quo conſultus fuerat ſuper luxu veſtium, & fuco vultuum, in ſuâ tunc diœceſi nimis invaleſcente. Reſcriptum iſtud extat inter Auguſtini Epiſtolas, & ſub ejuſdem Auguſtini nomine profertur à Bedâ in caput XI. prioris ad Corinthios, necnon pro parte à Gratiano de Conſecrat. Diſt. 5. cap. *fucare*: continetque expeditionem trium dubiorum, à conſulente, ut apparet, propoſitorum; quorum primum erat de ornamentis veſtium aureis, ſecundum de fucis & pigmentis feminarum, tertium denique de ſuperſtitionibus ligaturarum ſub quibus comprehenduntur inaures virorum. Porrò duo poſtrema dubia ita decidit Auguſtinus, ut fucos & pigmenta prorſus in mulieribus etiam maritatis reprobet, uti etiam inaures in viris: L. Fucari pigmentis, ait ipſe, quo vel rubicundior vel candidior appareat, adulterina fallacia eſt; quâ non dubito etiam ipſos maritos ſe nolle decipi, quibus ſolis permittendæ ſunt feminæ ornari, *Secundùm veniam, non ſecundùm imperium.* Nam verus ornatus,

L. Auguſt. Epiſt. 73.

1. Cor. 7. 6.

„ ornatus, maximè Chriſtianorum & Chriſ„ tianarum, non tantùm nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem veſtiſque pompa; ſed mores boni ſunt. Execranda autem „ ſuperſtitio ligaturarum, in quibus etiam „ inaures virorum, in ſummis ex unâ parte „ auriculis ſuſpenſæ, deputantur, non ad placendum hominibus, ſed ad ſerviendum dæmonibus adhibetur". Quantùm igitur ad duo iſta poſtrema dubia attinet, aperta eſt Auguſtini reprobatoria deciſio: ſed non ita quantùm ad primum, ad quod ipſe his verbis ibidem præmiſſis reſpondet conſulenti: "Nolo de ornamentis auri vel veſtis præproperam habeas in prohibendo ſententiam, niſi „ in eos, qui neque conjugati, neque conjugari cupientes, *Cogitare debent quomodo placeant Deo:* illi autem *cogitant quæ ſunt Mundi*, quomodò vel viri uxoribus, vel mulieres „ maritis placeant; niſi quòd capillos nudare fœminas, quas etiam *caput velare* Apoſtolus jubet, nec maritatas decet". Ex hoc Auguſtini reſponſo ſumunt aliqui fiduciam patrocinandi conjugatis atque etiam conjugaturientibus quantùm ad uſum auri ac ſimilium metallorum in veſtimentis vel ornamentis. Sed cùm Petrus & Paulus diſertè excludant aurum à cultu corporis mulierum etiam conjugatarum, difficulter induci poſſum ut credam voluiſſe Auguſtinum ſuo ſuffragio contrarium uſum praximve approbare. Pauli locum exhibuimus ſuperiùs §. 145. ſub initium, ubi hæc inter alia occurrunt verba, *Non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſâ.* Petrus ſimiliter cùm juſſiſſet mulieres ſubdi viris ſuis, caſtèque converſari, mox ſubdidit: *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus.* Ubi de nuptis ſermonem eſſe contextus utrobique evincit: et proinde Cyprianus argumento à fortiori illinc ſubinferat debere innuptas cohibere ſe ab hujuſmodi ornamentis, quorum uſum etiam nuptis interdixerint Apoſtoli: „ M. Locupletem te dicis, inquit, & „ divitem? Sed divitiis tuis Paulus occurrit, „ & ad cultum atque ornatum tuum juſto fine „ moderandum, ſuâ voce præſcribit: *Sunt*, „ inquit, *mulieres cum verecundiâ & pudicitiâ* „ *componentes ſe, non in tortis crinibus, neque auro,* „ *neque margaritis, aut veſte pretioſâ; ſed ut decet* „ *mulieres promittentes caſtitatem per bonam con-* „ *verſationem.* Item Petrus ad hæc eadem præcepta conſentit, & dicit: *Sit in muliere non* „ *exterior ornamenti, aut auri, aut veſtis cultus;* „ *ſed cultus cordis.* Quòd ſi illi mulieres quoque „ admonent coërcendas, & ad Eccleſiaſticam „ diſciplinam religioſâ obſervatione moderandas, quæ excuſare cultus ſuos ſoleant per „ maritum: quantò id magis obſervare virginem fas eſt, cui nulla ornatûs ſui competat „ venia, nec derivari in alterum poſſit mendacium culpæ, ſed ſola ipſa remaneat in crimine"? Cenſet ergo Cyprianus præcepta iſta Apoſtolica directè quidem obſtringere maritatas, ſed tamen à fortiori militare in cœlibibus. Notanter dixi, *præcepta*; ne quis putet Apoſtolos hortari duntaxat ac conſulere, non etiam præcipere. Neque enim Cyprianus ait, Petrus ad hæc eadem hortamenta vel conſilia conſentit: ſed, *Petrus ad hæc eadem* PRÆCEPTA *conſentit.* Similiter & Clemens Alexandrinus in iiſdem Apoſtolorum verbis præceptum agnoſcit, & quidem divinum, cujus author fuerit Chriſtus, quem vocat *Pædagogum:* „ N Abſurdum eſt, inquit ille, eos qui ad „ imaginem Dei & ſimilitudinem facti ſunt, „ tanquam archetypum exemplar contemnentes, externum ornatum inducere, „ improbum humanum artificium opificio Dei „ præferentes. JUBET autem PÆDAGOGUS *mulieres in veſtitu honeſto cum pudore* „ *& modeſtia ſeipſas exornare: ſubiectas viris pro-* „ *priis, ut ſi qui verbo non pareant, per uxorum con-* „ *verſationem abſque verbo lucrifiant: cùm viderint,* „ inquit, *caſtam veſtram, quæ eſt in Verbo, conver-* „ *ſationem: quarum ſit non qui eſt extrinſecus plicaturæ vel auri appoſitionis, vel veſtium indumenti ornatus, ſed occultus cordis homo*". In veteri quoque lege graviter vetitum fuiſſe uſum ſuperflui cultûs & ornatûs, etiam nuptis ſive maritatis, colligimus evidenter ex gravitate comminationis contravenientibus intentatæ, dicente Domino apud Iſaiam: *Pro eo quòd elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant: decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illâ auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſindones & vittas, & theriſtra. Et erit pro ſuavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine calvitium, & pro faſciâ pectorali cilicium.* Quam comminationem in uxores Procerum ſeu Magnatum Hieroſolymitanorum diſtringi, teſtatur apertè Cyrillus Alexandrinus in ejus loci Commentario: ubi cùm de ipſorum Procerum luxu quædam præmiſiſſet, adjecit: „ O. Accidit etiam eorum UXORES divitiis luxuriantes, auri & lapidum ſplendore „ inſoleſcere, ac togâ ſtolâque variegatâ, cultûſque magnificentiâ exultare: eſt enim genus muliebre rebus proſperis ac florentibus „ quodammodò glorioſum & oſtentabundum; inprimiſque ſplendidè veſtiri cupit, „ auro ornari, elatum ſupercilium tollere, corporis formoſitate gloriari". Allegat eundem Iſaiæ

Ibid. v. 32. & 33.

1. Cor. 11. 6.

OBIECTIO.

Vide ſuprà §. 145. 1. Tim. 2. 9.

1. Pet. 3. 3.

M Cyp. lib. de Habitu virginum. Vide lib. 3. ad Quirin. cap. 36.

N. Clemens Alex lib. 2. Pædag c. 10.

Iſa. 3. 16 & ſeq.

Vide Baſilium in c. 3. Iſaiæ.

O. Cyrillus Alex in caput 3. Iſaiæ.

Digitized by Google

Iſaiæ locum Martyr Cyprianus, ad deterrendum Chriſtianas feminas à ſuperfluo corporis ornatu: P. Auro, inquiens, & margaritis, & „ monilibus adornatæ, ornamenta cordis ac „ pectoris perdiderunt. Quis non id execretur & fugiat, quod aliis fuerat exitio? Quis „ id appetat & aſſumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerat & telo? Si hauſto „ poculo moreretur ille qui biberat, venenum „ ſcires eſſe quod ille potavit. Si accepto cibo „ interiret qui acceperat, ſcires eſſe lethale „ quod acceptum potuit occidere; nec ederes inde, nec biberes, unde interiiſſe alios „ antè conſpiceres. Nunc quanta ignorantia veri eſt, animi quanta dementia, id „ velle, quod & nocuerit ſemper, & noceat; „ & putare quòd inde ipſa non pereas, unde alias periiſſe cognoſcas"?

P. Cyp. l. de Habitu virginum.

CXLIX. Hæc idcircò adducenda cenſui, ut appareat, quàm parùm veriſimile ſit Auguſtinum voluiſſe ſuo illo ad Poſſidium reſcripto approbare uſum ornamentorum aureorum in feminis, etiam nuptis, vel nuptias meditantibus. Accedit prætereà quòd idem ipſe Auguſtinus in aliâ Epiſtolâ ita reprobet ornamenta aurea in habitu muliebri, ut ne matronis quidem ea indulgeri velit, multò minùs viduis: Q. Scriptum eſt quidem, inquiens, „ *Mulieres eſſe non debere in habitu ornato, auriq́ „ circumpoſitione, & intortione crinium*, & cætera „ hujuſmodi, quæ vel ad inanem pompam, „ vel ad illecebram formæ adhiberi ſolent; & „ MERITÒ REPREHENSA SUNT. „ Sed eſt quidam pro modulo perſonæ habitus *matronalis*, à viduali veſte diſtinctus, qui „ poteſt fidelibus conjugatis ſalvâ religionis obſervantiâ convenire". Quam Auguſtini Epiſtolam penè integram tranſcripſit Beda in caput 7. prioris ad Corinthios, ſed in eâ locum Apoſtoli legit abſque negatione præfixâ verbo *debere*, conformiter ad vulgatum textum, ſuperiùs § 145. exhibitum, & ita expoſitum ut quoad ſenſum æquipolleat editioni hìc ex Auguſtino relatæ: ſiquidem Auguſtino *non eſſe in habitu ornato*, idem eſt quod *eſſe in habitu moderato, modeſto modico.* Sed quid tandem ad Auguſtini locum §. 148. objectum? Utique non eo moneri Poſſidium ne ornatas auro veſtes etiam nuptis ac nupturientibus prohibeat, ſed duntaxàt *ne præproperam in prohibendo ſententiam habeat.* Non ergo diſſuadetur ornamentorum ejuſmodi ab Epiſcopo facienda prohibitio, ſed prohibitionis præproperatio, præcipitatio, præfeſtinatio. Quia enim in ornamentorum luxu varii ſunt gradus, voluit Auguſtinus ut Epiſcopus non illicò totam ſuperfluitatem uno velut ictu amputaret, ſed gradatim, & per partes procederet, incipiendo ab iis quorum amputatio ſperatur futura facilior, & obluctantiæ minùs obnoxia: R. Non debemus, inquit Chryſoſtomus, quæcunque à quibuſcunque ſtatim in principio expoſcere, ſed ea ſolùm „ quæ poſſibilia fuerint, & eorum viribus „ conſentanea extiterint: quibus impetratis, „ tum demùm ad reliqua pedetentim perveniemus; & quidem citiùs & expeditiùs „ quàm currendo ac feſtinando perventuri „ fuiſſemus. Noli igitur properare: quantò „ velociùs perficere feſtinaveris, tantò tardiùs perages. Ideò ergò feſtinare noli, quia feſtinas". Cui monito ſatis congruit vetus Adagium, *Feſtina lente:* de quo fusè Eraſmus in Adagiis Chiliade 2. Cent. 1. cap. 1. nec multùm abſimile eſt iſtud Claudiani: S. *Lene fluit Nilus, ſed cunctis amnibus extat Utilior, nullas confeſſus murmure vires: Acrior ac rapidus tacitas prætermeat ingens Danubius ripas: eadem clementia ſævi Gurgitis immenſum deducit in oſtia Gangem. Torrentes immane fremant, lapſiq́ minentur Pontibus, involvant ſpumoſo vertice ſylvas: Pax majora decet, peragit tranquilla poteſtas Quod violenta nequit; mandataq́ fortius urget Imperioſa quies.* Verùm ad rem noſtram propiùs pergit Chryſoſtomus paulò poſt verba ex ipſo mox citata: " Uxorem habes, inquiens, ornatui corporis „ nimis addictam, quæ fuco perfuſa quotidie delitiis, laſciviâ, garrulitate diffunditur. ------ Sit ergo talis mulier, qualem deſcripſimus, eamque velit vir ejus omni curâ ac „ ſtudio ad meliorem mentem reducere: quonam itaque modo id peraget? Si non univerſa ſimul adimere tentet, ſed priùs faciliora „ & quibus eam minùs delectari noverit: „ nam ſi cuncta ſimul ab initio tollere velit, „ nihil omninò efficiet. Non ergò eam aureis „ ornamentis illicò privabit, ſed ut iis interim utatur permittet; nam id videtur minùs eſſe malum, quàm depicta fucataque facies. Picturam ergo primùm auferri curet, „ idque non terrore faciat ac minis, ſed miti „ jucundâque ſuaſione, partim alias pariter „ fucatas accuſando, partim ſuo judicio atque „ authoritate improbando: ſæpiùs ipsâ audiente dicat diſplicere ſibi fucatas mulierum facies, abominationem ſibi inde ac faſtidium innaſci tantum, ut ferre nequeat: „ ſuæ prætereà ſententiæ aliorum etiam opinionem eâ de re ſubindè accommodet; atque inſuper addat, eâ venuſtate vultum nequaquam pulchriorem fieri, ſed deturpari: „ ut ita vitium hoc eximat. Intereà nihil adhuc de gehennâ, nihil de cælorum regno „ dicat; fruſtrà enim hæc commemoraverit: „ ſed perſuadeat uxori, magnâ ſe affici voluptate cùm faciem ejus cernit talem, qualis „ à Deo formata eſt; faciem verò corruptam, „ & à ſuâ naturâ alienam, rubricâ vel ceruſsâ „ tinctam, apud probos homines paſſim improbari. Primùm igitur his tritis rationibus,

Q. Auguſt. Epiſt. 199. ad Ecdiciam 1. Tim. 2. 9.

Vide ſuprà §. 145.

SOLUTIO.

R. Chryſoſt. Homil. 31. in Matth.

Eraſmus. Vide Gellium l. 10. cap. 11.

S. Claud. Panegyr. 4. in Conſulatum Mallij.

Chryſoſtomus.

„ bus, & communi hominum ſententiâ, morbum ab animo ejus exterminet; ac poſtquam hiſce eam argumentis permulſerit, tunc demùm de gehennâ & de cæleſti gloriâ differat. —— Sic igitur feramus mulierum delicta, ut interim indulgendo emendemus. An non vides infantium matres pati vehementiores eorum ploratus dum ablactantur? An non vides omnia eas æquo animo tolerare, ut parvulos à priori edulio ſenſim abſtrahant? Similiter ergo & nos in corrigendo agamus. Sufferamus interim cætera, dum unum ſolum conſequi nitimur. Quod cùm conſecuti fuerimus, ad aliud atque aliud conſimili methodo progrediemur; atque ita demùm etiam aurea ornamenta ſubtrahemus. Qui ſic paulatim uxoris ſuæ animum formaverit, pictor erit optimus, ſervus fidelis, probus agricola". Hinc videmus eundem præſcribi à Chryſoſtomo ordinem maritis in exterminando ſuperfluum cultum ornatumque uxorum ſuarum, & ab Auguſtino Epiſcopis & cæteris ſimiliter Eccleſiaſticis Rectoribus in exterminando ſuperfluum ac pompoſum habitum ſubditarum ſuarum: ut nimirum exterminatio inchoetur à reprehenſione fucorum ac pigmentorum, ac demùm conſummetur reprehenſione aureorum ornamentorum in veſtibus. Neque enim Poſſidius videtur tam petiiſſe ab Auguſtino num prohibenda eſſent aurea veſtimentorum ornamenta, quàm quo ordine eſſent prohibenda ut prohibitio haberet effectum. Unde Auguſtinus ſuum reſcriptum his verbis orditur:

T. Auguſt. Epiſt. 73. „ T. Magìs quid agas cum iis qui obtemperare nolunt cogitandum eſt, quàm quemadmodùm eis oſtendas non licere quod faciunt". Cenſuit ergo non magno labore opus eſſe ad oſtendendum illicitum eſſe uſum ſive fucorum in vultibus, ſive aureorum ornamentorum in veſtibus: ſed magnâ opus eſſe prudentiâ ac diſcretione ut ea oſtenſio ac ſubſecutura prohibitio efficacem ſortiatur executionem. Suggerit proinde ut Poſſidius non ſimul omnia illicò prohibeat, ſed à fucorum prohibitione incipiat, nec niſi gradatim ad reliqua profliganda procedat: quippe quæ etſi mala ſint, tolerabiliora tamen ſunt malo fucorum. Etenim mala ſimpliciter reputari ab Auguſtino ornamenta ſuperflua mulierum etiam maritatarum, ſatis indicant iſta ejus verba proximo §. relata, *Maritis ſolis permittendæ ſunt feminæ ornari, ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium.* Ubi dicendo, *ſecundùm veniam*, evidenter denotat culpam: idque juxta ipſius Auguſtini profeſſionem toties iteratam, & aſſeverantiſſimè expreſſam, prout vidimus lib. 1. §. 422. & alibi.

OBJECTIO. CL. Alteram difficultatem nobis faceſſit authoritas Hieronymi, qui Pelagianis improperat inter alios errores, quòd dogmatizarent, V. *Gloriam veſtium & ornamentorum Deo eſſe contrariam.* Quamvis enim hæretici plerunque admiſceant vera quædam falſis; nec proinde conſequens ſit quidpiam eſſe falſum propterea, quòd ab hæreticis fuerit defenſum aut prædicatum: tamen quicquid in eorum placitis fuerit ab orthodoxis Patribus reprehenſum, jure merito reputandum eſt de falſitate ſuſpectum. Porrò licèt apud alios Patres non reperiatur prædicta ſententia Pelagianis imputata, vel iiſdem improperata; tanta equidem eſt vel unius Hieronymi hac in re authoritas, ut ei contraire inſignis videatur temeritas. Accedit inſuper quòd aliunde conſtet Pelagianos prædicaſſe aliud dogma, cui præfata ſententia admodùm conſentanea, ſi non etiam conſectanea, ſit: nimirùm W. *Divites baptizatos niſi omnibus abrenuncient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputari illis, neque regnum Dei poſſe eos habere.* Nemo enim non obviè cernit quàm parùm congruat veſtium atque ornamentorum gloria hominibus nihil ſibi retinentibus, ſed ſummam omnium temporalium bonorum inopiam ſponte amplectentibus, & facto ipſo profitentibus. Cùm ergo habeamus prædicaſſe Pelagianos neceſſariam eſſe Chriſtianis bonorum omnium temporalium abdicationem, non videtur ambigendum quin conſequenter prædicaverint illicitum iiſdem eſſe veſtium ornamentorumque ſplendorem. Quod enim de *caſtitate* & *impudicitiâ* ſuperiùs §. 146. relatus aiebat Hieronymus, pari jure de paupertate & opulentiâ uſurpari poteſt, hoc tenore: *Aut loquendum nobis eſt ut veſtiti ſumus, aut veſtiendum ut loquimur. Quid pollicemur aliud, & aliud oſtendimus? Lingua perſonat paupertatem, & totum corpus præfert opulentiam.* Veſtium & ornamentorum ſplendor opulentiam geſtantis indicat: adeoque qui eo utuntur, opulentos ſe, non pauperes eſſe profitentur. Proinde Pelagiani reprobando opulentiam & prædicando inopiam, conſequenter detonabant in veſtium ornamentorumque gloriam: uſqueadeò quidem, ut nec ſacrarum quidem veſtium gloriam divina celebrantibus indulgerent; ſed ſacrorum miniſtros perinde ac laicos ad viles ſordidoſque habitus adigerent. Unde cùm Hieronymus ſuprà eis improperaſſet quòd aſſererent *Gloriam veſtium & ornamentorum Deo eſſe contrariam*, protinùs ſubdidit: X. Quæ ſunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, ſi tunicam habuero mundiorem: ſi Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus, & reliquus Ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione ſacrificiorum cum candidâ veſte proceſſerint? Cavete Clerici, cavete Monachi, Viduæ, & Virgines: periclitamini, niſi ſordidas vos atque pannoſas vulgus aſpexerit. Taceo de hominibus ſæculi, quibus apertè bellum indicitur, & inimicitiæ contra Deum,

V. Pelag. apud Hieron. lib. 1. adverſ. Pelagianos.

W. Pelag. apud Aug. lib. de Geſtis Palæſtinis cap. 11. & 33. item Epiſt. 89. q. 1.

Vide Hieron. Epiſt. 10. hic ſuprà §. 146.

X. Hieron. l. 1 adverſus Pelagianos.

Digitized by Google

„ Deum, ſi pretioſis atque nitentibus utantur exuviis". Ecce quemadmodùm Pelagiani adeò *gloriam veſtium & ornamentorum* reprobarunt, ut in alterum extremum excurrentes ad ſorditiem uſque pannoſitatemque devenerint. Sed quid hoc miremur, cùm videamus eoſdem in causâ liberi arbitrii volentes devitare Manichæiſmum, condidiſſe Pelagianiſmum: ſicut Eutyches ſtudio vitandi Neſtorianiſmum procudit Eutychianiſmum: & Arius odio Sabellianiſmi protulit Arianiſmum? Unde Auguſtinus: [Y] Morbis inter ſe contrariis, inquit, „ Manichæi Pelagianique confligunt, diſſimili „ voluntate, ſimili vanitate; ſeparati opinione diversâ, ſed propinqui mente perversâ". Et Anaſtaſius Sinaita: [Z] Quod execrando Ario, „ inquit, & Sabellio evênit in myſterio Tri„ nitatis, hoc accidit Neſtorio & Severo (*Eutychiano*) in divini Verbi Incarnatione. Sa„ bellius enim confuſionem in divinitate per „ ſuam phantaſiam architectatus, unam hy„ poſtaſin Patris & Filii & Spiritûs Sancti „ conſtituit: ſceleſtus autem Arius bellum „ quaſi contra Sabellium gerere volens, tres „ ſubſtantias diſſimiles in conſubſtantiali Tri„ nitate confinxit. Sancta verò Eccleſia re„ giam viam ingreſſa repudiavit tam Sabellii „ confuſionem, quàm Arii diviſionem: tres „ enim perſonas, non unam duntaxàt in Sanc„ tâ Trinitate, unamque illarum ſubſtantiam, „ non tres ſubſtantias, piè profitetur. Sic im„ pio Neſtorio duas in Chriſto perſonas con„ ſtituente, miſerrimo autem Severo unam in „ Chriſto naturam profitente, Sancta Eccle„ ſia tam Neſtorii diviſionem reprobavit, unam „ in Chriſto perſonam prædicans; quàm Se„ veri confuſionem rejecit, docens, unum & „ ſolum Chriſtum Dominum noſtrum eſſe „ duas in hypoſtali inconfusè & indivisè uni„ tas naturas: pariter deteſtans Severi confuſionem, & impii Neſtorii diviſionem". Quæ omnia breviter & appoſitè complexa eſt Facultas Theologica Duacena in Cenſura Articuli 31. eorum quos improbavit anno 1588. " Olim, inquiens, Pelagiani quàm longiſſi„ mè à Manichæis recedere voluerunt, & à „ Sabellianis Ariani, & à Neſtorianis Euty„ chiani ac Monothelitæ. Sic videlicet [A] *Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt*". Cui Horatianæ ſententiæ penè parallela eſt iſta Auguſtini: [B] Difficile eſt ut dum perversè homi„ nes vitia devitant, non in eorum contraria „ perniciter currant: etenim exhorrens ava„ ritiam fit profuſus, aut exhorrens luxuriam fit avarus". Ubi quod poſtremo loco poſuit exemplum, verificarunt Pelagiani in ſeipſis, dum exhorrentes nimium veſtium luxum, perniciter tranſilierunt in oppoſitum extremum, contendentes non licere Chriſtianis niſi *ſordidè ac pannosè* veſtiri: quaſi hùc alluſiſſet qui ait; [C] *Nil medium eſt, inquit ſententia dia Catonis*; cùm tamen ille ad ſtultos duntaxat illic reſpexiſſet, de quibus mox præmiſerat, *Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt*. Apud hos igitur *Nil medium eſt*: ſapientes autem diligunt mediocritatem, de quâ idem alibi: [D] *Auream quiſquis mediocritatem diligit, tutus caret obſoleti ſordibus tecti; caret invidenda Sobrius aulâ.* Quod enim hìc dicitur de mediocritate domicilii, aptè etiam quadrat in mediocritatem veſtimenti, ſicut etiam eſculenti, poculenti, & aliorum vitæ neceſſariorum.

Y. Aug. l. 2. ad Bonifac. cap. 2.

Z. Anaſt. Sinaita Ducis viæ cap. 8. Vide Leontium lib. de Sectis Act. 1. & l. 1. contra Neſtor. & Eutych. ſub initium.

Facultas Duacena.

A. Horat. lib. 1. Serm. Sat. 2.

B. Aug. l. 9. de Geneſi ad litt. cap. 8.

C. Horat. l. 1. Serm. Sat. 2. in fine.

D. Idem l. 2. Carm. Ode 9.

CLI. Sed difficultas non modica supereſt in aſſignandâ hujuſce *aureæ mediocritatis* amuſſi: eò vel maximè, quòd ſicut ipſe corporum decor, ita & veſtium ſplendor pro varietate nationum variam habeat æſtimationem. Etenim quemadmodùm color nativus ad pulchritudinem requiſitus, magnitudo item corporis, & proportio membrorum, nequaquam uniformiter ubique gentium placet aut diſplicet: ita & corporis ornatus qui alicubi reputatur ſplendidus & pompoſus, alibi cenſetur mediocris, aut etiam vilis. Imò non deſunt quædam gentes adeò delectatæ corporum nuditate, ut tanquam monſtrum horreant hominem veſtitum. Nimirùm ut ſuum cuique pulchrum, ita & alienum tetrum apparet: unde & Poëta Italicus colorem Belgicum Romanis turpem cenſeri memorat, tametſi Belgis appareat Romano gratioſior. Verba ejus ſunt, [E] *Turpis Romano Belgicus ore color.* Apud pleraſque quippe gentes ratio æſtimandi ſumitur ex conſuetudine cernendi. Quod ſatis innuit Satyricus ille qui ait: [F] *Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? Aut quis In Meroe craſſo maiorem infante mamillam? Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flavam Cæſariem, & madido torquentem cornua cirro? Nempe quòd hæc illis natura eſt omnibus una. Ad ſubitas Thracum volucres, nubemque ſonoram, Pygmæus parvis currit bellator in armis: Mox impar hoſti, raptuſque per aëra curvis Vnguibus à ſævâ fertur grue. Si videas hoc Gentibus in noſtris, riſu quatiêre: ſed illic, Quanquam eadem aſſiduè ſpectentur prælia, ridet Nemo, ubi tota cohors pede non eſt altior uno.* Ex quibus ſatis claret quantùm valeat in concitandis aut quietandis humanis affectibus conſuetudo vel diſſuetudo cujuſque gentis. Quapropter non minùs appoſitè quàm ſcitè Auguſtinus alicubi ait: [G] Quiſquis rebus præ„ tereuntibus reſtrictiùs utitur quàm ſeſe ha„ beant mores eorum cum quibus vivit, aut „ temperans eſt, aut ſuperſtitioſus: quiſquis „ verò ſic eis utitur, ut metas conſuetudinis „ bonorum inter quos verſatur excedat, aut „ aliquid ſignificat, aut flagitioſus eſt. In om„ nibus enim talibus non uſus rerum, ſed li„ bido utentis in culpa eſt. Neque ullo modo „ quiſquam ſobrius crediderit, Domini pedes „ ita *Vnguento pretioſo à muliere perfuſos*, ut luxu-

E. Propertius lib. 2. Elegia 13.

F. Juvenalis Satyra 13. alias lib. 5.

G. Aug. l. 3. de Doctrinâ Chriſt. c. 12. 13. & 14. Vide lib. 3. Confeſ. c. 8. & 9. item D. Thom. 2. 2. q. 169. art. 1 & 2.

Ioan. 12. 3.

„ rioſorum & nequam hominum ſolent, quo-
„ rum talia convivia deteſtamur. Odor enim
„ bonus, bona fama eſt, quam quiſquis bonæ
„ vitæ operibus abundaverit, dum veſtigia
„ Chriſti ſequitur, quaſi pedes ejus pretio-
„ ſiſſimo odore perfundit. Ita quod in aliis
„ perſonis plerunque flagitium eſt, in divinâ
„ vel propheticâ perſonâ magnæ cujuſdam rei
„ ſignum eſt. Alia quippe eſt in perditis mo-
„ ribus, alia in Oſeæ Prophetæ vaticinatione
Oſe. 1. 2. „ *conjunctio meretricis*: nec ſi flagitioſè in con-
„ viviis temulentorum & laſcivorum nudan-
„ tur corpora, propterea in balneis nudum
„ eſſe, flagitium eſt. Quid igitur locis & tem-
„ poribus perſoniſque conveniat, diligenter
„ attendendum eſt, ne temerè flagitia repre-
„ hendamus. Fieri enim poteſt, ut ſine ali-
„ quo vitio cupidinis vel voracitatis pretio-
„ ſiſſimo cibo ſapiens utatur, inſipiens autem
„ fœdiſſimâ gulæ flammâ in viliſſimum ar-
„ deſcat: & ſaniùs quiſquam maluerit more
Luc. 24. 42. „ Domini *veſci piſce*, quàm *lenticula* more Eſau
Gen. 25. 30. „ nepotis Abraham, aut hordeo more jumen-
„ torum. Non enim propterea continentiores
„ nobis ſunt pleræque beſtiæ, quia vilioribus
„ aluntur eſcis: nam in omnibus hujuſcemo-
„ di rebus non ex earum rerum naturâ quibus
„ utimur, ſed ex causâ utendi & modo ap-
„ petendi vel probandum eſt, vel improban-
„ dum quod facimus. Regno terreno vete-
„ res juſti cæleſte regnum imaginabantur, &
„ prænunciabant: ſuſcipiendæ prolis causâ
„ erat uxorum plurium ſimul uni viro ha-
„ bendarum inculpabilis conſuetudo, & ideò
„ unam feminam maritos habere plurimos
„ honeſtum non erat: non enim mulier eo eſt
„ fœcundior, ſed meretricia potiùs turpitudo
„ eſt, vel quæſtum, vel liberos vulgò quære-
„ re. In hujuſcemodi moribus quicquid il-
„ lorum temporum ſancti non libidinosè fa-
„ ciebant, quamvis ea facerent quæ hoc tem-
„ pore niſi per libidinem fieri non poſſunt, non
„ culpat Scriptura: & quicquid ibi tale nar-
„ ratur, non ſolùm hiſtoricè & propriè, ſed
„ etiam figuratè ac propheticè acceptum, in-
„ terpretandum eſt uſque in finem illum cha-
„ ritatis ſive Dei, ſive proximi, ſive utriuſque
„ Sicut enim talares & manicatas tunicas ha-
„ bere, apud Romanos veteres flagitium erat;
„ nunc autem honeſto loco natis, cùm tuni-
„ cati ſunt, non eas habere flagitium eſt: ſic
„ animadvertendum eſt in cætero quoque uſu
„ rerum abeſſe oportere libidinem; quæ non
„ ſolùm ipſa eorum inter quos vivit conſue-
„ tudine nequiter abutitur, ſed etiam ſæpè fi-
„ nes ejus egreſſa, fœditatem ſuam, quæ inter
„ clauſtra morum ſolennium latitabat, flagi-
„ tioſiſſimâ eruptione manifeſtat. Quicquid
„ autem congruit conſuetudini eorum cum
„ quibus vita iſta degenda vel neceſſitate im-
„ ponitur, vel officio ſuſcipitur, à bonis &
„ magnis hominibus ad utilitatem & benefi-
„ centiam referendum eſt, vel propriè, ſicut &
„ nos debemus, vel etiam figuratè, ſicut Pro-
„ phetis licet. In quæ facta legenda cùm in-
„ currunt indocti alterius conſuetudinis, niſi
„ authoritate reprimantur, flagitia putant; nec
„ poſſunt animadvertere, totam converſatio-
„ nem ſuam vel in conjugiis, vel in conviviis,
„ vel in VESTITU, cæteroque humano
„ victu atque cultu, aliis gentibus, & aliis
„ temporibus flagitioſam videri. Quâ varie-
„ tate innumerabilium conſuetudinum com-
„ moti quidam dormitantes, ut ita dicam, qui
„ neque alto ſomno ſtultitiæ ſopiebantur, nec
„ in ſapientiæ lucem poterant evigilare, puta-
„ verunt nullam eſſe juſtitiam per ſeipſam, ſed
„ unicuique genti conſuetudinem ſuam juſtam
„ videri: quæ cùm ſit diverſa omnibus gen-
„ tibus, debeat autem incommutabilis mane-
„ re juſtitia, fieri manifeſtum, nullam uſquam
„ eſſe juſtitiam: non intellexerunt, ne multa
„ commemorem, QUOD TIBI FIERI
„ NON VIS, ALII NE FECERIS,
„ nullo modo poſſe ullâ eorum gentili diver-
„ ſitate variari. Quæ ſententia cùm refertur ad
„ dilectionem Dei, omnia flagitia moriuntur;
„ cùm ad proximi, omnia facinora. Nemo
„ enim vult corrumpi habitaculum ſuum:
„ non ergò debet corrumpere habitaculum
„ Dei, ſcilicet ſeipſum. Nemo item vult ſibi
„ à quoquam noceri: nec ipſe igitur cuiquam
„ nocuerit". Ex hoc Auguſtini loco planè per-
ſpicimus, conſuetudinem locorum non pa-
rùm conducere ad ferendum judicium de ſu-
perfluitate vel mediocritate cultûs atque or-
natûs hominum ſive unius ſive alterius ſexûs:
ut proinde nequeat certa aliqua ſtatui amuſſis
aut regula, quæ ubique locorum uniformiter
ſervanda ſit. Cæterùm quæ de œcumenicâ
juſtitiæ amuſſi hîc ſcribit Auguſtinus, conſona
prorsùs ſunt iis quæ priori hujus operis libro
latè ex eodem Auguſtino & aliis deduximus, Vide lib. 1. cap. 100. §. 375. & ſeqq.
ſignanter cap. 100.

CAPUT

CAPUT XLIV.

Finalem ejuſdem Alphabetici Poëmatis verſiculum inchoat noviſſima Hebraici Alphabeti littera, Thau *dictà, cujus ſeptenæ interpretationes percenſentur, ut* Terminus, erravit, conſummavit, Signum, Crux, Stupor, Scriptura. *Mulieri forti univerſas haſce interpretationes congruere inductitiè monſtratur. Illuminatio ſubſequens terminat & conſummat errorem priſcum, ut locum habeat propheticum celeuſma*, Vetus error abiit. *Præteriti temporis verba excluſionem præſentis crebrò ſubimportant:* Signum *in Scripturis antonomaſticè pro cruce Chriſti ſumptum, quam & ipſe Chriſtus appellat* Signum filii hominis *Littera* Thau *juxta veterem Hebræorum characteriſmum, Samaritanis etiamnum uſitatum, exhibet figuram crucis, quam Chriſtiani ſuis appingunt frontibus. Abſque crucis ſignaculo nulla ritè perficiuntur inter Chriſtianos myſteria. Crucis præconia ex Andrea Cretenſi. Mulierem fortem* ſtupore *percellit crucis Chriſti ſplendor, & ſupereminentia. Ipſius vox eſt ore Apoſtoli expreſſa*, Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Sacra utriuſque Teſtamenti Scriptura ad Eccleſiam jure pertinet, tanquam Epiſtola à ſuo Sponſo ad ipſam de ſuperno habitaculo miſſa. Infideles omnes, ſignanterque hæretici; nihil habent juris in Chriſtianorum litteras, ut quæ ſoli Sponſæ agni ſint miſſæ, concreditæ, ac fideicommiſſæ.*

CLII. SUpereſt poſtremus duntaxàt Alphabetici noſtri Poëmatis verſiculus, quo Mulieris fortis encomium terminatur, & præmii retributio eidem præſtanda memoratur. Incipit porrò verſiculus iſte à litterâ *Thau*, quâ Hebraicum Alphabetum concluditur: ob quam concluſionem ipſa littera à nonnullis Hebraici idiomatis peritis interpretatur *Terminus*, ut nimirùm ſuo vocabulo indicet quid reipsâ præſtet. Cui interpretationi favere videtur Ambroſius poſteriore interpretatione earum duarum, quas eidem litteræ aſſignat, dicens: „ ^a Ultima littera *Thau*, latinâ interpretatio„ne ſignificat, *Erravit*: alia interpretatio habet, *Conſummavit*". Quid enim aliud eſt *conſummare*, quàm terminare, finire, complere, perficere, ſive, ut eſt in Proverbio, *Colophonem addere*? Cæterùm de priori illâ ab Ambroſio traditâ interpretatione ſatis multa diximus ſuperiùs hìc cap. 29. occaſione litteræ *Phe*, eandem inter alias habentis interpretationem, ex eodem ipſo Ambroſio: non erit tamen abs re audire denuò Ambroſium, ea quæ ibi adversùs Sectarios dicta ſunt ſuo ſuffragio confirmantem. Ait igitur ipſe paulò poſt verba proximè citata: " Ubi error eſt, culpa ſigna„tur. Hìc ergò eſt profectus, finis ut etiam cul„pæ ſit. Sed vide quid interpretetur: *Erravit*, „inquit; non, Errat, ſed *Erravit*. *Erraſſe*, „præteriti eſt temporis: *Errare*, præſentis. „Qui erravit, deſiit errare, & veterem con„demnat errorem: de eo enim dicitur *Erra„vit*, qui in eo errore jam non ſit; nam is qui „adhuc in errore permanet, non erraſſe dici„tur, ſed errare: errare enim permanentis „in vitio eſt; erraſſe, corrigentis eſt lapſum. „Denique emendator morum ait, *Eramus enim „aliquando inſipientes, increduli, errantes in deſi„derijs & voluptatibus*. Non dixiſſet utique, „*Eramus aliquando inſipientes*, niſi qui adeptus „eſſet poſteà ſapientiæ diſciplinam: neque „dixiſſet, *Eramus errantes*, niſi ſuperiorem „depoſuiſſet errorem. Denique ut abolitum „lapſum doceret, nec ullum offenſionis reſe„diſſe veſtigium, ait: *Cùm autem benignitas & „humanitas illuxit Salvatoris noſtri, non ex ope„ribus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam „miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regene„rationis & renovationis Spiritûs Sancti*. Veteri „ergò errore depoſito, & ſpiritu atque omni „morum emendatione renovatus, dicit, *Era„mus enim aliquando errantes*. Vides ergo quia „errori renunciaſſe, non vitii, ſed profectûs

a. Ambr. in Pſalm. 118. Octonar. 22.

Vide ſuprà § 99. & 100.

Ambroſius.

Tit. 3. 3.

Ibid v. 4. & 5.

„ eſt. Poſtremò ipſe te doceat Dominus Jeſus,
„ ſi humanis conſiliis vel ſententiis non putas
„ eſſe credendum: namque in Euangelio ſuo
Luc. 15. 4. „ ipſe aſſeruit, quòd *Paſtor reliquit nonaginta no-*
„ *vem oves, & unam quæſivit quæ erravit.* Cente-
„ ſima ovis eſt, quam dicit erraſſe: perfectio
„ & plenitudo numeri ipſa te inſtruat & infór-
„ met. Non immeritò cæteris antefertur, quia
„ plus eſt à vitio ſe revocaſſe, quàm propriè
„ vitia ipſa neſciſſe: imbutos enim vitiis ani-
„ mos exuere frænis cupiditatum atque emen-
„ daſſe, non ſolùm perfectæ virtutis, ſed
„ etiam cæleſtis eſt gratiæ. Emendare enim
„ futura, attentionis humanæ eſt; præterita
„ damnare, divinæ eſt poteſtatis. Denique
Ibid. v. 5. „ *Inventam Paſtor ovem humeris imponit ſuis.* Ag-
„ noſcis utique myſterium, quomodò ovis
„ laſſa reficiatur; quia non poteſt aliter huma-
„ na conditio lapſa recreari, niſi Sacramento
„ Dominicæ Paſſionis, & Sanguinis Jeſu
Iſa. 9. 6. „ Chriſti, *Cujus principatus ſuper humeros ejus.*
„ In illa enim Cruce infirmitates noſtras
„ portavit, ut ibi omnium peccata vacua
„ ret. Meritò gaudent Angeli, quia is qui
„ erravit, jam non errat, jam ſuum eſt obli-
„ tus errorem. Non error igitur, ſed *conſum-*
„ *matio* eſt, ut altera docet interpretatio.
„ Conſummatio autem, perfectio diſciplinæ
„ eſt: unde & Hieremias in ſuis Threnis ſub
Thren. 4. 22. „ hac litterâ ait, *Defecit iniquitas tua, filia Sion;*
„ *non adiiciet te expellere adhuc: viſitavit iniquitates*
„ *tuas filia Edom, revelavit ſuper peccata tua.* Ad-
„ vertis, quoniam iniquitas non potuit ſine
„ Dei viſitatione deficere, nec plena eſſe cor-
„ rectio niſi per gratiam Domini Salvatoris.
„ Quomodò autem deficiat iniquitas, audi
Cant. 5. 3. „ dicentem Eccleſiam: *Exui tunicam meam,*
„ *quomodò induam eam? Lavi pedes meos, quomodò*
„ *inquinabo eos?* Veteris igitur hominis veſti-
„ mentum vitiis erróris intextum, in lavacri
„ regeneratione depoſitum, neſcit quomodò
„ poſſit induere: ſtudio enim correctionis
„ inoleverat oblivio peccatorum. Tanta vis
„ conſummatæ emendationis eſt, ut in quan-
„ dam pueritiæ redeat ſpiritalis ætatem, quæ
„ vias erroris ignoret, crimen, etiamſi velit,
„ non poſſit admittere, quia deſueverit uſum
„ noſſe peccandi". Quemadmodum igitur cùm
volumus ſignificare quempiam vitâ exceſſiſſe,
dicere ſolemus, *vixit:* ita cùm de eo qui ab
errore reſipuit loquimur, rectè dicimus: *Er-*
ravit, hoc eſt, in errore aliquando fuit, ſed
jam ampliùs non eſt. Unde quum in excidio
Trajano Panthus nuntiare vellet Æneæ periiſ-
I. Apud Virgil. lib. 2. Æn. v. 325. ſe urbem, ait: I *Fuimus Troes, fuit Ilium, &*
ingens Gloria Teucrorum. Sic & Apoſtolus poſt-
quam priſtina aliquot vitia Corinthiorum jam
correctorum memoraſſet, adjecit: *Et hæc qui-*
1. Cor. 6. 11. *dem fuiſtis*, hoc eſt, iſtiuſmodi vitiis olim ſub-
Ibid. jacuiſtis, nunc non ſubjacetis: *ſed abluti eſtis*,
ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis. Quod au-
tem de Corinthiis ait illic Apoſtolus nequa-
quam peculiare fuit ipſis, ſed commune cum
reliquis, *Quos Deus de tenebris vocavit in admi-* 1. Pet. 2. 9. & 10.
rabile lumen ſuum: qui aliquando non populus, nunc
autem populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam,
nunc autem miſericordiam conſecuti. Horum velut
celeuſma gratulatorium apud Prophetam extat
iſtud, *Vetus error abiit:* ſive, ut Symmachus
& Aquila vertunt referente Hieronymo, *Error* Vide Hier. in cap. 26. Iſaiæ v. 3.
noſter ablutus eſt. Iſa. 26. 3.

CLIII. Præter tres interpretationes iſtius
litteræ jam tactas reſtant aliæ quatuor à diver-
ſis traditæ. Etenim Hieronymo ſuperiùs §. 48.
à nobis adducto littera *Thau* interpretatur
Signum, vel pluraliter *Signa*; Caninio *Crux*,
Zamorenſi *Stupor*, Iſaaco *Scripturâ*. Priores
duas non malè quis dixerit coincidere inter ſe,
vel ſaltem ſubalternari, velut genericum &
ſpecificum: ut nimirùm genericum *Signi* vo-
cabulum verificetur in ſpecie pro *cruce* Domi-
ni, quæ antonomaſticè nuncupatur *Signum filii* Mat. 24. 30.
hominis: K. Hoc eſt, interprete illic Chryſoſto- K. Chryſoſt. Homil. 77. in Matth.
„ mo, Crux ipſa, quæ ſole fulgentior tunc
„ apparebit: obſcurato enim ſole, crux con- Vide Homil. 1. de cruce & latrone.
„ ſpicietur; quod fieri non poſſet, niſi ſola-
„ res radios ſplendore ſuperaret. Cujus au-
„ tem rei gratiâ *ſignum* iſtud apparebit? Ni-
„ mirùm ut magno cumulo impudentia Ju-
„ dæorum opprimatur, crucem ſecum in ſuam
„ juſtificationem habens veniet in judicium
„ Dominus, non vulnera ſolùm ſed etiam acer-
„ bum atque ignominioſum mortis ſuæ genus
manifeſtaturus". Et Cyrillus Hieroſolymi-
tanus in Catecheſibus: L. Veniet Dominus, L. Cyrillus Hierol. catech. 15.
„ inquit, de cælis in nubibus, ſicut in nubi-
„ bus aſcendit: ipſe enim dixit, *Et videbunt* Vide catech. 13. in fine.
„ *filium hominis venientem in nubibus cæli, cum*
„ *poteſtate & gloriâ multâ.* Sed quod tandem ad- Ibid.
„ ventûs illius ſignum eſt, quod non audeat
„ virtus contraria imitari? *Et tunc*, inquit,
„ *apparebit ſignum filii hominis in cælo:* ſignum
„ autem verum & proprium Chriſti eſt crux".
Breviter, apertè, & appoſitè Auguſtinus:
„ M Quid eſt, inquit, quod omnes noverunt M Auguſt. Tract. 118. in Joan.
ſignum Chriſti, niſi crux Chriſti"? Et An-
dreas Cretenſis: N. Crux hæc, inquit, & ſig- N. Andreas Cret. Orat. 2. de Exaltatione S. Crucis.
„ num adſpectabile eſt, & *ſignum* crebrò in
„ Scriptura appellatur. Quid enim aliud eſt
„ quod David ait, *Fac mecum SIGNUM in*
„ *bonum?* Et *SIGNETUR ſuper nos lumen* Pſal. 85. 17.
„ *vultûs tui Domine?* Et *Dediſti metuentibus te* Pſal. 4. 7. Pſal. 59. 6.
„ *ſignificationem, ut fugiant à facie arcûs?* vel
„ quod ipſe Dominus in Euangelio clamat,
„ *Et tunc videbunt SIGNUM filii Dei?* & ante Mat. 24. 30.
„ hæc, *SIGNUM quærit generatio iſta, & ſig-* Mat. 12. 39.
„ *num non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ;*
„ quod & ipſum per crucem demonſtratur?
„ Symeon item, qui Chriſtum ulnis tulit,
„ virginem benedicens, quando Deum ſub
imagine

Digitized by Google

„ imagine infantis excepit, quid ſibi vult his „ verbis: *Hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectio-* „ *nem multorum in Iſraël, & in SIGNUM cui* „ *contradicetur*; nonne crucem nomine *ſigni* perſpicuè ſignificavit". Et Hippolytus Martyr, deſcribens Chriſti adventum ad finale Judicium: O· Orietur, inquit, ab oriente „ uſque ad occidentem ſignum Crucis, ſuperantis ſplendorem ſolis, denuncians adventum & apparitionem Judicis, ut reddat cuique ſecundùm opera ſua". Et Ephraem Syrus, loquens de cruce Domini: P· Hæc, inquit, „ boni gubernatoris inſtar præſentem noſtram „ vitam gubernat, & in pace cuſtodit: hæc „ rursùs in ſecundo Domini adventu prima „ apparitura eſt in cælo, tanquam pretioſum „ ac venerabile ſceptrum magni Regis Chriſti, „ juxta verbum ipſius Domini, dicentis: *Et* „ *apparebit ſignum filii hominis in cælo, cum multitudine exercitus Angelorum*". Et rursùs ibidem aliquanto inferius: " Quomodò ſuſtinebi- „ mus, inquit, quando conſpexerimus tre- „ mendum ſolium paratum? Cùm viderimus „ *Signum filii hominis in cælo reſplendens*, ſicut ait „ ipſe Dominus: ſanctum, inquam, & im- „ maculatum, ac pretioſum *Signum*, cui ſponte „ clavis affixus fuit pro nobis Dominus? „ Tunc cuncti proſpicientes, in ſublimi for- „ midabile & ſanctum magni Regis apparere „ ſceptrum, cognoſcent & in memoriam re- „ ducent ſermonem Domini, dicentis: *quia ſignum apparebit filii hominis in cælo*". Et Theophanes Cerameus Tauromenienſis Antiſtes Oratione 2. in Exaltationem vivificæ crucis: " Crucis venerandam exaltationem celebratu- „ ri, inquit, in unum congregati ſumus; quæ „ perſpicuum ſymbolum eſt ſubvectionis ho- „ minum à terris per crucem in cælos: cùmque „ prima crucis in Golgothâ erectio improbis „ ac ſceleratis viſa fuerit ignominioſa, ea quæ „ nunc fit exaltatio, futuræ gloriæ quædam eſt „ præſignificatio ac prædelineatio; quo tempore „ crux Angelicis choris comitata & circum- „ data conſpicietur: *Tunc* enim *parebit ſignum* „ *filii hominis*, ut ſacra Euangeliorum hiſtoria teſtatur". Julianus item Toletanus in ſuo Prognoſtico tractans de Crucis in Judicio apparitione juxta mentem Chryſoſtomi quem deſcribit & laudat: Q· Quemadmodum, in- „ quit, ingrediente Rege in civitatem, exer- „ citus præcedit, ferens ſigna & vexilla re- „ galia, & ambitus præparationis armiſonæ „ annunciat Regis introitum: ita Domino „ deſcendente de cælis, præcedet exercitus „ Angelorum atque Archangelorum, qui ſig- „ num illud triumphale, crucis vexillum, ſub- „ limibus humeris præferentes, divinum Re- „ gis cæleſtis ingreſſum terris trementibus nunciabunt". Sed quid congerendis hanc in rem Tractatorum teſtimoniis immoror, cùm ipſa Mulier fortis, ſive Eccleſia, ſolemniter in Eccleſiaſtico Officio de Cruce canat: *Hoc ſignum crucis erit in cælo, cum Dominus ad judicandum venerit?*

Vide Amphilochium Orat. de Occurſu Domini. Luc. 2. 34.

O. Hippolit. Orat. de Conſummat. ſæculi.

P. Ephræm Syrus de Apparitione crucis tempore Iudicij

Mat. 24. 30.

Theophanes.

Q. Iul. Tolet. lib. 3. Prognoſt. cap. 5.

Eccleſia.

CLIV. Cùm ex his habeamus litteram *Thau* denotare *Signum* non modò genericè ſumptum, ſed in ſpecie pro Cruce Chriſti, quatenùs *ſignum eſt filij hominis*, verificatum: Ambigere non ſinimur quia eadem littera congruenter accommodetur Mulieri forti, quæ Sponſa eſt ejuſdem *filij hominis*. Cùm enim hic Sponſus cum ſuâ ſponſâ coaluerit *in carnem unam*, conſectaneum utique fuit ut inſignia haberent communia. Solent Magnates utriuſque ſexûs de ſuis reſpectivè gloriari inſignibus: unde & Mulier iſta fortis, huic mori inſiſtens, ait per Apoſtolum tanquam ſuam linguam: *Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Tanquam diceret, Glorientur alii quibus libuerit inſignibus; ego gloriabor duntaxàt in eâ litterâ quæ *ſignum filij hominis*, Sponſi mei, ſono ſuo denotat, & figurâ repræſentat: R. Antiquis Hebræorum „ litteris, inquit Hieronymus, quibus uſque „ hodie utuntur Samaritani, extrema *Thau* „ littera crucis habet ſimilitudinem: quæ in „ Chriſtianorum frontibus pingitur, & fre- quenti manûs inſcriptione ſignatur". Et in caput 66. Iſaiæ ſuper illis Dei verbis, *Ponam in eis ſignum*:" Ponet in eis ſignum, inquit, „ quod in Ezechiëlis principio ſub *Thau* lit- „ teræ Hebraicæ interpretatione monſtratur: „ quo ſigno qui fuerit impreſſus, manus per- „ cutientis effugiet. Hoc & poſtes domorum „ in Ægypto ſignabantur, quando pereunte „ Ægypto ſolus Iſraël manſit illæſus. De hoc „ ſigno, quod Achaz Rex Juda nolebat acci- „ pere, Iſaias Propheta teſtatur: *Propterea da-* „ *bit Dominus vobis ſignum: Ecce Virgo in utero* „ *concipiet, & pariet*. Unde & Propheta quod „ promiſſum fuerat deprecatur dicens: *Fac me-* „ *cum ſignum in bonum*. Et in alio loco, *Dediſti* „ *metuentibus te ſignificationem, ut fugerent à facie* „ *arcûs*. Hoc nobis ad Patrem aſcendens Do- „ minus dereliquit, ſive in noſtris frontibus „ poſuit, ut liberè diceremus: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine*". De hoſtibus Eccleſiæ ait Pſaltes Deo, *Gloriati ſunt qui oderunt te, in medio ſolemnitatis tuæ: poſuerunt ſigna ſua, ſigna*. Quibus omnibus hoſtilibus ſignis opponit ipſa unum ſignum *Thau*, id eſt, crucem Sponſi ſui; quâ & ipſa ita ſignata eſt, ut ab eodem ſuo Sponſo in Canticis dicta ſit *Fons ſignatus*: ſigno nimirùm crucis Chriſti, S. *Quo*, ut Auguſtinus ait, *omnes Chriſtiani in fronte ſignantur*. Unde cùm idem Auguſtinus Tract. 118. in Joannem dixiſſet:" Quid eſt quòd om- „ nes noverunt ſignum Chriſti, niſi crux Chriſti"? Continuò ſubdidit:" Quod ſig- „ num niſi adhibeatur, ſive frontibus creden-tium,

Ep. 5. 32.

Gal. 6. 14.

R. Hieron. lib. 3 in c. 9. Ezechiëlis.

Iſa. 66. 19.

Iſa. 7. 14.

Pſal. 85. 17.

Pſ. 59. 6.

Pſal. 4. 7.

Pſal. 73. 4. & 5.

Cant. 4. 12.

S. Aug. lib. de Catechiz. Rudibus cap. 20.

Digitized by Google

„ tium, ſive ipſi aquæ quâ regenerantur, ſive „ oleo quo chriſmate unguntur, ſive ſacriſi- „ cio quo aluntur, nihil eorum ritè perfici- tur". Et ante Auguſtinum Martyr Cypria-
T. Cyprian. Sermon. de Baptiſmo Chriſti. nus: T. Nos, inquit, in cruce Chriſti gloria- „ mur, cujus virtus omnia peragit Sacramenta; „ ſine quo ſigno nihil eſt ſanctum, neque ali- „ qua conſecratio meretur effectum. Hinc „ omnium ſanctificationum exurgit ſublimi- „ tas & profundum, & longè latèque pleni- tudo diffunditur gratiarum". Qui rursùs Sermone de Paſſione Chriſti: " Quicunque ſint „ Sacramentorum miniſtri, inquit, qualeſ- „ cunque ſint manus quæ vel mergunt acce- „ dentes ad Baptiſmum, vel ungunt; quale- „ cunque pectus de quo ſacra exeunt verba; „ operationis authoritas in figurâ crucis om- „ nibus Sacramentis largitur effectum, & cunc- „ ta peragit nomen, quod omnibus nomini- „ bus eminet, à Sacramentorum vicariis in-
Vide ſuprà lib. 1 c 63. §. 212. & ſeqq. vocatum". Plura huc ſpectantia repeti poſſunt ex priori hujus Operis volumine cap. 63. ubi §. 232. oſtendimus crucis ſignum adeò apud priſcos Chriſtianos in uſu ac veneratione fuiſſe, ut ipſi ab infidelibus non modò *Chriſticolæ*, ſed & *Crucicolæ* promiſcuè agnominarentur Porrò quantò magis infideles ſignum iſtud Salvatoris abominabantur, tantò magis Chriſtiani non modò ipſum venerabantur, ſed in eo etiam gloriabantur: ad imitationem ipſius Chriſti, de quo ait Andreas Cretenſis:
V. Andreas Cret Orat. in Lazarum quatriduanum. „ V. Chriſti gloria crux eſt, eratque is ei ante „ ſæcula præcogitatus ſcopus ac finis. Futu- „ rum quippe erat ut Judæi patratorem tan-
Heb. 12. 2. „ torum miraculorum affigerent cruci, *Qui*, ut „ divinè ait Apoſtolus, *propter gloriam quæ ex eâ eſt, contempturus eſſet confuſionem*". Et mox iterum: " Licèt ante omne ſæculum, pater- „ nam, ut Deus, & Dei Filius communi cum „ eo ſubſtantiâ, haberet gloriam; ſuæ tamen „ etiam ſacratiſſimæ carnis beatam paſſionem, „ gloriam ducit, velut ſalutis totius Mundi cauſam". Et rursùs Oratione 1. de Crucis Exaltatione: " Crux Chriſti, inquit, paſſio- „ num ſumma eſt, & miraculorum nobis facto- „ rum coronis: hæc & Chriſti *gloria* appella- „ tur, & Chriſti exaltatio dicitur: hæc & „ calix deſiderabilis intelligitur, & crucia- „ tuum quos pro nobis Chriſtus eſt perpeſſus „ concluſio. Quod enim Chriſti gloria ſit crux,
Ioan. 13.31. „ audi ipſum dicentem: *Nunc clarificatus eſt* „ *filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo, &*
Ioan. 17.5. „ *continuò clarificabit eum*: & rursùs, *Clarifica* „ *me tu Pater, claritate quam habui antequam*
Ioan. 12.28. „ *Mundus eſſet, apud te*: & iterum, *Pater clari-* „ *fica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo: Et* „ *clarificavi, & iterum clarificabo*: illam ſignifi- „ cans, quæ tunc in cruce conſecuta eſt, ele- „ mentorum ſcilicet immutationem & com- „ miſerationem: Oportebat enim cum Crea- „ tore & creaturas condolere. Quod item „ exaltatio Chriſti crux ſit, accipe quid ipſe- „ met ait: *Quando ego exaltatus fuero, tunc* Ioan. 12.32. „ *omnes traham ad meipſum*: ut & alibi di- „ cit, *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto,* Ioan. 3. 14. „ *ita exaltari oportet filium hominis.* Quare? *Ut* „ *omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat* Ibid. v. 15. „ *vitam æternam.* Vides, quòd gloria & exalta- „ tio Chriſti, crux ſit? Cognoſcere vis, quòd „ hìc exaltatio, ibi autem gloria conſequatur? „ Audi Davidem dicentem, *Exaltare ſuper cæ-* Pſal. 107. 6. „ *los Deus, & ſuper omnem terram gloria tua*: „ & iterùm Iſaiam, quaſi ex perſonâ Chriſti, „ *Nunc exurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor,* Iſa. 33. 10. *nunc glorificabor*". Cùm ergò crux tantoperè vergat in gloriam & exaltationem Chriſti, ut ipſa dicatur ſubſtantivè & in abſtracto *gloria Chriſti*, & *exaltatio Chriſti*: ambigi non poteſt quin littera *Thau*, quæ ſono & figurâ crucem repræſentat, apprimè congruat Sponſæ Chriſti, tanquam memoriale paſſionis Chriſti, imò tanquam ſcopus & finis incarnationis Chriſti: " Ego verò, ait idem „ ibidem ſuperiùs, id quod omnium bono- „ rum pulcherrimum eſt, re ac nomine *the-* „ *ſaurum* jure appellaverim; in quo, & per „ quem, & in quem, ſalutis noſtræ ſumma „ repoſita, & priſtino ſtatui reſtituta eſt. Si „ enim crux non foret, Chriſtus crucifixus „ non eſſet: ſi crux non eſſet, vita ligno cla- „ vis affixa non eſſet: ſi ea clavis ſuffixa non „ eſſet, ex latere fontes immortalitatis, ſan- „ guinem & aquam, in Mundi expiationem „ non fudiſſet, peccati chirographum abrup- „ tum non eſſet, in libertatem aſſerti non „ eſſemus, ligno vitæ non frueremur, paradi- „ ſus non pateret, verſatilis romphæa à viâ „ *Eden* non receſſiſſet, latro paradiſum non „ incoleret. Et quid his immoror? Si crux „ non eſſet, Chriſtus in terrâ non fuiſſet: & „ ſi Chriſtus in terrâ non fuiſſet, non virgo, „ non fecunda Chriſti generatio fuiſſet, non „ humanitatem Deus induiſſet; non partus, „ non præſepe, non faſcia, non octavo die „ circumciſio, non exhibita parentibus obe- „ dientia, non ætatis progreſſus, non corpo- „ ris incrementum, non apparitio, non bap- „ tiſmi uſus, non patrata miracula, non Ju- „ das proditor, non Pilatus judicans, non „ Judæorum audacia in crucem agi indemna- „ tum clamore poſtulans. Si crux non eſſet, „ mors proſtrata non eſſet, non infernus ſpo- „ liatus, non ſerpens noxius enectus. Magna igitur & pretioſa res crux eſt".

CLV. Videamus demùm de *Stupore*, & *Scripturâ*, duobus nimirùm reſtantibus litteræ *Thau* interpretamentis: è quibus *ſtupor* ſpecies quędam eſt admirationis, quâ mens conſideratione rei miræ ac ſibi quadantenùs incomprehenſibilis percellitur. Sic legimus quoſdam,

viſo

Digitized by Google

viſo miraculo reſuſcitatæ à Chriſto filiæ Ar-
Mar. 5. 42. chiſynagogi, *Obſtupuiſſe ſtupore magno:* ſic item
de iis, qui claudum à Petro miraculosè ſana-
Act. 3. 10. tum cernebant, ſcriptum eſt: *Impleti ſunt ſtu-
pore & extaſi, in eo quod contigerat illi.* Neque
verò ſoli hebetes, aut tardioris ingenii ho-
munciones, ſed ſummi ſubinde ac perſpica-
ciſſimi viri percelluntur ſtupore: ut Paulus
Apoſtolus, paradiſiacæ alioqui Scholæ diſci-
pulus. Hic enim, ut Beatus Proſper ait,
W. Proſper l. 1. de vocat. Gentium c. 13. „ W. Cùm divinorum operum myſteria ſupra
„ menſuras humanæ intelligentiæ excellentia,
„ quodam mentis ſuæ profudiſſet exceſſu,
„ totam expoſitionis rationem tranſtulit ad
„ STUPOREM; & admirator factus eo-
„ rum quæ protulerat, exclamavit, & dixit:
Rom. 11. 33. „ *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei:
„ quam incomprehenſibilia ſunt judicia eius, & in-
„ veſtigabiles viæ eius*"! Porrò inter omnia Dei
opera nihil eſt quod conſiderantem ita percel-
lit ac ſtupefacit, ut crucis Chriſti myſterium:
X Lud. Granatenſis l. 3. in Symbolum in præfatione. „ X. Illud enim compertum eſt, ait quidam
„ pius contemplator, ex omnibus admirabi-
„ libus Dei operibus, hoc admirabilius; &
„ ex altis, altius; & ex utilibus, utilius; &
„ ex ſuavibus, hoc eſſe ſuavius. Præterea
„ nobis manifeſtum eſt, ex operibus gratiæ
„ hoc eſſe majus, ex divinis beneficiis hoc eſſe
„ ſummum, & ex ſacris myſteriis hoc eſſe
„ arcanius. Propter quam cauſam illud Apoſ
Eph. 3. 9. „ tolus *Sacramentum à ſæculis abſconditum* vo-
cat". Et rursùs ibidem aliquantò inferius:
" Cùm ea quæ Dei ſunt, inquit, alta ſint; &
„ intellectus noſter tam infirmus exiſtat, ut
„ non magis ad illa intelligenda accommoda-
„ tus ſit quàm noctuæ oculus ad ſolem adver-
„ ſum intuendum: quid noſter intellectus di
„ vinâ luce deſtitutus facere poterit, ut hoc
„ maximum opus prout decet intueatur? Hoc
„ Chriſti diſcipuli nos docent, qui cùm jam
„ ipſius ſcholam tamdiu frequentaſſent, ejus
„ doctrinam audiſſent, & mira illius humili-
„ tatis, patientiæ, paupertatis, ac vitæ tam à
„ Mundi commodis & apparatu alienæ exem-
„ pla vidiſſent; crucis equidem philoſophiam
„ non intellexerunt: quia licèt Dominus eam
Luc. 18. 34. „ ſatis apertis verbis annunciaret, tamen *erat
„ verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelli-
„ gebant quæ dicebantur:* Crucis quippe humili-
tas videbatur indigna tali perſonâ". Hùc
item ſpectat, quòd Princeps Apoſtolorum Pe-
Matt. 16. 16. trus poſt magnificam illam confeſſionem *Filii
Dei vivi*, poſt mutationem nominis, & pro-
miſſionem clavium regni cælorum, cùm ex
Chriſto audiſſet prænuntiari paſſionem cru-
Ibid. v. 22. cis, tantâ perſonâ indignam, *Increpavit illum
dicens: Abſit à te Domine, non erit tibi hoc:*
Y. Hilarius can. 16 in Matthæum. „ Y. Incredibile ſatis, inquit illic Hilarius,
„ Apoſtolis videbatur, eum, in quo Deus
erat, eſſe paſſibilem". Et hanc incredibilita-

tem non parùm augebat, atque ad ſtuporis
uſque vehementiam evehebat ipſa paſſionis
ſumma indignitas. Unde idem Hilarius infe-
riùs can. 18. addit: "Humilitas paſſionis
„ ſcandalum Mundo eſt: in hoc enim maxi-
„ mè ignorantia detinetur humana, quòd ſub
„ deformitate crucis, æternæ gloriæ Domi-
num noluit accipere". Cùm Apoſtolus Pau-
lus humiliationem Chriſti ex eo commen-
daſſet, quòd *obediens uſque ad mortem*, notan- *Phil. 2. 8.*
ter adjecit, *Mortem autem crucis:* Z. Non enim *Z. Auguſt. Tract. 36. in Joan.*
„ crucifigi, inquit Auguſtinus, hoc erat oc-
„ cidi: ſed diu vivebatur in cruce, non quia
„ longior vita eligebatur, ſed quia mors ipſa
„ protendebatur, ne dolor citiùs finiretur.
„ Mori voluit Chriſtus pro nobis: parùm di-
„ cimus, crucifigi dignatus eſt, *uſque ad mor-
„ tem crucis obediens factus.* Elegit extremum &
„ peſſimum genus mortis, qui omnem fuerat
„ ablaturus mortem: de morte peſſimâ occi-
„ dit omnem mortem; peſſima enim erat non
„ intelligentibus Judæis, nam à Domino
„ electa erat: ipſam enim crucem ſuam habi-
„ turus erat ſignum, ipſam crucem tanquam
„ trophæum de diabolo ſuperato poſiturus
„ erat in frontibus fidelium; ut diceret Apoſ-
„ tolus, *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce* *Gal. 6. 14.*
„ *Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi Mundus
„ crucifixus eſt, & ego Mundo.* Nihil erat tunc
„ in carne intolerabilius, nihil eſt nunc in
„ fronte glorioſius. Quid ſervat ille fideli ſuo,
„ qui talem honorem dedit ſupplicio ſuo?
„ Denique modò in pœnis reorum non eſt
„ crux apud Romanos: ubi enim Domini crux
„ honorata eſt, putatum eſt quòd & reus ho-
noraretur, ſi crucifigeretur". Hæc adeò ſtu-
penda ſunt, ut omnem admirationem exce-
dant: & quamvis fidei Chriſtianæ tot mira-
culis roboratæ vigor hunc ſtuporem vincat,
non tamen abolet. Manet enim etiam in cre-
dentibus, ſed fides eis præſtat, ut non ei ce-
dant. Stupuit Paulus *altitudinem divitiarum ſa-* *Rom. 11. 33.*
pientiæ & ſcientiæ Dei: nec tamen idcircò in
fide ejuſdem hæſitavit. Stupuit Abraham in-
ſolitam ſeminis promiſſionem ex utero ſenec-
tutis & ſterili, unde & *riſit, dicens in corde ſuo:* *Gen. 17. 17.*
*Putaſne centenario naſcetur filius, & Sara nonage-
naria pariet?* qui tamen, ut Apoſtolus ait,
Non hæſitavit diffidentiâ, ſed confortatus eſt fide, *Rom. 4. 20.*
dans gloriam Deo. Ad Angelicam ſalutationem
ſtupuit virgo Maria, *cogitans qualis eſſet iſta ſa-* *Luc. 1. 29.*
lutatio, & mox iterum ſubdens, *Quomodò fiet* *Ibid. v. 34.*
iſtud, quoniam virum non cognoſco? rurſus item
audito Simeonis cantico in die præſentationis
pueri, *Erat pater eius & mater mirantes ſuper his,* *Luc. 2. 33.*
quæ dicebantur de illo. Et tamen abſit ut ſuſpi-
cemur ullum huic virgini perfidiæ vel diffi-
dentiæ torporem irrepſiſſe. Ad hunc ergo
modum Mulier noſtra fortis, conſiderans *ſu-* *Eph. 3. 19.*
pereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, atque
inde

inde promanantem humiliationem illam ſummam, quâ *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis:* ſtupore percellitur ob rei conſideratæ magnitudinem, ſed nihil remittit de fidei firmitudine. Atque ita ſibi vendicat litteram *Thau*, juxta eam etiam interpretationem, quâ denotat *ſtuporem*.

Phil. 2. 8.

CLVI. Sed an etiam juxta eam interpretationem, quâ *Scripturam* denotat, quam poſtremo loco inter ſeptem recenſuimus? Vendicat prorsùs, & quidem multipliciter. Nam inprimis littera *Thau*, quatenùs crucem Chriſti denotat, non per hoc nos ſtupore percellit, quòd oculis corporeis ſenſualiter cernatur, vel manu in fronte vel alibi pingatur, ſculpatur, fundatur, aut quomodolibet extrinſecùs formetur: ſed per hoc potiſſimè quòd cordi inſcribatur, inſculpatur, imprimatur: A. Toto, ait Auguſtinus, vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus eſt in cruce". Propter hunc igitur cruci affixum vendicat ſibi Mulier fortis crucem ipſam. Figat ergo quiſque in corde crucem, ſicut figere monetur fixum in cruce: imò figendo illam, figat unà & iſtum: neque enim vult eſſe vel ipſe ſine illâ, vel illa ſine ipſo: ſimul volunt eſſe, non ſegregari. Quod probè ſciens Apoſtolus: *Nos*, inquit, *prædicamus Chriſtum crucifixum:* & iterùm, *Non indicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Fuerunt quidem nuper quidam de filiis Mulieris fortis, qui apud Chinas, ſive Sinas, voluerunt prædicare Jeſum Chriſtum, ſed ſcandali vitandi prætextu interim ſubticere crucifixum. Mulier verò fortis hanc eorum diſſimulationem ad ſe delatam indiſſimulanter improbavit, & *Chriſtum crucifixum* prædicari, atque omnium Chriſtianiſmo initiandorum cordibus inſcribi mandavit: Decreto in eum finem edito pridie Idus Septembris 1645. quod extat apud Thomam Hurtadum ad Calcem Reſolutionum Orthodoxo-Moralium de vero fidei Martyrio. Voluit nimirum ut Miſſionarii moderni imitarentur priſcos, ab ipſo Chriſto immediatè miſſos; ex quorum perſonâ dicebat unus ipſorum primæ claſſis: *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam:* de quorum item corypharo ait Leo Papa, B. *Trophæum crucis Chriſti Romanis arcibus inferebat.* Non ergo putavit ſufficere quòd Chriſtum inferret, niſi etiam *trophæum crucis inferret.* Rectè utique, ſiquidem ut idem Leo Serm. 5. de Paſſione cap. 1. ait: " Chriſtianæ ſpei vera ratio & „ principalis cauſa CRUX Chriſti eſt: quæ „ licèt Judæis ſit ſcandalum, Gentibus autem „ ſtultitia; nobis tamen Dei virtus eſt, Dei„que ſapientia. Unde ſummum hoc & po„tentiſſimum divinæ miſericordiæ Sacramen„tum ſemper in cordibus noſtris, cum totâ ſui dignitate, retinendum eſt". Si *in cordibus ſemper retinendum*, proculdubiò cordibus imprimendum, inſculpendum, inſcribendum: & hanc ſculpturam ſive ſcripturam rectè intelligitur denotare littera *Thau*, quatenùs interpretatur *Scriptura*. Quantoperè autem ea interpretatio congruat Eccleſiæ, ex verbis Leonis proximè adductis liquidò claret, uti & ex reliquis hoc §. præmiſſis. Aliter item per *Scripturam* in hâc litteræ *Thau* interpretatione intelligi poſſunt divini Codices utriuſque Teſtamenti, quos uſitato vocabulo *Scripturam Sacram* appellare conſuevimus. Hanc quippe Mulier fortis, ſive Eccleſia, jure ſibi vendicat, tanquam Epiſtolam à viro ſuo ſibi miſſam: C. Quid eſt Scriptura „ Sacra, inquit Gregorius Papa, niſi quædam „ Epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam"? Et ante hunc Auguſtinus: D. Domi„nus noſter Jeſus Chriſtus, inquit, tanquam „ totus perfectus vir, & caput & corpus: „ caput in illo homine agnoſcimus, qui na„tus eſt de Mariâ Virgine, paſſus ſub Pon„tio Pilato, ſepultus, reſurrexit, aſcendit in „ cælum, ſedet ad dexteram Patris, inde illum „ expectamus Judicem vivorum atque mor„tuorum: hoc eſt caput Eccleſiæ. Corpus „ autem hujus capitis Eccleſia eſt, non quæ „ hoc loco eſt, ſed quæ & hoc loco & per „ totum orbem terrarum: nec illa quæ hoc „ tempore, ſed ab ipſo *Abel* uſque ad eos qui „ naſcituri ſunt uſque in finem, & credituri „ in Chriſtum, totus populus Sanctorum, ad „ unam civitatem pertinentium; quæ civitas „ corpus eſt Chriſti, cui caput eſt Chriſtus: „ ibi ſunt & Angeli cives noſtri. Sed quia nos „ peregrinamur, laboramus; illi autem in ci„vitate expectant adventum noſtrum: & hæ „ de illâ civitate, unde peregrinamur, litteræ „ nobis venerunt; ipſæ ſunt Scripturæ, quæ nos hortantur ut benè vivamus". Et Joannes Chryſoſtomus: E. Deus, inquit, humani „ generis Conditor, ab initio per ſeipſum ho„minibus loquebatur quomodò hominibus „ eum audire poſſibile eſt: ſic enim ad Adam „ venit, ſic Cainum increpavit, ſic cum Noë „ locutus eſt, ſic apud Abraham hoſpitatus „ eſt. At ubi in magnam malitiam omne ho„minum genus degeneravit, nec tunc quidem „ ſeſe totum ab humano genere avertit Opi„fex omnium: ſed quia ſuâ familiaritate in„digni facti fuerunt homines, iterùm ſuam „ erga illos amicitiam innovare volens, quaſi „ longè abſentibus litteras mittit, conciliatu„rus ſibi univerſam hominum naturam. Et „ has quidem litteras dedit Deus, attulit autem Moyſes". Ubi *Moyſen* ſignatè exprimit, non quòd ſolus ille divinas litteras attulerit, ſed quòd primus afferre cœperit, inter eos ſaltem quorum ſcripta in Canone ſacrorum librorum extant. Quod addo propter *Henoch*, quem

A. Auguſt. lib. de Sancta Virginitate c. 55.

1. Cor. 1. 23.
1. Cor. 2. 2.

MISSIONARII CHINENSES.

Hurtadus.

1. Cor. 1. 23.

B. Leo Ser. 1. in Natali Apoſt. Petri & Pauli.

Vide Ser. 8. de Paſſione cap. 7.

C. Greg. l. 4. Regiſtri Epiſt. 4.

D. Aug. in Pſalm. 90. Concione 2.

E. Chryſoſt. Homil. 2. in Geneſim.

Digitized by Google

quem etiam fuiſſe bajulum Epiſtolæ è cælo miſſæ plerique veteres cenſuerunt, authoritate potiſſimùm Iudæ Apoſtoli permoti. Sed cùm Judas non dicat Henochum ſcripſiſſe, vel litteras detuliſſe, ſed duntaxat *prophetaſſe*; (Iudæ v. 14.) idcircò non omninò liquet num Scripturam ullam Canonicam ediderit, vel an verbaliter tantummodò ea denuntiaverit quæ Judas ex ipſo commemorat: potuit enim Judas ſive ex continuatâ inter fideles traditione, ſive ex peculiari factâ ſibi revelatione reſcire quæ ille prophetaverat, tametſi ea litteris conſignata à prophetante non fuerint. Quoniam igitur qui ſub Henochi nomine circumfertur libellus, in Canonem Biblicum nequaquam eſt receptus, uti nec alius quiſquam quem conſtet ante Moyſis Pentateuchum prodiiſſe; idcircò in ſerie bajulorum divinæ Scripturæ Moyſes creditur tenere primatum. Cæterùm etſi divinæ iſtæ Epiſtolæ dicantur miſſæ ad creaturam indefinitè, vel ad genus humanum; peculiari tamen ratione ad Mulierem fortem cenſentur deſtinatæ, ut per ejus induſtriam ac diſcretionem cæteris communicentur. Unde Pſalmographus recolens Dei erga veterem Eccleſiam beneficia, ait de ipſo inter alia: (Pſ. 147. 19. & 20.) *Qui annuntiat verbum ſuum Iacob, juſtitias & judicia ſua Iſraël: Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*. Similiter & Apoſtolus recenſens prærogativas priſcorum Judæorum, primo loco memorat quòd (Rom. 3. 2.) *Credita illis fuerint eloquia Dei*. In quâ prærogativâ ſucceſſerunt eis jam exhæredatis Chriſtiani, Eccleſiam nunc conſtituentes Catholicam: & quidem privativè, cum excluſione omnium Sectarum, quamdiu non incorporantur eidem Eccleſiæ. Etenim de hæreticis nominatim loquens Tertullianus: F. Si hæretici ſunt, inquit, (F. Tertull. de Præſcript. cap. 37.) „ Chriſtiani eſſe non poſſunt. Ita non Chri„ ſtiani, nullum jus capiunt Chriſtianarum „ litterarum: ad quos meritò dicendum eſt, „ Qui eſtis? Quando, & unde veniſtis? Quid „ in meo agitis, non mei? Quo denique, „ Marcion, jure ſylvam meam cædis? Quâ „ licentiâ, Valentine, fontes meos tranſver„ tis? Quâ poteſtate, Apelles, limites meos „ commoves? Mea eſt poſſeſſio: quid hîc „ cæteri ad voluntatem veſtram ſeminatis & „ paſcitis? Mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo, „ prior poſſideo, habeo origines firmas ab „ ipſis authoribus quorum ſunt res. Ego ſum „ hæres Apoſtolorum: ſicut caverunt teſta„ mento ſuo, ſicut fideicommiſerunt, ſicut „ adjuraverunt, ita teneo. Vos certè exhæ„ redaverunt ſemper & abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos". Cùm igitur ad Eccleſiam miſſa, & Eccleſiæ concredita ac fideicommiſſa ſit divina Scriptura, & quidem privativè cum excluſione quorumcunque extraneorum, quamdiu tales permanent: planum eſt, eidem Eccleſiæ apprimè congruere litteram *Thau*, juxta poſtremam hanc interpretationem quâ denotat Scripturam, pro verbo Dei litteris conſignato ſumptam. Quod probè ſciens Auguſtinus: G. Ego verò, inquit, Euange„ lio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catho„ licæ commoveret authoritas". (G. Auguſt. lib Contra Epiſt. Fundamenti cap. 5.) Quæ authoritas, niſi quâ teſtatur hunc vel illum librum de cælo ad ſe per fidum bajulum fuiſſe à viro ſuo miſſum, ſuæ cuſtodiæ concreditum, ſuæ fidei commiſſum, atque à ſe Bibliorum ſacro Canoni inſertum?

Digitized by Google

CAPUT XLV.

Noviſſimus ejuſdem Alphabetici Poëmatis verſiculus à litterâ Thau *cœptus, ſub varietate verſionum ſiſtitur, & enucleatur. Mulieris fortis ab unâ parte, & Meretricis Apocalypticæ ab alterâ, merita conferuntur ac mercedes, ſed per antitheſin. Quaternæ ex Auguſtino retributiones commemorantur, & exemplarizantur: prima bonorum pro bonis, ſecunda malorum pro malis, tertia bonorum pro malis, quarta malorum pro bonis: quarum ſola poſtrema Deo extranea eſt; duæ primæ ad juſtitiam, tertia ad miſericordiam pertinet. Niſi Deus retribueret bona pro malis, deeſſent quibus retribueret bona pro bonis, ſed ſupercrebreſcerent quibus retribueret mala pro malis. Tanta eſt erga homines Dei benignitas, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius munera. Vita æterna ita eſt merces meriti, ut nihilominùs ſit gratia pro gratiâ: & quâ ratione? Conciliantur verſiones quarum altera Mulieri forti laudes adſcribit, quas altera in virum ejus transfundit. Primitivæ Eccleſiæ praxis glorificandi Deum ex converſione infidelium, & converſatione virtuoſâ fidelium. Placuit Deo,* ut non glorietur omnis caro coram ipſo*: non quidem mali, quia non habent unde; nec item boni, quia nonniſi ex ipſo habent unde. Expenditur quod ſcriptum eſt,* Laudate Dominum in Sanctis ejus. *Ipſa divinorum munerum ſuſceptio non modica eſt divini muneris portio. Apoſtoli dictum,* Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei *diſcutitur, & cur reciprocari nequeat edisseritur. Deo aſsignandus eſt ſalutaris operis primatus, voluntati caducæ non niſi ſecundatus. Multa facit Deus in homine bona, quæ non facit homo; nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo. Tantò quiſque eſt beatior, Deoque conjunctior, quantò plus in eo fuerit gratiæ divinæ, quàm actionis humanæ.*

CLVII. NOviſſimum Alphabetici hujus Poëmatis atque etiam totius libri Proverbiorum verſiculum, à litterâ *Thau* mox explanatâ in Hebraico fonte inchoatum, vulgatus Interpres, conſonantibus Pagnino & Vatablo,
Prov. 31. 31. ita nobis Latinum exhibet: *Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera ejus.* Septuaginta verò Interpretum editio, à diverſis in Latinum traducta, diverſimodè ſonat: ſiquidem in Bibliis apud Keerbergium anno 1616. Antuerpiæ impreſſis ita habetur, *Date ei de fructibus labiorum ejus, & laudetur in portis vir ejus.* At verò in Bibliis Regiis Plantinianæ ibidem editionis ſic, *Date ei de fructibus manuum ejus, & laudetur in portis vir ejus.* Quam poſtremam verſionem ſecuti ſunt Ambroſius & Auguſtinus; eoque magis præferenda videtur, quòd à vulgatâ minùs recedat quàm altera, quæ loco *manuum* habet *labiorum*: niſi fortè mendoſè impreſſum ſit *labiorum* pro *laborum*. Quomodolibet interim hemiſtichium illud primum legatur, eo haud dubiè mercedis æternæ retributio, ſive meritorum præmiatio, indicatur: ut proinde hic locus aperiſſimè evertat eorum errorem, qui meritis bonorum operum derogant, & ſolâ fide otioſâ ſalutem obtineri dogmatizant. Quemadmodùm enim de *Meretrice magnâ* ſcriptum eſt Apoc. 17. 1.
in Apocalypſi, *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit; tantùm date illi tormentum & luctum*: ita Apoc. 18. 7.
ex adverſo de Muliere forti hìc dicitur, *Date ei de fructu manuum ſuarum*, vel aliter, *Date ei de fructibus labiorum* (forſan *laborum*) *ejus*: ut nimirùm ſicut illic aſtruitur malorum operum demeritum cum ſubſequente ſupplicio, ita hìc bonorum operum meritum cum ſubſequente bravio: H. Quatuor, inquit Auguſti- H. Auguſt. in Pſal. 118. concione 7.
„ nus, ſunt retributiones: aut enim mala pro „ malis retribuuntur, ſicut Deus ignem æternum retributurus eſt impiis: aut bona pro „ bonis, ſicut regnum æternum retributurus „ eſt juſtis: aut bona pro malis, ſicut Chriſtus „ per gratiam juſtificat impium: aut mala pro bonis,

,, bonis, ſicut Judas & Judæi per malitiam
,, perſecuti ſunt Chriſtum. Harum quatuor
,, retributionum duæ priores pertinent ad
,, juſtitiam, ut ſcilicet retribuantur mala pro
,, malis, bona pro bonis: tertia pertinet ad
,, miſericordiam, ut retribuantur bona pro
,, malis: quartam Deus neſcit, nulli enim ma-
,, lum pro bono retribuit. Hæc autem quam
,, tertio loco poſui, primitùs neceſſaria eſt:
,, niſi enim Deus retribueret bona pro malis,
,, nullo modo eſſent quibus retribueret bona
pro bonis". Qui rursùs lib. de Gratiâ & libero
arbitrio cap. 23." Reddet omninò Deus,
,, inquit, & mala pro malis, quoniam juſtus
,, eſt; & bona pro malis, quoniam bonus eſt;
,, & bona pro bonis, quoniam bonus & juſtus
,, eſt: tantummodò mala pro bonis non red-
,, det, quoniam injuſtus non eſt. Reddet
,, ergo mala pro malis, pœnam pro injuſtitiâ;
,, & reddet bona pro malis, gratiam pro injuſti-
,, tiâ; & reddet bona pro bonis, gratiam pro
gratiâ". Ubi per *gratiam pro gratia* vitam in-
telligit æternam, quæ bonæ vitæ temporali
retribuitur pro mercede; perinde ac malæ vitæ
retribuitur pro mercede ſupplicium: unde
idem jam ſuprà dixerat utramque hanc re-
tributionem *pertinere ad iuſtitiam.* Intereſt ta-
men, quòd malam vitam, cui redditur ſup-
plicium, habeamus ex nobis ipſis; bonam
verò, cui redditur æterna vita, habeamus ex
gratiâ Dei, operantis in nobis & velle & per-
Ioan. 1. 16. ficere: unde hæc dicta eſt *Gratia pro gratiâ*;
non quòd non ſit meriti merces, ſed quòd
ipſum meritum ſit Dei donum, juxta illud
Celeſtini Papæ Oraculum, à Tridentinâ Sy-
I. Celeſtin. Epiſt. 1. c. 12. Vide Trid. Seſſ. 6. c. 16. nodo reſumptum: [I.] Tanta eſt erga omnes
,, homines bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe
merita, quæ ſunt ipſius dona". Quam doc-
trinam Auguſtinus non ſtrictim aut perfuncto-
riè, ſed prolixè atque ex propoſito tradit ac
proſequitur, & quidem eo ipſo libro quem
proximè citavimus: ut mirùm ſit repetiri tam
effrontes, qui auderent ei ſuum errorem me-
K. Auguſt. l. de Gratiâ & lib. arbit. cap. 8. ritis inimicum affingere: [K.] Si vita æterna,
,, ait ipſe, bonis operibus redditur, ſicut aper-
,, tiſſimè dicit Scriptura, *Quoniam Deus* RED-
Mat. 16. 27. ,, DET *unicuique ſecundùm opera eius*: quomodò
,, gratia eſt vita æterna, cùm gratia non ope-
,, ribus reddatur, ſed gratis detur; ipſo Apo-
Rom. 4. 4. ,, ſtolo dicente, *Ei qui operatur, merces non im-*
,, *putatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debi-*
Rom. 11. 5. ,, *tum*: & iterùm, *Reliquiæ*, inquit, *per electio-*
,, *nem gratiæ ſalvæ factæ ſunt*: & mox addidit,
Ibid. v. 6. ,, *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin*
,, *gratia iam non eſt gratia*? Quomodò eſt ergo
,, gratia vita æterna, quæ ex operibus ſumi-
,, tur? An fortè vitam æternam non dixit
,, Apoſtolus gratiam? Imò verò ſic dixit, ut
,, negari omninò non poſſit; nec intellecto-
,, rem acutum, ſed tantummodò intentum
,, deſideret auditorem. Cùm enim dixiſſet,
,, *Stipendium peccati mors*, continuò ſubdidit, *Rom. 6. 23.*
,, *Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domi-*
,, *no noſtro.* Iſta ergo quæſtio nullo modo mihi
,, videtur poſſe diſſolvi, niſi intelligamus &
,, ipſa bona opera noſtra, quibus æterna red-
,, ditur vita, ad Dei gratiam pertinere; prop-
,, ter illud quod ait Dominus Jeſus, *Sine me* *Ioan. 15. 5.*
,, *nihil poteſtis facere*: & ipſe Apoſtolus cùm
,, dixiſſet, *Gratiâ ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc* *Eph. 2. 8. & 9.*
,, *non ex vobis, ſed Dei donum eſt; non ex operibus,*
,, *ne fortè quis extollatur*: vidit utique putare
,, poſſe homines hoc ita dictum, quaſi neceſſa-
,, ria non ſint opera bona credentibus, ſed eis
,, fides ſola ſufficiat: & rursùs poſſe homines
,, de bonis operibus extolli, velut ad ea fa-
,, cienda ſibi ſufficiant; mox itaque addidit:
,, *Ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto* *Ibid. v. 10.*
,, *Ieſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut*
,, *in illis ambulemus.* Quid eſt hoc, quòd cùm
,, Dei gratiam commendans dixiſſet, *Non ex*
,, *operibus, ne fortè quis extollatur*; cur hoc dixe-
,, rit rationem reddens; *Ipſius enim*, inquit, *ſu-*
,, *mus figmentum, creati in Chriſto Ieſu in operibus*
,, *bonis*? Quomodò ergo *Non ex operibus, ne*
,, *ne fortè quis extollatur*? Sed audi, & intellige:
,, *Non ex operibus* dictum eſt, tanquam tuis ex
,, teipſo tibi exiſtentibus, ſed tanquam his in
,, quibus Deus te finxit, id eſt, formavit, &
,, creavit. Hoc enim ait, *Ipſius ſumus figmentum,*
,, *creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis*: non illâ
,, creatione quâ homines facti ſumus, ſed eâ
,, de quâ ille dicebat qui utique jam homo
,, erat, *Cor mundum crea in me Deus*; & de quâ *Pſ. 50. 12.*
,, dicit Apoſtolus, *Siqua ergo in Chriſto nova* *2 Cor. 5. 17. & 18.*
,, *creatura, vetera tranſierunt, ecce facta ſunt nova,*
,, *omnia autem ex Deo.* Fingimur ergo, id eſt,
,, formamur, & *Creamur in operibus bonis, quæ* *Eph. 2. 9.*
,, non præparavimus nos, ſed *præparavit Deus*
,, *ut in illis ambulemus.* Itaque ſi vita bona noſtra
,, nihil aliud eſt quàm Dei gratia, ſine dubio
,, & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei
,, gratia eſt: & ipſa enim gratis datur, quia gra-
,, tis data eſt illa cui datur. Sed illa cui datur,
,, tantummodò gratia eſt; hæc autem quæ
,, illi datur, quoniam præmium ejus eſt, *Gratia*
,, *eſt pro gratiâ*, tanquam merces pro juſtitiâ:
,, ut verum ſit, quoniam verum eſt, *Quia* *Mat 16. 27.*
Deus reddet unicuique ſecundùm opera ſua".

CLVIII. Quod igitur Mulier noſtra fortis in noviſſimo retributionis die adeptura eſt ex juſtâ viri ſui tunc judicantis ſententiâ, fructus erit manuum ſuarum, quia merces bonorum operum ſuorum, præmium laborum, vel, ſi mavis, *labiorum* ſuorum: neque enim non laborat, quæ labiis perſonantibus Deum orat, Deum prædicat, Deo gratias rependit, *Deo ſacrificium laudis immolat*, *Pſ. 49. 14.* & *Vitulos labiorum ſuorum reddit*, *Oſe. 14. 3.* virum ſuum imitari ſatagens de quo ſcriptum eſt, *Cœpit Ieſus facere, & docere.* *Act. 1. 1.* Quia

 verò

verò non ſuis viribus ex ſeipsâ, ſed adjutorio
divinæ gratiæ præventa, excitata, corrobo-
rata, ſubvecta ac perducta præſtitit ea omnia
2. Tim. 4. 8. quibus *Corona juſtitiæ* rependitur; hinc ipſa co-
Joan. 1. 16. rona repenſa, *Gratia pro gratiâ* nuncupatur.
Poterit quidem ipſa tunc cum Apoſtolo abſ-
1. Cor. 15. 10. que jactantiæ notâ dicere, *Gratiâ Dei ſum id
quod ſum, & gratia Dei in me vacua non fuit, ſed
abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem,
ſed gratia Dei mecum.* Quam poſtremam clauſu-
lam Syriaca editio latinizata ſic exhibet, *Sed
gratia illius qui mecum eſt*: Eraſmiana item ſic,
Sed gratia Dei quæ mihi adeſt: nec aliud vo-
luit Arias Montanus, qui ſic vertit, *Sed gra-
tiâ Dei quæ cum me*; imitans ferè Hieronymum,
qui Epiſt. 140. & rursùs Dialogo 2. adversùs
Pelagianos ſemel iterumque legit, *Sed gratia
Dei quæ mecum eſt*: cui Hieronymo Primaſius
in ſuo illic Commentario attribuit hanc lec-
tionem, *Sed gratia Dei qui in me eſt*; quæ ferè
coincidit cum eâ quam ex Syriacâ editione
mox retulimus. Cæterùm ſicut utentibus
vulgatâ editione cavendum eſt, ne gratiam
Dei faciant pediſſequam liberi arbitrii; ita
utentibus aliâ quâvis è memoratis editione
cavendum eſt, ne uſqueadeò exaggerent ef-
ficaciam divinæ gratiæ, ut evacuent coope-
rationem liberi arbitrii. Ut enim Africani
L. Apud Celeſtin. Papam Epiſt. 1. cap. 8. & apud Proſperum lib. contra collat. c. 10. Antiſtites Zozimo Papæ reſcripſerunt, [L] Præ-
,, paratur voluntas à Domino, & ut boni ali-
,, quid agant, paternis inſpirationibus ſuorum
,, ipſe tangit corda filiorum: *quotquot enim
,, Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei*: ut nec
,, noſtrum ſentiamus deeſſe arbitrium, & in
Rom. 8. 14. ,, bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingu-
,, lis motibus MAGIS illius VALERE non
dubitemus auxilium". Ad quælibet igitur
ſalutares humani arbitrii affectus voluntas con-
currit & gratia, ſed in eo concurſu *magis va-
let* gratia. Unde Proſper: [M] Gratia quidem
M. Proſper l. 2. de vocat. Gentium c. 26. aliàs 9. ,, Dei, inquit, in omnibus juſtificationibus
,, PRINCIPALITER PRÆEMINET,
,, ſuadendo exhortationibus, monendo exem-
,, plis, terrendo periculis, incitando miracu-
,, lis, dando intellectum, inſpirando conſi-
,, lium, corque ipſum illuminando, & fidei
,, affectionibus imbuendo: ſed etiam volun-
,, tas hominis ſubjungitur ei atque conjungi-
,, tur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præ-
,, ſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi".
Et lib. contra Collatorem cap. 26. "Si quis,
,, inquit, de ærumnoſis vanitatibus & inſa-
,, niis fallacibus erubeſcens, tenebras eſſe &
,, mortem quicquid pro lumine ac vitâ am-
,, plectebatur intelligit, & ab his ſe conatur
,, abſtrahere: non eſt ab ipſo, quamvis non ſi-
,, ne ipſo ſit, iſta converſio; nec propriâ virtu-
,, te ad principia ſalutis enititur: ſed agit hoc
,, occulta & potens gratia Dei, quæ dimotis
,, terrenarum opinionum & operum mortuo-
,, rum favillis, torrem obruti cordis exagitat,
,, & deſiderio veritatis inflammat: non ut in-
,, vitum hominem ſubigat, ſed ut ſubjectio-
,, nis cupidum faciat; nec ut ignorantem tra-
,, hat, ſed ut intelligentem ſequentemque
,, præcedat. Manens enim liberum arbitrium,
,, quod utique cum ipſo homine Deus condi-
,, dit, à vanitatibus & cupiditatibus ſuis, in
,, quas neglectâ Dei lege defluxit, non à ſe-
,, ipſo, ſed à Creatore mutatur: ut quicquid
,, in eo in melius reficitur, nec ſine illo ſit qui
,, ſanatur, nec niſi ab illo ſit qui medetur;
,, *Cujus ſumus nova creatura novumque figmentum,* Eph. 2. 10.
,, *creati in Christo Jeſu in operibus bonis, quæ præ-
paravit Deus, ut in illis ambulemus*". Huc referri
poſſunt quæ ſuperiùs hic §. 65. pro gratiæ pri-
matu & liberi arbitrii ſecundatu ex Auguſtino Vide ſupra §. 65.
adduximus: quibus & iſtud addi poteſt ejuſ-
dem Auguſtini alibi: [N] Cùm fides impetrat N. Auguſt. Epiſt. 106.
,, juſtificationem, *ſicut unicuique Deus partitus* Rom. 12. 3.
,, *eſt* etiam ipſius *fidei menſuram*, non gratiam
,, Dei aliquid meriti præcedit humani; ſed
,, ipſa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur
,, perfici; comitante, non ducente; pediſſe-
quâ, non præviâ voluntate". Ad juſtificatio-
nem proinde noſtram, & ad ejus augmentum
ac complementum, concurrunt gratia & libe-
rum voluntatis noſtræ arbitrium, ita tamen
ut gratia tanquam dux præeat, arbitrium pe-
diſſequali obſequio ſubeat. Et ante hos om-
nes Tertullianus: [O] *Lapides*, inquit, *filii* O. Tertull. lib. de Animâ cap 21.
,, *Abrahæ fient*, ſi in fidem Abrahæ formentur; Matt 3. 9.
,, & *genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient*, Ibid. v. 7.
,, ſi venena malignitatis expuerint. Hæc erit
,, vis divinæ gratiæ, potentior utique naturâ,
,, habens in nobis SUBIACENTEM ſibi
liberam arbitrii poteſtatem". Horum vete-
rum veſtigiis inſiſtens Synodus Senonenſis,
ſub Cardinale Pratenſi paulò poſt exortam
Lutheri hæreſim celebrata Pariſiis, ait in Præ-
fatione Actorum Synodalium: "Acceden- Synodus Senon.
,, tem ad Deum oportet primùm divinæ gra-
,, tiæ munere credere, deinde bonis operibus
,, intendere: in quibus efficiendis & liberum
,, arbitrium operatur, & gratia: primò tamen
,, & principaliùs gratia. Quapropter qui ho-
,, minem benè operari & ſalutem conſequi ar-
,, bitratur abſque gratiâ, aut primatum boni
,, operis libero arbitrio adſcribit, non gratiæ;
,, Pelagianus cenſendus eſt. Qui verò ſalvari
,, hominem exiſtimat neglectis bonis operibus
,, à libero arbitrio procedentibus, hic Mani-
,, chæus eſt, & Lutheranus: nam in errorem
,, Manichæi incidit Lutherus, dum nimis
,, anxiè & ſcrupuloſè devitat Pelagium. Me-
,, tuens namque liberum arbitrium cum Pe-
,, lagio nimis efferre, omne bonum opus quod
,, eſt in homine, Deo tribuit & divinæ gratiæ,
,, nihil prorſus libero arbitrio: Sicque tollens
,, omninò liberum arbitrium Lutherus, factus
eſt

Digitized by Google

„ eſt Manichæus, dum refugit eſſe Pelagia-
nus". Hujus Synodi authoritatem magnopere
Suarez. laudat & operosè propugnat Franciſcus Suarez
Prolegomeno 6. de Gratia cap. 5. n. 5. & ſe-
quentibus, ne quis eam vilipendere audeat ſub
prætextu quòd fuerit duntaxat Provincialis.

CLIX. Ex his obvium fuerit cuique vel
mediocriter erudito advertere, quàm non ſibi
adverſentur binæ editiones præſentis verſiculi,
ſub initium hujus capitis relatæ, quarum prior
Prov.31.31. habet de Muliere forti, *Laudent eam in portis*
opera eius; poſterior ſuppreſsâ Mulieris men-
tione digreditur ad virum ejus, dicens: *Lau-*
detur in portis vir eius. Hæc quippe poſterior
lectio adeò priori non adverſatur, ut ex eâ
potiùs conſectariè ſubinferatur: quia nimirùm
opera illa Mulieris fortis quibus *ipſa laudatur*
in portis, principaliùs cedunt in laudem viri,
qui ea ſuæ præſtitit uxori. Unde Apoſtolus:
Gal.1.23. & 24. *Eram*, inquit, *ignotus facie Eccleſiis Iudææ, quæ*
erant in Chriſto: Tantùm autem auditum habebant;
quoniam qui perſequebatur nos aliquando, nunc
Euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat:
& in me clarificabant Deum. Non ait, In me cla-
rificabant me; ſed, *In me clarificabant Deum*:
quia nimirùm quicquid clarificatione dignum
in Paulo cernebant, vel de Paulo audiebant,
magis divinæ munificentiæ, quàm humanæ
P. Proſper lib. 1. de Voc. Gent. c. 8. in Additamento Cambronenſi. Vide Aug. Tract. 8. in Epiſtol. 1. Joannis. Act. 4. 32. induſtriæ eſſe cenſebant: P. Sic ergo, inquit
„ Proſper, tunc Chriſtianus populus didice-
„ rat, & illi primitivæ Eccleſiæ, *quorum erat*
„ *unum cor & una anima*, ſic credebant; ut cùm
„ viderent quempiam ad agnitionem verita-
„ tis ab errore converſum, glorificarent Do-
„ minum, & fidem correcti confiterentur mu-
„ neris eſſe divini. Ipſe quoque Dominus
„ diſcipulos ſuos, magiſtros omnium gentium,
Mat. 5. 16. „ ſic docebat, dicens: *Sic luceat lumen veſtrum*
„ *coram hominibus, ut videntes opera veſtra bona,*
magnificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt". Ubi,
ſicut Paulus ſuprà, non ait, in me clarificabant
me; ſed, *in me clarificabant Deum*: ita Chriſtus
non ait, ut magnificent vos; ſed, *ut magnificent*
Patrem veſtrum, cujus nimirum munera ſunt ve-
ſtra quæcunque lucent opera. Cujus documenti
memor Auguſtinus, cùm Martyris Cypriani
merita commemoraret, omnem ejus laudem
Q. Auguſt. Serm. 114. de Diverſis. cap. 2. in Deum refudit: Q. Quid enim, ait ipſe, niſi
„ Dei ſunt laudes, tanti Martyris laudes?
„ Aut cujus honor eſt Cyprianus ad Deum
„ toto corde converſus, niſi ejus cui dictum
Pſ 79. 4. „ eſt, *Deus converte nos*? Cujus opus eſt Cypria-
Pſ. 118. 12. „ nus Doctor, niſi ejus cui dictum eſt, *Doce me*
„ *iuſtificationes tuas?* Cujus opus eſt Cyprianus
Hier. 3. 15. „ Paſtor, niſi ejus qui dixit, *Dabo vobis Pa-*
„ *ſtorem ſecundùm cor meum, & paſcet vos cum diſ-*
„ *ciplina?* Cujus opus eſt Cyprianus Con-
Luc. 21. 15. „ feſſor, niſi ejus qui dixit, *Dabo vobis os &*
„ *ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere inimici veſtri?*
„ Cujus opus eſt Cyprianus tantæ perſecutio-
„ nis pro veritate perpeſſor, niſi ejus cui dic-
„ tum eſt, *Patientia Iſraël Domine*; & de quo
„ dictum eſt, *Quoniam ab ipſo eſt patientia mea?* Pſ. 61. 6.
„ Poſtremò cujus opus eſt Cyprianus in om-
„ nibus victor, niſi ejus de quo dictum eſt,
„ *In omnibus ſupervincimus per eum qui dilexit nos?* Rom. 8. 37.
„ Non ergo recedimus à laudibus Dei, quando
„ laudamus opera Dei, & prælia Dei in mili-
te Dei". Ad hunc ergo modum qui vulgatam
Bibliorum editionem ſequentes dicunt de
Muliere forti, *Laudent eam in portis opera eius,* Prov. 31. 31.
non recedunt ab iis qui alteram editionem
ſequentes legunt, *Laudetur in portis vir eius.*
Laus namque bonorum operum Mulieris
fortis non ita ei congruit, ut non in virum
ejus tanquam potiſſimum operarium redun-
det: R. Placuit enim Deo, inquit alibi idem R. Aug. lib. de Corrept. & Grat. cap. 11.
„ Auguſtinus, quò maximè humanæ ſuper-
„ biam præſumptionis extingueret, *ut non glo-*
„ *rietur omnis caro coram ipſo*, id eſt, omnis ho- 1. Cor. 1. 29.
„ mo. Unde autem non glorietur caro coram
„ ipſo, niſi de meritis ſuis? quæ quidem po-
„ tuit habere, ſed perdidit: & per quod ha-
„ bere potuit, per hoc perdidit, hoc eſt, per
„ liberum arbitrium: propter quod non reſtat
„ liberandis niſi gratia liberantis. Ita ergo *non*
„ *gloriatur omnis caro coram ipſo:* non enim glo-
„ riantur injuſti, quia non habent unde; nec
„ juſti, quia ex ipſo habent unde; nec ha-
„ bent gloriam ſuam niſi ipſum, cui dicunt:
„ *Gloria mea, & exaltans caput meum.* Ac per Pſ 3, 4.
„ hoc, ad omnem hominem pertinet quod
„ ſcriptum eſt, *Vt non glorietur omnis caro coram*
„ *ipſo:* ad juſtos autem illud, *Qui gloriatur, in* 1. Cor. 1. 31.
„ *Domino glorietur.* Hoc etiam Apoſtolus aper-
„ tiſſimè oſtendit, qui cùm dixiſſet, *ut non* Ibid. v. 29.
„ *glorietur omnis caro coram ipſo*, ne putarent
„ Sancti ſine gloria ſe remanſiſſe, mox addi-
„ dit: *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui* Ibid. v. 30. & 31.
„ *factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, &*
„ *ſanctificatio, & redemptio: ut, quemadmodùm*
„ *ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur*".
Hoc ipſum ſatis apertè monere videtur Pſal-
mographus in eo ſignanter Pſalmo, quo to-
tum Pſalterium concludit, quem hiſce verbis
inchoat: *Laudate Dominum in ſanctis eius.* Ubi Pſ. 150. 1.
Proſper in Commentario ſic ſcribit: S. Ad S. Proſper in Pſal. 150.
„ confeſſionem pertinet gratiæ, Dominum in
„ ſanctis ſuis laudare, cujus habent ſanctifica-
„ tione quòd ſancti ſint. Unde in alio Pſalmo
„ dicitur, *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis:* ut quic- Pſ. 67. 36.
„ quid in illis virtutum atque meritorum eſt,
totum ad Dei gloriam referatur". Nec minùs
appoſitè Theodoretus in ejuſdem Pſalmi ex-
planatione: " Si à plantis, inquit, & feris, Theodoret.
„ & reptilibus, ad gratiarum actionem juſſi
„ ſumus anſam arripere, multò magis juſtum
„ eſt inſpicere in ſanctos, & eorum celebrare
„ Deum. Quis enim, quum ea quæ beato
„ Paulo acciderunt, vel quæ divino Petro,

 vel

Digitized by Google

„ vel diviniſſimo Joanni, vel aliis Apoſtolis,
„ vel victoribus Martyribus, vel cæteris San-
„ ctis, vel his qui nunc veritatis athletæ ſunt,
„ didicerit, non linguam moveat ad laudan-
„ dum eum, qui tantam bonorum copiam ho-
minibus largitus eſt"? Verùm ne ipſis Sanctis
nihil laudis aut venerationis, pro ſuis virtuti-
bus, remanere putetur, occurrit ibidem in
Caſſiodorus Commentario Caſſiodorus: "Qualis vene-
„ ratio, inquiens, Sanctis debeatur, con-
„ gruenter exponitur: ut non ipſi, ſed Domi-
„ nus debeat de eorum juſtificatione prædi-
„ cari. Ille enim primo loco glorificari debet,
„ qui prædicanda concedit: juſtis autem ha-
„ benda reverentia eſt, quia divina munera
perceperunt". In quibus finalibus verbis ca-
vendum eſt ne quis autumet ipſam *divinorum*
munerum perceptionem ita ſanctis eſſe propriam,
ut non etiam ipſa in Dei gloriam cedat & lau-
dem: quaſi Dei quidem ſit divina munera
concedere, ſolius autem hominis ſit ea *percipere*,
acceptare, ſuſcipere: prout contendebat olim
T. Gennad. lib. de Eccleſiaſticis Dogm. c. 21. Gennadius Maſſilienſis, cujus vox eſt: T. *Ini-*
tium ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus; ut ac-
quieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt.
Sed meliùs hìc auditur Fulgentius, fidiſſimus
Auguſtini diſcipulus, qui ipſam ſuſceptionem
gratiæ, opus ac munus gratiæ eſſe aſſeverat:
V. Fulgent. lib. 1. de verit. prædeſt. cap. 15. „ V. Iſta gratia, inquiens, quam Deus vaſis
„ miſericordiæ gratis donat, ab illuminatio-
„ ne cordis incipit; & hominis voluntatem
„ bonam non invenit ipſa, ſed facit: atque ut
„ eligatur, ipſa priùs eligit: neque ſuſcipitur
„ aut diligitur, niſi hoc ipſa in corde hominis
„ operetur. Ergo & SUSCEPTIO & deſi-
Vide Divum Thom. q. 6. de verit. art. 2. ad 11. derium gratiæ, opus ipſius eſt gratiæ". De iis
verò qui gratiæ ſuſceptionem non ipſi gratiæ,
ſed libero ſuſcipientis arbitrio aſcribebant,
præmiſerat idem author capite præcedenti:
". Beneficia ipſius gratiæ multùm minorant,
„ dum non credunt ipſius gratiæ opus eſſe in
„ homine, ut gratia ſuſcipiatur ab homine".
Multò quippe minus beneficium impenditur
ei cui porrigitur gratia abſque ejus uſu, quàm
ſi concedatur ei gratia cum ſuo uſu. Unde Di-
W. D. Thomas in caput 9. ad Romanos lect. 3. vus Thomas, W. Divinum beneficium, in-
„ quit, non ſolùm extendit ſe ad infuſionem
„ gratiæ quâ homo juſtificatur, ſed etiam ad
gratiæ uſum". Et rursùs poſt pauca ibidem:
" Ipſe uſus gratiæ eſt à Deo". Et Proſper de
gratiâ loquens ait inter cætera: X. *Hæc ut cu-*
X. Proſper lib. de Ingratis c. 25. *juſquam ſtudio affectuq́; petatur, Ipſa agit, & cunctis*
dux eſt venientibus ad ſe: Perq́; ipſam niſi curratur,
non itur ad ipſam. Addit præterea idem Proſper
inferiùs ibidem c. 29. *Fons igitur meriti eſt lucis*
pater: inde quod in nos Fluxerit, hoc nobis maio
rum eſt cauſa bonorum, Dum largitori ſua reddimus:
æque relatis Augemur, noſtrumq́; bonum ſit gloria
dantis. Hæc poteſt eſſe vox Mulieris fortis,
approbantis utramque verſionem initio præ-
ſentis §. relatam; & conſequenter referentis
totam eam laudem quâ *laudant ipſam in portis*
opera ſua, in gloriam illius de quo altera editio
ait, *Laudetur in portis vir eius.*

CLX. Uſqueadeò Deus in omni opere ſa-
lutari Mulieris fortis, vendicat ſibi principa-
latum, ut non dubitaverit Apoſtolus dicere:
Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Rom. 9. 16.
Ubi Auguſtinus: Y. Cùm proculdubiò, in- Y. Auguſt. Enchiridii cap. 32. Vide lib. de grat. & libero arbitrio c. 7. & lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2.
„ quit, ſi homo ejus ætatis eſt, ut ratione
„ jam utatur, non poſſit jam credere, ſperare,
„ diligere, niſi velit; nec pervenire ad pal-
„ mam ſupernæ vocationis Dei, niſi volun-
„ tate cucurrerit: quomodò ergo *Non volentis,*
„ *neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, niſi quia
„ & *ipſa voluntas*, ſicut ſcriptum eſt, *à Deo præ-* Prov. 8. 35. juxta 70.
„ *paratur?* Alioquin ſi propterea dictum eſt,
„ *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt*
„ *Dei*, quia ex utroque fit, id eſt, ex volun-
„ tate hominis & miſericordiâ Dei; ut ſic di-
„ ctum accipiamus, *Non volentis, neque curren-*
„ *tis, ſed miſerentis eſt Dei*, tanquam diceretur,
„ Non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non
„ ſit etiam miſericordia Dei: non ergo ſuf-
„ ficit ſola miſericordia Dei, ſi non ſit etiam
„ voluntas hominis. Ac per hoc, ſi rectè dic-
„ tum eſt, *Non volentis hominis, ſed miſerentis eſt*
„ *Dei*, quia voluntas hominis ſola non im-
„ plet, cur non & è contrario rectè dicitur,
„ Non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt ho-
„ minis, quia id miſericordia Dei ſola non
„ implet? Porro ſi nullus Chriſtianus dicere
„ audebit, Non miſerentis eſt Dei, ſed vo-
„ lentis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſſimè
„ contradicat: reſtat ut propterea rectè dictum
„ intelligatur, *Non volentis, neque currentis, ſed*
„ *miſerentis eſt Dei*, ut totum Deo detur, qui
„ hominis voluntatem bonam & præparat ad-
juvandam, & adjuvat præparatam". Ex quo
planum eſt, juxta Auguſtini mentem, com-
petere Deo principalatum operis boni non ſe-
cundùm quid, aut in quadam duntaxat ejus
parte; ſed ſimpliciter, & quoad univerſas par-
tes, initium ſcilicet, medium, & finem; in-
greſſum, progreſſum, egreſſum; inchoamen-
tum, incrementum, complementum. Quo-
niam igitur totum eſt Dei, proculdubiò totum
cedit in laudem & gloriam Dei: & rursùs per
eandem regulam, quia totum eſt hominis, to-
tum cedit in laudem hominis. Verùmtamen
quia principalitas operis penes Deum eſt,
etiam principalitas laudis eidem adſcribenda
eſt: Z. Semper enim, ut Divus Thomas ait, Z. D. Thomas in caput 9. ad Romanos lect. 3.
„ actio magis attribuitur principali agenti,
„ quàm ſecundario: puta, ſi dicamus quòd
„ ſecuris non faciat arcam, ſed artifex per ſe-
„ curim. Voluntas autem hominis movetur
„ à Deo ad bonum: unde dictum eſt Rom. 8.
„ *Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.* Et Rom. 8. 14.
„ ideò hominis operatio interior non eſt ho-
mini

Digitized by Google

„mini principaliter, ſed Deo attribuenda:
Phil. 2. 13. „Philip. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle & „perficere pro bona voluntate.* Sed ſi non eſt vo-
PRÆOCCUPATIO. „lentis velle, neque currentis currere, ſed „Dei moventis ad hoc hominem, videtur „quòd homo non ſit dominus ſui actus, quod „pertinet ad libertatem arbitrii. Et ideò di- „cendum eſt, quòd Deus omnia movet, ſed „diverſimodè; inquantùm ſcilicet unum- „quodque movetur ab eo ſecundùm modum „naturæ ſuæ: & ſic homo movetur à Deo „ad volendum & currendum per modum li- „beræ voluntatis. Sic ergò velle & currere „eſt hominis, ut liberè agentis: non autem „eſt hominis, ut principaliter moventis, ſed Dei". Qui rursùs lib. 3. contra Gentes c. 88. & 89. "Solus Deus, inquit, poteſt movere „voluntatem per modum agentis, abſque vio- „lentiâ. Hinc eſt quòd dicitur Proverb. 21.
Prov. 21. 1. „*Cor Regis in manu Domini, quòcunque voluerit*
Phil. 2. 13. „*inclinabit illud:* & ad Philip. 2. *Deus eſt qui „operatur in nobis & velle & perficere pro bonâ vo- „luntate.* Quidam verò non intelligentes qua- „liter motum voluntatis Deus in nobis cau- „ſare poſſit abſque præjudicio libertatis, co- „nati ſunt has authoritates malè exponere: „ut ſcilicet dicerent, quòd Deus cauſet in „nobis velle & perficere, inquantùm dat no- „bis virtutem volendi, non autem ſic quòd „faciat nos velle hoc vel illud: ſicut Orige- „nes exponit in 3. Periarchon, liberum arbi- „trium defendens contra authoritates præ- „dictas". Multas quoque alias authoritates huic propoſito aſtruendo accommodas conge-
A. Proſper lib. 1. de vocat. Gent. cap. 25. rit Proſper: A. Quibus, ut ipſe poſtea ſubdit, „pleniſſimè declaratur, omnia quæ ad pro- „merendam vitam æternam pertinent, ſine „gratiâ Dei nec inchoari, nec augeri poſſe, nec „perfici: & contra omnem electionem de li- „bero arbitrio glorantem, illam invictiſſimè
1. Cor. 4. 7. „reniti ſententiam dicentis Apoſtoli: *Quis „enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non „accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi „non acceperis?* Igitur profunditas illius quæ- „ſtionis, quam ſecundùm admirationem „Apoſtoli impenetrabilem confitemur, per „liberi arbitrii velle & nolle non ſolvitur: „quia licèt inſit homini bonum nolle, tamen „niſi donatum non habet bonum velle; & „illud contraxit natura per culpam, hoc reci- „pit natura per gratiam. Sed quid illud ſit, „quòd hæc eadem natura in omnibus homi- „nibus ante reconciliationem mala, in omni- „bus miſera, non in omnibus juſtificatur, & „à pereuntibus quâdam ſui parte diſcernitur
Luc. 19. 10. „ab eo, *qui venit quærere & ſalvare quod perierat,* „humano ſenſu non poteſt prorsùs indagari. „Quantumlibet enim impiorum malignitas „accuſetur reſiſtens gratiæ Dei, nunquid pro- „babuntur eam, quibus eſt collata, meruiſſe?

„Aut illa virtus gratiæ, quæ ſibi quos voluit „ſubdidit, convertere eos qui inconvertibi- „les permanſêre non potuit? Tales fuerunt „qui ſunt attracti, quales hi qui in ſuâ duri- „tiâ ſunt relicti: ſed illis tribuit gratia ſtu- „penda quod voluit, iſtis retribuit veritas „juſta quod debuit: ut judicium Dei magis „inſcrutabile ſit in electione gratiæ, quàm in retributione juſtitiæ". Quoniam igitur Mulier noſtra fortis, id eſt, Sancta Eccleſia, ſecundùm omnia ſua membra per gratiam ſtupendam eſt in viam ſalutis attracta, atque à cæteris in priſtinâ ſuâ duritiâ derelictis diſcreta, idcircò univerſus virtutum ejus ornatus, & bonorum operum proventus, attractori ac diſcretori ſuo attribui jure poteſt ac debet, qui principalatum in exercitio geſſit: Vide lib. de Ingratis c. 12. & Epiſt. ad Ruffin. cap. 15.
„ B Virtutes, ait quidam, quas gratia repa- „ratrix naturæ ſuperaddita format, quia in „merito aliquid ſupra naturam accipiunt, in „præmio etiam ſupra naturam remunerari „dignæ ſunt: ut quibus amor Dei cauſa eſt „in opere, præſentia Dei præmium ſit in re- „tributione. Sed in his virtutibus quæ per „gratiam reparatricem fiunt, Spiritus Sanctus „bonam voluntatem primùm operatur, de- „inde bonæ voluntati moventi ſe & operanti „cooperatur: primùm bonam voluntatem „aſpirat ut ſit, deinde bonæ voluntati inſpi- „rat ut moveatur & operetur, ut vacua non „ſit: primùm operatur eam, deinde operatur „per eam; bona enim voluntas inſtrumen- „tum eſt, Spiritus Sanctus eſt artifex. Quem- „admodùm autem artifex primùm operatur „inſtrumentum, deinde per inſtrumentum: „& quòd inſtrumentum primùm operatur, „ſolus ipſe operatur; quod verò poſtmodùm „per inſtrumentum operatur non ſolus ipſe „operatur, ſed inſtrumentum etiam ipſum „per quod ipſe operatur: ſic & Spiritus San- „ctus quòd primùm bonam voluntatem ope- „ratur in homine, ſolus ipſe operatur; quod „verò poſteà per bonam voluntatem opera- „tur, non ſolus ipſe operatur, ſed & volun- „tas per quam operatur". Cui doctrinæ ſatis conſona eſt iſta Auguſtini in ſuo Enchiridio B. Hugo Victor. lib. 1. de Sacramentis p. 6. cap. 17.
Sententia: C. Præcedit bona voluntas homi- „nis multa Dei dona, ſed non omnia: quæ „autem non præcedit ipſa, in eis eſt & ipſa; „nam utrumque legitur in ſanctis Eloquiis, & C. Aug. Enchir. c. 32.
„*Miſericordia ejus præveniet me,* & *Miſericordia* Pſal. 58. 11.
„*ejus ſubſequetur me.* Nolentem prævenit, ut Pſal. 22. 6.
„velit: volentem ſubſequitur, ne fruſtrà velit". Cui adjicienda eſt & illa ejuſdem lib. 2. ad Bonif. cap. 9. "Multa Deus facit in ho- „mine bona, quæ non facit homo: nulla „verò facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo". Quam ſententiam Synodus 2. Arauſicana in canonem fidei redegit & univerſa Eccleſia ut talem recepit. Unde planum eſt

Digitized by Google

eſt eandem Eccleſiam refundere totam laudem operum ſuorum in eum, cujus tanquam primarii artificis exhibet ſe in operando adminiſtram, ac velut organicum inſtrumentum; juxta illud Proſperi: D Implet Spiritus Sanctus organum ſuum, & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei corda Sanctorum". Ad quid autem tangit, niſi ut inde virtuoſam operationem, tanquam harmonicam quandam melodiam, eliciat? Hujus proinde melodiæ primarius author is eſt, qui organum inflat & pulſat; ſecundarius verò is, cujus cor quaſi chorda pulſatur. Non igitur moleſtè ferat inſtrumentum, quòd præcipua laus attribuatur artifici: ſed potiùs ſibi gratuletur de ſubordinatione ad tantum artificem; reputans ſecum illud, quod Proſper ſequenti capite ſubdit: "Tanto quiſque eſt beatior, Deoque conjunctior, quanto plus in eo fuerit gratiæ divinæ, quàm actionis humanæ". Ita ergo *Mulierem fortem laudent in portis opera ejus*, ut ob eadem opera magis ac principaliùs *laudetur in portis vir ejus*.

D. Proſper Epiſtolâ ad Demetriadem c. 22.

Prov. 31. 31.

CAPUT XLVI.

Variorum Tractatorum ſuper eodem verſiculo commentaria exhibentur, ut Bedæ, Rabani, Salonii, & Arborei, vulgatam editionem ſequentium; necnon Ambroſii & Auguſtini, editioni 70. Interpretum inſiſtentium. Quædam Ambroſiani commentarii verba ab Auguſtino in ſuo ſtudioſè omittuntur, ne ab electionis gratuitæ hoſtibus in patrocinium ſui erroris traducantur. Ambroſii elogium ex Pelagio, cui ſubjungitur alterum ex Auguſtino. Hilarii Luciferiani commentarius in Paulinas Epiſtolas Ambroſio perperàm ſuppoſitus. Ejuſdem Ambroſii genuinis codicibus clauſulæ quædam ſpuriæ ſubintruſæ. Uſque poſt Ambroſii deceſſum Auguſtinus ab errore quem poſteà amplexi ſunt Maſſilienſes non plenè correctus. Prædeſtinationis gratuitæ cum verâ Chriſti gratiâ concatenatio, & Ambroſii per Auguſtinum à Semipelagianiſmi opprobrio vindicatio. Expenditur illa Chriſti in fine judicaturi ſententia, Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione Mundi: Eſurivi enim *&c. Merita bonorum operum ſunt cauſa vel ratio regnum cæleſte* poſſidendi, *an etiam* parandi? *Hæreſes emergentes reddunt catholicos Tractatores in prædicando ac ſcribendo cautiores & circumſpectiores. Cæleſtis regni* paratio *alia eſt prædeſtinatoria, eaque æterna, ac Deo interna; alia executoria, eaque temporaria, ac Deo externa. Iuxta hanc diſtinctionem conciliatur illud Chriſti,* In domo Patris mei manſiones multæ ſunt, *cum iſto ejuſdem ad diſcipulos,* Vado parare vobis locum. *Libri de vocatione Gentium Ambroſio abjudicantur, & ab errore quodam typographico expurgantur.*

CLXI. ABundè ſatis reddita jam à nobis eſt ratio, cur 70. Interpretum editio laudem operum Mulieris fortis refuderit in virum ejuſdem; ita tamen ut etiam ipſam nequaquam ſuâ laude ſpoliaverit. Niſi enim ſua ipſi laus manſiſſet integra, non præmiarentur in ipsâ laudabilium operum ſuorum merita. Præmiantur autem cùm inducitur Judex executoribus dicens: *Date ei de fructibus manuum ejus*, ſive ut alia lectio habet, *Date ei de fructibus labiorum ejus.* His itaque præmiſſis, videamus quemadmodùm utriuſque prædictæ editionis ſectatores præſentem verſiculum explanare conſueverint. Beda inprimis & Rabanus, vulgatam editionem ſecuti: E. *Date ei*, inquiunt, *de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera ejus*: hæc ſunt enim verba viri illius, de quo dictum eſt, *vir ejus laudavit eam*, id eſt, Domini & Salvatoris noſtri

E. Beda & Rabanus in cap. 31. Proverb. v. 31. & Beda lib. de Muliere forti litteri Tra...
Prov. 31. 31.
Prov. 31. 21

„ noſtri, qui Angelis in fine præcepturus eſt, „ ut Eccleſiam poſt hujus vitæ certamen, poſt „ triturationem afflictionemque terreſtrium, „ ad cæleſtis regni gaudia introducant, ac vitæ „ immortalis ſibi ſociam aggregent; juxta „ illud Euangelicum, [Matt. 13. 30.] *Triticum congregate in* „ *horreum meum.* [Prov. 31. 31.] Ait ergo his ille, *Date ei de* „ *fructu manuum ſuarum:* quia *fructum ſpiritûs* „ ferre curavit, [Gal. 5. 22. & 23.] *charitatem, gaudium, pacem,* „ *benignitatem, bonitatem, modeſtiam, continen-* „ *tiam, fidem, patientiam:* pro hoc illi debitam „ rependite mercedem. *Et laudent eam in portis,* „ hoc eſt, in Judicio, ſive in ingreſſu patriæ „ cæleſtis, non hominum favores ſupervacui, „ ſed *opera eius* quæ fecit, examinante, pro- „ bante, ac remunerante illo, cujus donante „ gratiâ hæc perfecit: à quo ut laudari merea- „ mur in futuro, concedat ipſe propitius nos „ cum dignis in præſenti vitâ collaudare ſer- „ vitiis". Eandem quoque vulgatam editionem ſecutus Salonius, Viennenſis quondam Antiſtes, dialogicè eundem verſiculum elucidat, Veranio quidem interrogante, ipſo autem reſpondente, hunc in modum: [F Salon. in cap. 31. Proverb. v. 31.] F. *Date ei* &c. „ Ver. *Cuius ſunt hæc verba?* Sal. Viri illius, „ Domini & Salvatoris Jeſu Chriſti. Ver. „ *Quando hæc verba dicturus eſt?* Sal. In die Ju- „ dicii, quando præcipiet Angelis ut poſt fi- „ nem hujus vitæ Eccleſiam ad regni cæleſtis „ gaudia introducant. Sic enim præcipiet An- „ gelis, *Date ei de fructu manuum ſuarum,* hoc „ eſt, bonorum operum: nam per *Manus* de- „ ſignantur opera; ac ſi patenter dicat: Quia „ bona opera facere curavit, hoc eſt, charita- „ tem, gaudium, pacem, benignitatem, bo- „ nitatem, modeſtiam, continentiam, fidem, „ patientiam; hoc fructu dignam reddite illi „ mercedem. *Et laudent eam in portis opera eius,* „ hoc eſt, in Judicio, ſive in ingreſſu patriæ „ cæleſtis, laudent eam opera ipſa quæ fecit, „ hoc eſt, remuneretur pro bonis operibus quæ geſſit". Arboreus item ſub reflexione ad litteram *Thau*, quâ idem in Hebræo verſiculus inchoatur: [G. Arbor. in cap. 31. Proverb. v. 31.] G. *Thau*, inquit, *Conſummator*, aut „ *Conſummatio* interpretatur. Cenſendus eſt au- „ tem ille virtutum omnium eſſe conſumma- „ tiſſimus, qui Deum timet, & ejus mandata „ obſervat, & dignus eſt qui abſoluto vitæ „ hujus curriculo ad regnum perennis gloriæ „ perveniat: ad quod Eccleſia militans poſt „ certamina, afflictiones, & anguſtias, ab ipſis „ Angelis introducetur; eique pro *fructibus* „ *manuum ſuarum*, ſcilicet charitate, pace, lon- „ ganimitate, patientiâ, modeſtiâ, benignita- „ te, fide, continentiâ, & caſtitate, debita „ merces rependetur: & *opera ipſa* quæ fecit, „ in ingreſſu patriæ cæleſtis *laudabunt eam.* „ Ambulemus igitur dignè in Eccleſiâ, cum „ omni humilitate, patientiâ, & manſuetudi- [Eph. 4. 2.] „ ne, & ſimus *ſolliciti ſervare unitatem ſpiritûs in* „ *vinculo pacis:* ut poſt luctas, labores, vigi- „ lias, & ærumnas, Dominus noſter Jeſus „ Chriſtus beatorum civitate nos donet". His quatuor Tractatoribus vulgatam editionem ſecutis adjiciemus eos qui 70. Interpretum editionem amplexi fuerant, ſignanter Ambroſium & Auguſtinum, quorum in hunc verſiculum, uti & in præcedentes, commentarii fere coincidunt etiam quoad verba. Notanter dixi, *fere:* quia deprehendi quidpiam intereſſe, de quo mox diſſerturus ſum. Ambroſius itaque, conſonante ferè Auguſtino, ſic ſcribit hoc loco de Muliere forti: [H. Ambroſ. in cap. 31. Prov. v. 31. Vide Aug. Sermon. 45. de Diverſis c. 19 & 20.] H. Tan- „ dem in tot operibus laborioſa, inter tot diſ- „ crimina fortis, tot noctibus vigilans, provida „ ad expectandum, patiens ad tolerandum, „ conſtans ad perſeverandum, conſummatis „ laboribus quid erit illi? [Prov. 31. 31. juxta 70.] *Date ei de fructibus* „ *manuum eius.* Quid date? Quod ſcriptum „ eſt, [Matt. 25. 34.] *Percipite paratum vobis regnum.* Quare pa- „ ratum? Propter fructus utique manuum „ ejus. Quos fructus? [Ibid. v. 35.] *Eſurivi enim, & dediſtis* „ *mihi manducare.* Quid ultrà? [Prov. 31. 31. juxta 70.] *Et laudetur in* „ *portis vir eius.* Portus noſtrorum laborum eſt „ videre Deum, laudare Deum. Hoc docet „ Joannes in Apocalypſi, dum beati in regno „ cælorum ſe mutuò invitantes dicunt: [Apoc. 19. 7.] *Gau-* „ *deamus, & exultemus, & demus gloriam Deo.* „ Non ibi dicitur, Labora, veſti ſervos, veſti „ teipſam, orna te purpurâ, da eſcas ancillis, „ attende ne extinguatur lucerna, ſollicita „ eſto, ſurge de noctibus, aperi manum pau- „ peri, trajice de colo in fuſum: non enim „ erunt opera neceſſitatis, ubi nulla indigen- „ tia; non erunt opera miſericordiæ, ubi „ nulla miſeria: non frangis panem pauperi, „ ubi nemo mendicat; non ſuſcipis peregri- „ num, ubi quilibet in patriâ quieſcit; non „ viſitas ægrotum, ubi omnes perpetuâ po- „ tiuntur ſanitate; non veſtis nudum, ubi „ cuncti æternâ induti ſunt luce; non mor- „ tuum ſepelis, ubi omnes ſine termino vi- „ vunt. Nec tamen iſta non agendo eris otio- „ ſa. Quid ergo facies? Docet Propheta, [Pſal. 26. 4.] „ *Ut videam voluptatem Domini.* Videbis quem „ deſideraſti, eumque laudabis indeficienter: „ hunc recipies fructum. Tunc potieris illâ „ unâ quam popoſciſti dicens, [Ibid.] *Unam petii à Do-* „ *mino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Do-* „ *mini omnes dies vitæ:* tunc [Apoc. 21. 4.] *mors ultrà non erit,* „ *neque luctus, neque dolor:* tunc laus, exul- „ tatio, & gaudium comprehendet; & fu- „ giet dolor, & triſtitia, & gemitus: tunc „ erit Deus omnia in omnibus. [Prov. 31. 31. juxta 70.] *Laudabitur in* „ *portis vir eius*, quia ſcriptum eſt, [Pſal. 83. 5.] *Beati qui* „ *habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæcu-* *lorum laudabunt te*".

CLXII. In hoc Ambroſii Commentario unam video clauſulam cavillationi obnoxiam, atque adeò accuratiùs diſcutiendam & enubilandam;

Digitized by Google

landam; ne quis putet Ambroſium patrocinari ei ſententiæ, quæ electionem Eccleſiæ vel membrorum ejus ad cæleſtem gloriam ſuſpendit ex præviſione meritorum. Cui ſententiæ conſentaneum videri poſſet, quòd Ambroſius hoc loco præmiſſis illis Judicis ad electos verbis, *Percipite paratum vobis regnum*, continuò ſubdiderit interrogationem, *Quare paratum?* ac tum reſpondendo ſubjecerit, *Propter fructus uſque manuum eius. Quos fructus? Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare.* Ubi videtur in merita ſeu fructus manuum, tanquam in cauſam, refundere regni cæleſtis non ſolùm *perceptionem* ſive temporalem adeptionem, ſed ipſam quoque *parationem*, quæ videtur coincidere cum æternâ ad gloriam electione ſive prædeſtinatione. Quòd ſi Ambroſius ita ſenſit, magnum proculdubiò robur ei ſententiæ ſuâ authoritate adjicit: quippe I. *In cuius præcipuè libris*, ut ipſe etiam Pelagius Hæreſiarcha fatetur, *Romana elucet fides. Qui Scriptorum inter Latinos flos quidam ſpecioſus enituit: cuius fidem, & puriſſimum in Scripturis ſenſum, ne inimicus quidem auſus eſt reprehendere.* Quòd ſi cui fortè ſpernenda videatur iſta laudatio, ut ab homine hæretico, adulari aliàs ſueto, profecta: audiatur ſaltem Auguſtinus, qui Juliano Pelagianiſtæ reſpondens: K. Adhuc audi, inquit, alium excellentem Dei diſpenſatorem, quem veneror ut Patrem, *In Chriſto enim Ieſu per Euangelium ipſe me genuit*, & eo Chriſti miniſtro *lavacrum regenerationis* accepi: Beatum loquor Ambroſium, cujus pro Catholicâ fide gratiam, conſtantiam, labores, pericula, ſive operibus, ſive ſermonibus, & ipſe ſum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus". Si igitur tantus Eccleſiæ Doctor electionem prædeſtinatorum ad gloriam ex meritorum præviſione ſuſpenderit, magna proculdubiò ei ſententiæ ex ipſius ſuffragio probabilitas accreſcit. Suſpendiſſe autem, non ſolùm verba ejus mox relata indicant, ſed & alia præterea argumenta ſuadent: ut inprimis, quòd alibi ipſe ſcribat: L. Apoſtolus ait, *Quos præſcivit, & prædeſtinavit*: non enim antè prædeſtinavit quàm præſciret: ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit". Rurſus in Commentario qui ſub ejus nomine in Pauli Epiſtolas circumfertur, ita verba Apoſtoli mox citata explanantur: "Illos quos præſcivit futuros ſibi devotos, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda". Denique Auguſtinus, ab eodem ipſo Ambroſio baptizatus & edoctus, ingenuè fatetur ſe eidem ſententiæ adhæſiſſe vivente ſuo magiſtro Ambroſio, nec eam deſeruiſſe niſi demùm cùm tractaret quæſtiones à Simpliciano ſucceſſore ejus ſibi propoſitas: prout cernere licet lib. de Prædeſt. Sanct. cap 4. necnon apud Proſperum Reſpon. ad tria prima Dubia Genuenſium. Veriſimile ergo fit, Ambroſium ejuſdem fuiſſe ſententiæ, atque eam Auguſtino tanquam magiſtrum diſcipulo ingenuiſſe. Verùm ab hac calumniâ Ambroſium ſuum purgat Auguſtinus, ſignanter in iis libris quos contra Semipelagianos pro electione gratiæ contra præſcientiariam in fine vitæ conſcripſit. Ubi cùm dixiſſet: M. Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas Sanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe": continuò ſubjecit: "Puto tamen, eis, qui de hac re ſententias Tractatorum requirunt, Sanctos & in fide atque doctrinâ Chriſtianâ laudabiliter uſquequaque diffamatos viros, Cyprianum & Ambroſium, quorum tam clara teſtimonia poſuimus, debere ſufficere". Nec ſatisfit dicendo, ſermonem hic eſſe non de electione ad gloriam, ſed de prædeſtinatione ad gratiam. Hæc quippe duo ita ſibi cohærent, ut quiſquis circa alterutram vel erraverit vel rectè ſenſerit, circa alteram quoque erraturus ſit conſequenter, aut rectè ſenſurus. Unde cùm Proſper ſententiam Maſſilienſium de gratiâ commemoraſſet, mox ſubdidit: N. In iſtam verò talis gratiæ prædicationem hi, quorum contradictione offendimur, cùm priùs meliora ſentirent, ideò ſe vel maximè contulerunt, quia ſi profiterentur ab eâ omnia bona merita præveniri, & ab ipsâ ut poſſint eſſe donari, neceſſitate concederent, Deum ſecundùm propoſitum & conſilium voluntatis ſuæ, occulto judicio, & opere manifeſto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam". Idem denique Proſper, cùm in Epiſtolâ ad Ruffinum commemoraſſet eam gratiam quam Auguſtinus à priſtino errore divinitùs correctus prædicabat, adjecit: "Ab hac autem confeſſione gratiæ Dei, ideò quidam reſiliunt, ne cùm eam talem confeſſi fuerint, qualis divino eloquio prædicatur, & qualis opere ſuæ poteſtatis agnoſcitur, etiam hoc neceſſe habeant confiteri, quòd ex omni numero hominum per ſæcula cuncta natorum certus apud Deum definituſque ſit numerus prædeſtinati in vitam æternam populi, & ſecundùm propoſitum Dei vocantis electi. Quod quidem tam impium eſt negare, quàm ipſi gratiæ contraire". Sunt ergo duæ illæ ſententiæ ita ſibi connexæ ac ſubordinatæ, ut impoſſibile ſit errari circa unam, quin erretur circa alteram; aut è diverſo rectè ſentiri circa unam, quin rectè ſentiatur circa alteram. Atque hinc eſt quòd Celeſtinus Papa cùm in Epiſtolâ ad Gallicanos Epiſcopos congeſſiſſet complures authoritates, quibus Auguſtini doctrina de gratiâ adverſus Maſſilienſes aſtruebatur, cenſuerit totam controverſiam ſufficienter per eaſdem authoritates

Matt 25.34.

I. Pelag. apud. Aug. l de Gratiâ Chriſti c.43.

K. Aug. l.1. contra Iul. cap.3. 1. Cor.4.15. Tit, 3.5.

L. Amb. l.5. de Fide c.3.

M Aug. l. de Bono perſever. c.19.

PRÆOCCUPATIO

N. Proſper Epiſt. ad Auguſtin.

tes decidi, tametſi nihil illic de electione ad gloriam exprimatur, quæ tamen inter partes potiſſimè controvertebatur: [O. Celeſtin. Epiſt. 1. cap. 3.] O. Ut pleniùs, „ait ibi Papa, qui in aliquo dubitant, in„ſtruantur, conſtitutiones Sanctorum Patrum „compendioſo manifeſtamus indiculo: quo „ſi quis non nimiùm eſt contentioſus agnoſ„cat, omnium diſputationum connexionem „ex hac ſubditarum authoritatum brevitate pendere". Cùm igitur hæc ſententiarum cohærentia, ac diſputationum condependentia, nec Auguſtinum latuerit nec Ambroſium; optimè Auguſtinus ex Ambroſii aſſertis de prædeſtinatione ad gratiam, colligendum cenſuit quid ille ſenſerit de electione ad gloriam. Parùm verò refert quid de electione ad gloriam ſenſerit author commentariorum in Paulinas Epiſtolas, nomen Ambroſii præferentium; cùm is nequaquam ſit verus Ambroſius, ſed Ambroſii nomine perſonatus Hilarius Diaconus, Luciferiani ſchiſmatis vexillifer, quem Hieronymus [P. Hieron. Dialog. contra Lucif. cap. 9.] P. *Orbis Deucalionem* feſtivè appellat: de quo videri poteſt Bellarminus lib. de Script. Eccleſ. in *Ambroſio*, necnon [Bellarmin.] Cenſores Lovanienſes in Cenſurâ libri Quæſtionum utriuſque Teſtamenti, in Appendice tomi 4. Operum Auguſtini. Quod verò ſub ejuſdem Ambroſii nomine allegatur ex lib. 5. de Fide c. 2. non eſt legitimum Ambroſii teſtimonium, ſed aſſumentum aliunde intruſum, nec in vetuſtioribus Ambroſii exemplaribus etiam impreſſis repertum: prout in Juſtificatione ſuæ Cenſuræ cap. 3 teſtata eſt ab annis [Lovanienſes.] jam penè octoginta Facultas Theologica Lovanienſis, quæ & addit: *Haud ſcire ſe quânam ratione in Ambroſii textum irrepſiſſe potuerit.*

CLXIII. Supereſt expedienda difficultas illa huic loco propria, initio ſuperioris §. propoſita, quomodò ſcilicet Ambroſius dixerit regnum cæleſte fuiſſe mulieri forti *paratum, propter fructus manuum eius*, hoc eſt, propter merita bonorum operum quibus ſe in hujus vitæ peregrinatione impendit; ſi ille non ſenſerit electionem ad gloriam ſubniti prævisione meritorum. Etenim quando aſſertoribus gratuitæ electionis objicitur ſententia illa Judicis [Matt. 25. 34. & 35.] extrema; *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione Mundi: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare* &c. Communiter & obviè reſponderi ſolet, poſteriorem partem, & in eâ ſignanter voculam *enim*, non continere cauſam ſeu rationem *parationis* regni, quæ videtur importare electionem ſeu prædeſtinationem Dei æternam; ſed potiùs *poſſeſſionis* in tempore adipiſcendæ: ut nimirùm ſenſus non ſit, *Paratum vobis eſt regnum, quia eſurienti mihi dediſtis manducare*: ſed, *Poſſidete regnum, quia eſurienti mihi dediſtis manducare*. Quæ reſponſio inde fit luculentior & ſuaſibilior, quòd in eodem Judicio perhibetur Judex dicturus reprobis ad ſiniſtram conſtitutis, *Diſcedite à me maligni in ignem æternum, qui paratus eſt* [Ibid. v. 41. & 42.] *diabolo & Angelis eius: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare* &c. Ubi nullo modo dici poteſt, quòd poſterior pars aſſignet cauſam *parationis*, ſed potiùs *diſceſſionis* importatæ per verbum *Diſcedite*. Nulli enim in mentem venire poteſt, quòd propterea *paratus ſit ignis diabolo & Angelis eius*, quia reprobi homines *eſurienti Chriſto non dederunt manducare*: facilè autem cuique in mentem venit, quòd propterea jubendi ſint reprobi *diſcedere in ignem æternum*, quia eſurienti in ſuis membris Chriſto non dederunt manducare. Cùm ergo utrobique ſimilis ſit locutio, utrobique cenſenda eſt aſſignari cauſa ſeu ratio non quidem *parationis*, ſed illic *poſſeſſionis*, iſtic *diſceſſionis*. Sed quoniam Ambroſius aliam inivit conſtruendi rationem, videndum eſt qualiter ſalvari queat ejus conſtructio, abſque ullâ electionis gratuitæ ad gloriam præjudicio. Notet interim lector, clauſulam iſtam Ambroſiani textûs de quâ diſſerimus, abeſſe prorsùs à textu Auguſtini, qui tamen toto penè reliquo tractatu ſuo de hâc Muliere forti, tractatum Ambroſii verbatim tranſcribere ſueverat: ex quo alterutrum è duobus ſuſpicari quis poſſet, vel nimirùm dictam clauſulam in Ambroſii textu primitùs defuiſſe, nec niſi poſt Auguſtini tranſcriptionem in eum irrepſiſſe: vel certè eam clauſulam Auguſtino diſplicuiſſe, atque idcircò ab eo prætermiſſam fuiſſe. Diſplicuiſſe, inquam, non quòd ſano ſenſu non poſſet intelligi, ut mox videbimus; ſed quòd cavillandi anſam Pelagianis aut Semipelagianis, poſt Ambroſii deceſſum exortis, præbere poſſet. Hanc enim inter alias utilitatem afferunt catholicis Tractatoribus emergentes hæreſes, quòd reddant eos in ſcribendo & loquendo circumſpectiores & præciſiores. Priùs quàm Pelagiana hæreſis exurgeret, Chryſoſtomus alicubi dixerat *baptizari parvulos, quamvis peccata non habentes*. Quem locum obtendenti Juliano reſpondit Auguſtinus: [Q. Aug. l. 1. cont. Iul. cap. 6.] Q. Intellige *pro„pria*, & nulla contentio eſt. At inquies, cur „non ipſe addidit *propria*? Cur putamus, niſi „quia diſputans in Catholicâ Eccleſiâ, non ſe „aliter intelligi arbitrabatur, tali quæſtione „nullus pulſabatur, vobis nondum litigantibus ſecuriùs loquebatur". Ex quo apparet, Chryſoſtomum cautiùs & circumſpectiùs de parvulorum impeccantiâ locuturum fuiſſe, ſi poſt Pelagianiſmi exortum prædicta ſcripſiſſet: quemadmodùm etiam Auguſtinus ipſe multò circumſpectiùs ſcripſit poſt Pelagianorum cœpta litigia, quàm ante. Unde Anſelmus de priſcis Eccleſiæ Tractatoribus loquens: [R. Anſel. l. de Sacramento Altaris p. 2. cap. 13.] R. Multa, inquit, ab eis relicta ſunt, „quæ benè quidem dicta, ſed obſcuriùs, ut„pote ab eis dicta qui ut homines prævidere „non poterant venturas omnes errorum ca„lumnias, malè intellecta materiam errandi

„ vel contendendi perditis videntur præſtare. „ Quæ Beato Auguſtino in multis acidiſſe „ non ignorant, qui librorum ejus lectionem „ habent familiarem. Antequam enim Pela- „ giana hæreſis exurgeret, in libris quos jam „ ediderat non pauca poſuit, quæ exurgens „ exinde illa hæreſis ſic ſumpſit ad patroci- „ nium ſui erroris, ut etiam paria ſecum ſen- „ tire jactaret virum per omnia catholicum. „ Unde illi neceſſitas impoſita eſt plures poſtea „ libros contra peſtem illam edere; & confi- „ teri crebrò, benè dicta ſua, ad vitandum ta- „ men pravum legentium intellectum, aliter „ quàm dixerat debuiſſe ſe dixiſſe. Quod ſcire „ poteſt, qui libros Retractationum ejus lege- rit, alioſque quos ipſe conſcripſit". Appoſitè admodùm & facundè Facundus Hermianenſis in libro adverſùs Mocianum ait: [S] Fauſtus „ Gallus in quæſtione liberi arbitrii, malè in- „ tellectis & incongruè adhibitis Beati Au- „ guſtini ſententiis, fallebat, & in aſſenſionem „ erroris inducebat incautos: qui tamen à „ Sanctæ memoriæ Fulgentio Ruſpenſi de- „ tectus, atque convictus eſt. Quid autem in „ hoc miremur? Neque enim meliùs loqui „ potuit Auguſtinus, quàm Prophetæ, quàm „ Apoſtoli, & Euangeliſtæ; quorum verbis „ ſimiliter malè intellectis, & incongruè ad- „ hibitis, tàm multi hæretici ſuos defendere conantur errores". Sed nec minùs appoſitè ipſe Auguſtinus, à quo Facundus poſtremam ſuæ ſententiæ jam relatæ partem ſumpſiſſe videtur: „ [T] Arbitror ſanè, inquit, nonnullos tardiores, „ in quibuſdam locis librorum meorum opi- „ naturos me ſenſiſſe quod non ſenſi, aut non „ ſenſiſſe quod ſenſi: quorum errorem mihi „ tribui non debere quis neſciat, ſi velut me „ ſequentes neque apprehendentes deviaverint „ in aliquam falſitatem, dum cogor per quæ- „ dam denſa & opaca viam carpere? quando- „ quidem nec ipſis ſanctis divinorum librorum „ authoritatibus ullo modo quiſquam rectè „ tribuerit tam multos & varios errores hære- „ ticorum, cùm omnes ex iiſdem Scripturis „ falſas atque fallaces opiniones ſuas conentur defendere". Porrò quæ hìc in ſpecie de Au- guſtino vel Facundus vel ipſemet Auguſtinus aſſerit, aliis ſimiliter probatis Eccleſiæ Ma- giſtris applicari cum proportione poſſunt, ſig- nanter Ambroſio, quem proximo §. relatus tantoperè veneratur ac prædicat ipſe Auguſti- nus, & cum ipſo orbis Romanus.

S. Facundus Hermian. l. contra Mocianum, ſub initium.

T. Auguſt. l. 3. de Trinit. c. 3.

CLXIV. Cæterùm cùm certum ſit Am- broſium verbis in diſceptationem vocatis al- luſiſſe ad finalem Judicis ſententiam à Mat- thæo capite ſui Euangelii 25. deſcriptam, & à nobis initio proximi §. relatam; quâ *bene- dicti patris*, id eſt, electi, invitantur & ad- mittuntur ad *percipiendum regnum ſibi paratum*: proculdubiò non aliam intelligere vult *para- tionem regni*, quàm Chriſtus ab Euangeliſtâ re- latus intellexerat. Ac per hoc ſi Chriſtus non intellexerit illic eam *parationem* quæ coincidit cum æternâ Dei prædeſtinatione, ſive ad glo- riam electione, ſed temporariam, operato- riam, externam; certè nec Ambroſius de illâ, ſed de iſtâ intelligendus venit: atque ita ceſſat & evacuata eſt præſens difficultas. Neque enim ambigitur quin abſque ullo præjudicio prædeſtinationis & electionis gratuitæ poſſit temporaria & externa *regni paratio*, ſicut etiam ipſa regni perceptio, aditio, poſſeſſio, fundari in prævifione vel exhibitione meritorum. At- qui Chriſtus illic non intellexit *parationem* prædeſtinatoriam æternaliter à Deo decretam ac ſtabilitam, ſed temporaliter factam: Ergo de hac eadem intelligendus eſt Ambroſius. Minor probatur ex ipſis Chriſti verbis ab Euangeliſtâ memoratis, quibus *regnum* dicitur *paratum*, non ab æterno, non ante ſæcula, non ante tempora ſæcularia, non priuſquam Mun- dus fieret, non denique ante Mundi conſti- tutionem: ſed ſignatè ac determinatè, *à con- ſtitutione Mundi*. Ubi Syriaca editio latinizata eodem prorſùs modo habet: Arias Montanus vertit, *à fundamento Mundi*: Eraſmus deni- que, *ab exordio Mundi*. Ex quibus omni- bus editionibus non plus elicitur quàm quòd illa, de qua ſermo eſt, *Paratio regni* coæ- va ſit Mundo. Si autem coæva Mundo, certè non eſt æterna; ſed temporaria perinde ac ipſe Mundus cui eſt coæva. Si Chriſtus æternam voluiſſet intelligere *parationem*, non dixiſſet *à conſtitutione Mundi*, ſed *ante conſtitutio- nem Mundi*, ſicut loquitur Paulus ad Epheſios 1. 4. vel *ante tempora ſæcularia*, ſicut idem Pau- lus ait 2. Tim. 1. 9. & ad Tit. 1. 2. vel de- nique *priùs quàm Mundus eſſet*, quemadmodùm ipſe Chriſtus loquitur Joan. 17. 5. Certè enim niſi *paratio Regni* ſumeretur aliquando pro temporariâ ejus aptatione, non dixiſſet diſci- pulis Chriſtus in cælum aſcenſurus, *Vado parare vobis locum*. Ubi Syriaca editio habet, *Proficiſcor paraturus vobis locum*: & Eraſmiana, *Vado para- turus vobis locum*. Neque verò pugnant; para- tum fuiſſe ab æterno regnum electis prædeſti- natoriè; & paratum fuiſſe iiſdem regnum à conſtitutione Mundi, vel adhuc parari, vel in finem uſque Mundi parandum fore, execu- toriè; ſive, ut Auguſtinus loquitur, opera- toriè: [V] Quomodò intelligi poſſunt, ait ille, „ non eſſe inter ſe duo iſta contraria, quòd „ cùm dixiſſet Dominus, *In domo Patris mei* „ *manſiones multa ſunt: ſi quo minùs, dixiſſem vobis,* „ *quia vado parare vobis locum*. Ubi ſatis oſtendit, „ ideò ſe hoc illis dixiſſe, quia jam ibi ſunt „ manſiones multæ, & non eſt opus aliquam „ præparare. Rurſùs dicit, *Et ſi abiero, &* „ *præparavero vobis locum; iterum veniam, & ac-* „ *cipiam vos ad me ipſum: ut ubi ego ſum, & vos* *ſitis*.

Matt. 25. 34. & 35.

Eph. 1. 4.
2. Tim. 1. 9.
Tit. 1. 2.
Joan. 17. 5.
Joan. 14. 2.
V. Auguſt. Tract. 68. in Joan.
Joan. 14. 2. & 3.

Digitized by Google

„ *ſitis*. Quomodò vadit, & parat locum, ſi
„ jam *multæ manſiones ſunt: Si quo minus, dixiſſem,*
„ *vado parare*? Aut ſi adhuc parandus eſt, cur
„ non meritò dixiſſet, *vado parare*? An iſtæ
„ manſiones & ſunt, & parandæ ſunt? *Si quo mi-*
„ *nus* enim *eſſent, dixiſſet, Vado parare*: & tamen
„ quia ita ſunt ut parandæ ſint, non eas vadit
„ parare ſicut ſunt; ſed ſi abierit & paraverit
„ ſicut futuræ ſunt, *iterum veniens accipiet ſuos*
„ *ad ſeipſum, ut ubi eſt ipſe, ſint etiam ipſi*. Quo-
„ modò ergo manſiones in domo Patris non
„ aliæ, ſed ipſæ; & ſine dubio jam ſunt ſicut
„ parandæ non ſunt, & nondùm ſunt ſicut pa-
„ randæ ſunt? Quomodò putamus, niſi quo-
Iſa. 45. 11. juxta 70. „ modò etiam Propheta prædicat Deum, *quia*
„ *fecit quæ futura ſunt*? Non enim ait, quia fac-
„ turus eſt quæ futura ſunt, ſed *quia fecit quæ*
„ *futura ſunt*. Ergo & fecit ea, & facturus eſt
„ ea: nam neque facta ſunt, ſi ipſe non fecit;
„ neque futura ſunt, ſi ipſe non fecerit. Fecit
„ ergo ea prædeſtinando, facturus eſt operan-
„ do: ſicut diſcipulos quando elegerit, ſatis
„ indicat Euangelium; tunc utique quando
Eph. 1. v. 4. „ eos vocavit: & tamen ait Apoſtolus, *Elegit*
„ *nos ante Mundi conſtitutionem*, prædeſtinando
Rom. 8. 30. „ utique, non vocando: *Quos autem prædeſti-*
„ *navit, illos & vocavit*. Elegit ergo prædeſti-
„ nando, ante Mundi conſtitutionem; elegit
„ vocando, ante Mundi conſummationem.
„ Sic & manſiones præparavit, & præpa-
„ rat; nec alias, ſed quas præparavit, has præ-
„ parat, *qui fecit quæ futura ſunt*: quas præ-
„ paravit prædeſtinando, præparat operan-
„ do". Ex quibus manifeſtum eſt, Auguſti-
num conſtituere duplicem manſionum cæ-
leſtium *parationem*, perinde ac duplicem man-
ſorum *electionem*: unam ſcilicet æternam, Deo-
que internam; alteram temporariam, Deoque
externam. Harum prima dicitur prædeſtina-
tio, quam Auguſtinus deſcribit lib. de Bono
Perſeverantiæ cap. 14. *Præſcientiam &* PRÆ-
PARATIONEM *Beneficiorum Dei, quibus*
certiſſimè liberantur quicunque liberantur. De hac
Fulgentius: W· Illi, inquit, cum Chriſto re-
W Fulg. l. de Fide ad Petrum c. 3. „ gnabunt, quos Deus GRATUITA BONI-
„ TATE SUA prædeſtinavit ad regnum. Quia
„ enim tales prædeſtinando PRÆPARAVIT ut
„ regno digni eſſent, præparavit utique ſe-
„ cundùm propoſitum vocandos ut obediant,
„ præparavit juſtificandos ut acceptâ gratiâ
„ rectè credant & benè vivant, præparavit
„ etiam glorificandos ut Chriſti cohæredes
„ effecti regnum cælorum ſine fine poſſi-
„ deant". Altera *paratio*, in operatione Dei ex-
ternâ ſeu tranſeunte conſiſtens, non niſi à crea-
turarum conditu cœpit, quando nimirum
Deus cælum empyreum condidit, & in eo
Ioan. 14. 2. *manſiones multas* pro numero ac merito electo-
rum illuc perducendorum diſpoſuit. Et de hac
paratione locutus eſt Chriſtus, cùm *regnum*

diceret eſſe *Benedictis Patris paratum à conſtitu-* *Mat. 25. 34.*
tione Mundi. Unde Janſenius in ſuâ Concordiâ
poſtquam retuliſſet eorum ſententiam qui lo-
cum illum intelligunt de *paratione* æternâ ſeu
prædeſtinatoriâ, continuò ſubdidit: X· Po- *X Ianſen. in Concor. Euangel. cap. 127.*
„ teſt tamen *paratum regnum* intelligi primùm
„ in ipſâ Mundi creatione, quia tunc locus
„ regni aptatus eſt felicitati accommodus".
Enimverò nec tunc quidem univerſa *paratio*
plenè peracta eſt, alioquin non diceret ſuis
diſcipulis Chriſtus, *Vado parare vobis locum*: *Ioan. 14. 2.*
Eſt ergo quædam *paratio* quam uſque adhuc
facere pergit Chriſtus, poſt cujus demùm
completionem *iterum veniet, & accipiet ſuos ad* *Ibid. v. 3.*
ſeipſum: Y· Parat quodammodò manſiones, in- *Y Auguſt. Tract. 68. in Joan.*
„ quit de Chriſto Auguſtinus, parando man-
„ ſionibus manſores. Quippe cùm dixerit, *In* *Ibid. v. 2.*
„ *domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, quid pu-
„ tabimus eſſe domum Dei, niſi templum
„ Dei? Quod autem ſit, interrogetur Apoſto-
„ lus, & reſpondeat: *Templum Dei ſanctum eſt,* *1. Cor. 3. 17.*
„ *quod eſtis vos*. Hoc eſt etiam regnum Dei,
„ quod Filius traditurus eſt Patri, unde dicit
„ idem Apoſtolus: *Initium Chriſtus, deinde qui* *1 Cor. 15. 23. & 24.*
„ *ſunt Chriſti in præſentiâ ejus: deinde finis, cùm*
„ *tradiderit regnum Deo & Patri*; id eſt, quos re-
„ demit ſanguine ſuo, tradiderit contemplan-
„ dos etiam Patri ſuo. Hoc eſt regnum cælo-
„ rum, de quo dicitur: *Simile eſt regnum cælo-* *Mat. 13. 24. & 38.*
„ *rum homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo:*
„ *bonum autem ſemen, hi ſunt filii regni*: qui etſi
„ nunc habeant permixta zizania, *Mittet in fine* *Ibid. v. 41. & 43.*
„ *Rex ipſe Angelos ſuos, & colligent de regno ejus*
„ *omnia ſcandala. Tunc juſti fulgebunt ſicut Sol in*
„ *regno Patris ſui*. Regnum fulgebit in regno,
„ cùm regnum venerit in regnum: quod nunc
„ oramus, & dicimus: *Veniat regnum tuum*. *Mat. 6. 10.*
„ Nunc ergo etiam *Regnum* vocatur, ſed adhuc
„ convocatur. Si enim regnum non vocare-
„ tur, *colligent de regno ejus omnia ſcandala* non
„ diceretur. Sed nondum regnat hoc regnum:
„ proinde ſic jam eſt regnum, ut cùm de illo
„ collecta fuerint omnia ſcandala, tunc per-
„ veniat ad regnum: ut non ſolùm regni no-
„ men, ſed etiam regnandi habeat poteſtatem.
„ Huic quippe regno ad dexteram ſtanti in
„ fine dicetur, *Venite benedicti Patris mei, perci-* *Mat. 25. 34.*
„ *pite regnum*, id eſt, Qui regnum eratis &
„ non regnabatis, venite, regnate: ut quod in
„ ſpe fueratis, etiam in re eſſe poſſitis. Hæc
„ ergo domus Dei, hoc templum Dei, hoc
„ regnum Dei, regnumque cælorum, adhuc
„ ædificatur, adhuc fabricatur, adhuc PARA-
„ TUR, adhuc congregatur: in illo erunt
„ manſiones, ſicut eas adhuc *parat Dominus*;
„ in illo jam ſunt manſiones, ſicut prædeſtina-
vit jam Dominus".

CLXV. Ex his ſatis liquidò cernitur quàm
parum roboris accedat prædeſtinationis retri-
butionariæ aſſertoribus ex eo quòd Ambroſius

 ſcripſe-

ſcripſerit *paratum fuiſſe Mulieri forti regnum propter fructus manuum eius*: quandoquidem ſermo non ſit Ambroſio, uti nec Chriſto quem reſpicit, de *paratione* prædeſtinatoriâ Deo coæternâ, ſed de executoriâ ſive operatoriâ Mundo ſynchronâ. Nihil enim vetat, effectum quempiam prædeſtinationis aut electionis cadere ſub meritum, ſive præviſum, ſive etiam reipsâ exhibitum; quamvis ipſa prædeſtinatio ſive electio nequaquam nitatur ullo merito, ſive jam poſito, ſive etiam præviſo. Etſi enim fieri nequeat quin cauſa cauſæ ſit cauſa cauſati, fieri tamen poteſt, & crebrò etiam fit, ut cauſati cauſa non ſit cauſæ cauſa. Quis enim neſciat in humanis patrem eſſe cauſam ſui filii, cùm tamen non ſit cauſa avi vel proavi ejuſdem filii. *Iſaac genuit Iacob*, num idcircò dicendus eſt genuiſſe Abrahamum aut Thare, avum ſcilicet aut proavum ejuſdem Jacob? Num quiſquis cauſat aliquam creaturam, cauſat idcircò Deum, cauſam primam ejuſdem creaturæ? Verùm prædicti aſſertores videntur ſibi aliunde acquirere patrocinium Ambroſii, ex libris ſcilicet de vocatione Gentium, ubi ille apertiſſimè ait: Z. *Fruſtrà dicitur, quòd ratio operandi non ſit in electis; cùm etiam ad hoc operentur, ut electi ſint.* Si ad hoc operentur, ut ſint electi: Ergo per opera fit ut ſint electi; atque adeò ex operibus pendet ac ſuſpenditur electio. At profectò iſta objectio non concernit Ambroſium; ſiquidem libri iſti de vocatione Gentium falsò affinguntur Ambroſio: quippe quorum ſtylus nullatenus redolet Ambroſium, & materia non quadrat in tempora Ambroſii. Nam ad ſtylum quod attinet, lector attentus faciliùs animadvertet non eſſe Ambroſianum, quàm Galaaditæ dignoverunt *Sibboleth* non eſſe vocem Galaadicam, ſed Ephrathæam; vel miniſtri Caiphæ *ex loquelâ* conjecerunt Petrum non eſſe Hieroſolymitam, ſed Galilæum. Nec item minùs patenter materia diſcongruit Ambroſio: quippe qui ante notam & fortè etiam natam Pelagii hæreſim obierat, cùm tamen ii libri Pelagianam hæreſim non modò natam & notam, ſed & jam pridem damnatam impugnent. Ibi namque inter alia legitur: A. Fato non baptizari parvulos nec *Pelagiani* potuerunt dicere: „ſed quia eos à peccato liberos auſi ſunt profiteri, meruére damnari". Rursùs lib. 2. c. 8. impia illa Pelagianorum Maxima ab omnibus veritatis diſcipulis explodi perhibetur: *Habet gratia quod adoptet, non habet unde quod diluat.* Accedit quòd Auguſtinus diſertè Ambroſium numeret inter eos Eccleſiæ Doctores, de quibus ait Juliano Pelagianiſtæ: B. I nunc, & „ mihi objice originale peccatum: diſſimula „ ab iſtis, finge te neſcire quid dicant; & San„ ctæ Eccleſiæ tot tantoſque Doctores, qui „ vitâ optimè geſtâ, debellatiſque ſuorum „ temporum erroribus, glorioſiſſimè de hoc „ ſæculo, ANTEQUAM VOS EBULLI„ RETIS, exiérunt; velut eis non viſis, in „ me impetum faciens, & velut neſciens quòd „ illi ſub meo nomine lacerentur, tanquam ſe„ curus inſulta". Ex quo planum fit, Ambroſium è vivis exceſſiſſe, *priuſquam Pelagiani ebulliſſent*: atque adeò eundem Ambroſium nequaquam illorum librorum authorem extitiſſe, ac proinde ejus patrocinium fruſtrà inde implorari. Cæterùm quia iidem libri à noſtris Lovanienſibus, partim ex ſtyli ſimilitudine, partim ex veterum manuſcriptorum fide, adjudicantur Beato Proſpero; providendum nobis eſt, ne prædicta inſtantia vim habeat ex authoritate ſi non Ambroſii, at ſaltem Proſperi. Nam verba ſuperiùs ſub Ambroſii nomine objecta habentur apud Proſperum lib. 2. de vocat. Gentium cap. 35. Ubi obiter obſervet lector, libros iſtos in longè plura capita diſtribui apud Proſperum, quàm in Operibus Ambroſii, cùm tamen textus utrobique ſit idem. Primus liber apud Proſperum conſtat capitibus viginti quinque, ſed brevioribus; apud Ambroſium verò abſolvitur novem capitibus, ſed multò profuſioribus: ſimiliter & ſecundus liber apud Proſperum conſtat capitibus triginta ſeptem, ſed brevioribus; apud Ambroſium verò abſolvitur capitibus decem, ſed prolixioribus. Ad inſtantiam itaque objectam, quatenùs Proſperi authoritatem concernit, reſpondendum eſt, ejus totam vim niti mendo typographico, ob tranſpoſitionem conjunctionis, *ut*, irrepto, quæ perperam poſtpoſita eſt verbo, *operentur*, cui debuiſſet omnino præponi, ut ita legeretur: *Fruſtrà dicitur, quòd ratio operandi non ſit in electis; cùm etiam ad hoc ut operentur, electi ſint.* Quam lectionem ipſe contextus neceſſariò exigit, futurum alioquin ut unum membrum alteri deroget. Præcedit quippe ibidem proximè: *Deus ergo his quos eligit SINE MERITIS, dat unde ornentur & meritis.* Si Deus *eligit ſine meritis*, non ergo operantur homines *ut electi ſint*; ſed ex adverſo, *ut operentur electi fuerunt.* Notavit hoc ipſum jam pridem & evulgavit P. Arrubal: qui hanc ipſam inſtantiam ſibi objectam diluens: C. Conſtat, „ inquit, in eo loco illam particulam, *ut*, per „ errorem eſſe poſtpoſitam verbo, *operentur*; cùm „ ante illud eſſe debeat, hoc modo: *Cùm etiam* „ *ad hoc ut operentur, electi ſint.* Sic habent „ libri correcti, & ex contextu eſt manife„ ſtum: proximè enim redditur hæc ratio, *quia* „ *virtutum munera otioſa eſſe non poſſunt. Non igitur* „ *ad hoc datur continentia, ut concupiſcentiis non* „ *repugnet; neque ſapientia, ut non die & nocte* „ *meditetur.* Itaque ſenſus eſt, Etiam in electis „ eſſe rationem operandi, quia ad hoc accipiunt dona gratiæ, ut operentur".

Marginal notes: *Matt. 1. 2.* — INSTANTIA. — Z. Ambroſ. lib. 2. de vocat. Gent. cap. 10. — ELIDITUR. — *Iud. 12. 6.* — *Matt. 26. 73.* — A. Idem l. 1. cap. 7. — B. Auguſt. l. 1. contra Jul. cap. 4. Vide lib. 2. cap. 10. — C. Arrubal in 1. p. Diſp. 72. cap. 1. n. 4.

CAPUT

CAPUT XLVII.

Mulieri forti ſub hominis myſtici parabolâ aſſignantur varij ætatum gradus, ſignanter ex Proſpero juventus, ætas major, ſenectus. *Galeno ætas hominis paracmaſtica quandonam incipiat, & deſinat? Trina Eccleſiæ tempora ex Auguſtino memorantur*, ante legem, ſub lege, ſub gratiâ; *quorum quolibet viſitavit Deus plebem ſuam. Pelagij ac diſcipulorum ejus abuſio, ſine hujus partitionis reſpuenda præjudicio. Non ſatis plena eſt diſtributio fidelium, in eos qui præceſſerant, & eos qui ſubſequuntur converſantem hìc Chriſtum. Quod ſcriptum eſt*, Non eſſe aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat nos fieri ſalvos, *ex illo tempore valet ad ſalvandum genus humanum, ex quo in Adam eſt vitiatum. Myſterijs pro temporum ratione variatis, fides in Chriſtum quâ vivimus nullâ fuit ætate diverſa. Statim ut humanum genus diabolica malignitas veneno ſuæ mortificavit invidiæ, Deus ſuæ pietatis remedia renovandis mortalibus prædeſtinata, inter ipſa Mundi primordia præſignavit; denuncians Serpenti futurum ſemen Mulieris, quod noxij capitis elationem ſuâ virtute contereret. In causâ primi & ſecundi Adam, quorum ille nos præcipitavit in mortem, iſte liberavit ad vitam, propriè fides Chriſtiana conſiſtit. Chriſtus Dei & hominum mediator eſt non ſub eâ ratione quâ æqualis eſt Patri, ſed ſub eâ quâ conſubſtantialis nobis, ſuperior tamen nobis.*

CLXVI. EXpedito hunc in modum encomio Mulieris fortis, in Proverbiis alphabeticè metricèque digeſto, regrediamur ad illud, quod præcinente ipsâ cantandum didicimus ex decimo graduum Cantico: *Sæpe expugnaverunt me à juventute meâ, etenim non potuerunt mihi.* (Pſal. 128. 2.) Hanc quippe exultationis vocem Mulieri huic forti ſuperiùs per aliquot capita vendicavimus, & quæcunque obſtare videbantur depulimus. (Vide ſuprà cap. 2. & aliquot ſequentibus.) Porrò cùm ipſa hìc ſuæ meminerit *juventutis*, tacitè nos admonet ut ipſam conſideremus ſub diverſis ætatum gradibus: quorum tres tantummodò recenſet Proſper in iſtius verſiculi commentario, juventutem, ætatem majorem, ſenectutem: E Eccleſia, inquit ipſe ibi, ſive „ in *juventute* ſuâ, ſive in *ætate maiore*, ſive in *ſe-* „ *nectute* ultimi jam ſæculi, nullis oppreſſionibus, nullis eſt victa ſuppliciis". (E. Proſp. in Pſal. 128.) Ubi ſub *ætate maiore* comprehendit totum vitæ decurſum qui inter *juventutem* & *ſenectutem* mediat; quam aliqui *ſtatam*, alii *conſiſtentem*, Medici denique *paracmaſticam* appellant: quæ juxta Galenum communiter incipit ab anno ætatis humanæ trigeſimo quinto, quo finitur juventus; & durat in annum uſque quadrageſimum nonum, quo inchoatur ſenectus. Invenio quoque apud Auguſtinum aſtrui quandam analogiam populi Dei, id eſt, Eccleſiæ in terris militantis, cùm homine phyſico, hanc vitam per tres ætatum gradus decurrente, ac tandem ad felicem ſtatum beatæ vitæ, quaſi ad quartum ætatis gradum, pertingente: F. Cùm in altiſſimis, (F. Auguſt. Enchiridii cap. 118.) „ ait ipſe, ignorantiæ tenebris, nullâ reſiſtente „ ratione, vivitur ſecundùm carnem: hæc ſunt „ prima hominis. Deinde cùm *per legem cog-* (Rom. 3. 20.) „ *nitio fuerit facta peccati*, ſi nondùm divinus „ adjuvat ſpiritus, ſecundùm legem volens „ vivere vincitur, & ſciens peccat, peccato- „ que ſubditus ſervit: *A quo enim quis devictus* (2. Pet. 2. 19.) „ *eſt, huic & ſervus addictus eſt*; id agente ſcien- „ tiâ mandati, ut *peccatum operetur in homine* (Rom. 7. 8.) „ *omnem concupiſcentiam*, cumulo prævarica- „ tionis adjecto, atque ita quod ſcriptum eſt „ impleatur, *lex ſubintravit ut abundaret deli-* (Rom. 5. 20.) „ *ctum*: hæc ſunt ſecunda hominis. Si autem „ reſpexerit Deus, ut ad implenda quæ man- „ dat ipſe adjuvare credatur; & *agi* homo cœ- (Rom. 8. 14.) „ perit *Dei ſpiritu*, concupiſcitur adverſus car- „ nem fortiore robore charitatis; ut quamvis „ ſit adhuc quod homini repugnet ex homine, „ nondùm totâ infirmitate ſanatâ, *ex fide tamen* (Rom. 1. 17.) „ *juſtus vivat*, juſtèque vivat, inquantùm non „ cedit malæ concupiſcentiæ, vincente dile- „ ctione juſtitiæ: hæc ſunt tertia bonæ ſpei „ hominis, in quibus ſi piâ perſeverantiâ quiſ-

que

,, que proficiat, poſtrema pax reſtat, quæ poſt
,, hanc vitam in requie ſpiritûs, deinde in re-
,, ſurrectione etiam carnis, implebitur. Ha-
,, rum quatuor differentiarum prima eſt ante
,, legem, ſecunda ſub lege, tertia ſub gratiâ,
,, quarta in pace plenâ atque perfectâ. Sic &
,, Dei populus eſt ordinatus per temporum in-
Sap. 11. 21. ,, tervalla ſicut Deo placuit, qui *in menſurâ*,
,, *numero*, *& pondere cuncta diſponit*: nam fuit
Ioan. 1. 17. ,, primitùs ante legem, ſecundò ſub *lege* quæ
,, *per Moyſen data eſt*; deinde ſub gratiâ, quæ
,, revelata eſt per primum Mediatoris adven-
,, tum: quæ quidem gratia nec antea defuit
,, quibus impartiri eam oportuit, quamvis pro
,, temporis diſpenſatione, velata & occulta:
,, neque enim antiquorum quicunque juſto-
,, rum præter Chriſti fidem potuit invenire
,, ſalutem; at verò niſi & illis cognitus fuiſ-
,, ſet, non potuiſſet nobis per eorum miniſté-
,, rium aliàs apertiùs, aliàs occultiùs prophe-
tari". Præter quartum igitur ætatis ſive ævi-
tatis gradum, quem populus Dei in futuro ſæ-
culo conſequetur nunquam finiendum, tres ei
in hac vitâ aſſignantur hìc gradus; qui ita cor-
reſpondent totidem gradibus ex Proſpero mox
ſuprà memoratis, ut qui gradus Proſpero eſt
iuventus, is Auguſtino ſit ſtatus populi Dei
ante legem; & qui Proſpero eſt *ætas maior*, is
Auguſtino ſit ſtatus ejuſdem populi *ſub lege*;
ac denique qui Proſpero eſt *ſenectus*, is Au-
guſtino ſit ſtatus ejuſdem populi *ſub gratiâ iam
Mediatoris*. Huic item propoſito accommodat
Auguſtinus Euangelicam parabolam ficulneæ
triennalis, ita tamen ut per ficulneam non
tam populum Dei ſpecialiter, quàm ipſum
genus humanum generaliter intelligi malit:
G. Auguſt. Serm. 31. de verbis Domini c. 1. ,, [G] Arbor ficulnea, ait ipſe, genus humanum
,, eſt: triennium autem, tria ſunt tempora,
,, unum ante legem, alterum ſub lege, tertium
,, ſub gratiâ. Non eſt autem importunum, ut
,, arbor ficulnea intelligatur genus humanum:
Gen. 3. 7. ,, primus enim homo quando peccavit, *foliis
,, ficulneis pudenda velavit*: hæc velavit, unde
nati ſumus, membra". Et ſuperiùs ibidem
Serm. 12. cap. 2. " Tanquam per triennium,
,, inquit, Dominus viſitavit genus humanum,
,, hoc eſt, tribus quibuſdam temporibus. Qui-
,, bus? Primum tempus ante legem fuit, ſe-
,, cundum in lege, tertium modò eſt, quod
,, tempus eſt gratiæ. Nam ſi non viſitavit ge-
,, nus humanum ante legem, unde *Abel*? unde
,, *Henoch*? unde *Noë*? unde *Abraham*? unde
,, *Iſaac*? unde *Iacob*? quorum Dominum ſe
,, dici voluit; & cujus omnes gentes erant,
Exod. 3. 6. ,, quaſi trium hominum Deus eſſet, *Ego ſum*, in-
,, quit, *Deus Abraham, & Iſaac, & Iacob*. In lege
,, autem ſi non viſitaret, ipſam legem non da-
,, ret. Poſt legem venit & ipſe paterfamilias:
,, paſſus eſt, mortuus eſt, reſurrexit, Spiri-
,, tum Sanctum dedit, Euangelium per to-
,, tum orbem terrarum prædicari fecit: & ad-
,, huc quædam arbor infructuoſa permanſit;
,, eſt quædam adhuc pars generis humani, quæ
ſe non corrigit". Quòd ſi fortè quis objiciat, PRÆOCCUPATIO
trimembrem hanc diviſionem reprehendi in
Pelagianis ab Auguſtino, cùm ait: [H] Non H. Auguſt. lib. de pec. orig. c. 26
,, igitur, ſicut Pelagius & diſcipuli ejus, tem-
,, pora dividamus, dicentes: *Primùm vixiſſe
,, iuſtos homines ex naturâ, deinde ſub lege, tertiò
ſub gratiâ*": reſponſio obvia eſt, non reprehendi
ab Auguſtino trimembrem diviſionem, ſed
malignam ejus applicationem, à Pelagio &
diſcipulis ejus attentatam; contendentibus
ſalvatos fuiſſe duorum priorum temporum ho-
mines per naturam, vel legem ei ſuperaddi-
tam, ſine gratiâ Chriſti Mediatoris: quod
planè erroneum cenſuit Auguſtinus; cùm
ſcriptum ſit de Chriſto, *Non eſt in alio aliquo* Act. 4. 12.
*ſalus: nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum ho-
minibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Maneat
igitur inconcuſſa prædicta trimembris diviſio,
ſed planè abjiciatur ab auribus & cordibus
Pelagiana ejus applicatio; retineatur legitimus
ejus uſus, ſed reſcidatur perverſus abuſus.

CLXVII. Non deerit fortè qui totum Ec-
cleſiæ cœtum in bina diſtribuat membra, quo-
rum unum vixerit ex fide Chriſti venturi, alte-
rum ex fide ejuſdem jam carne in præteritum
induti. Cùm enim fides in Chriſtum ſit velut
forma conſtitutiva Eccleſiæ Chriſti; pro diver-
ſo reſpectu hujus formæ ad Chriſtum, diverſus
exurgit ſtatus Eccleſiæ Chriſti; ut quæ ſub
uno ſtatu anteſpiciat, ſub altero retroſpiciat
Chriſtum. Sed hujus diſtributionis plenitu-
dini reclamare videntur, qui in eundem Chri-
ſtum credidère præſentem, colloquentem,
conveſcentem: quos Auguſtinus rectè duobus
reliquis membris interſerendos cenſuit, cùm
ſcriberet: [I] Dominus noſter ſuam medelam I. Auguſt. l. 2. de pecc. Meritis cap. 29.
,, nullis humani generis temporibus ante ulti-
,, mum futurum adhuc Judicium denegavit
,, eis, quos per certiſſimam præſcientiam &
,, juſtiſſimam beneficentiam ſecum regnaturos
,, in vitam prædeſtinavit æternam. Namque
,, ante nativitatem carnis, infirmitatemque
,, paſſionis, & virtutem reſurrectionis ſuæ,
,, earum rerum futurarum fide eos, qui tunc
,, fuerant, informabat ad hæreditatem ſalutis
,, æternæ; quarum rerum præſentium fide in-
,, formavit eos, qui cùm gererentur aderant, at-
,, que impleri prædicta cernebant; quarum &
,, jam præteritarum rerum fide eos, qui poſteà
,, fuerunt, & nos ipſos, & qui deinde futuri
,, ſunt, informare non ceſſat. Una ergo fides
,, eſt, quæ omnes ſalvos facit, qui ex carnali
,, generatione in ſpiritalem renaſcendo ſal-
,, vantur; terminata in eo, qui venit pro no-
,, bis judicari & mori, Judex vivorum &
,, mortuorum: ſed hujus unius fidei pro ſig-
,, nificationis opportunitate per varia tempora
Sacra-

Digitized by Google

Sacramenta variata ſunt". Ubi videmus recenſeri tres univerſim ordines credentium, quorum primum poſſumus dicere ordinem præcredentium, tertium poſtcredentium, medium item concredentium: quorum omnium una ſit fides, *terminata in eo, qui venit pro nobis iudicari & mori, Iudex vivorum & mortuorum*:

X. Auguſt. Epiſt. 157. „ X. Cujus hominis ejuſdemque Dei ſaluberrimâ fide, etiam illi juſti ſalvi facti ſunt, „ qui priuſquam veniret in carne, crediderunt „ in carne venturum: eadem namque fides „ eſt & noſtra, & illorum; quoniam hoc illi „ crediderunt futurum, quod nos credimus „ factum. Unde dicit Apoſtolus Paulus, *Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſecundùm „ quod ſcriptum eſt, Credidi propter quod locutus „ ſum; & nos credimus, propter quod & loquimur.* (2. Cor. 4. 13.) „ Si ergo *eundem ſpiritum fidei* habebant illi qui „ venturum in carne Chriſtum prænunciârunt, „ quem etiam illi qui eum veniſſe nunciârunt, ſacramenta eſſe potuerunt pro temporum diverſitate diverſa, ad unitatem tamen ejuſdem fidei concordiſſimè recurrentia. (Vide Aug. in Pſal. 50.) Scriptum eſt enim in Actibus Apoſtolorum, loquente Apoſtolo Petro: *Nunc ergo „ quid tentatis Deum, imponere iugum ſupra collum diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque „ nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini „ Ieſu credimus nos ſalvos fieri, quemadmodùm & „ illi.* (Act. 15. 10. & 11.) Si ergo & illi, id eſt, Patres, portare „ jugum Legis veteris non valentes, per gratiam Domini Jeſu ſalvos ſe fieri crediderunt, manifeſtum eſt quòd hæc gratia etiam „ antiquos juſtos vivere fecit ex fide: *Iuſtus „ enim ex fide vivit.* (Rom. 1. 17.) ------ Proinde cùm omnes „ juſti, hoc eſt, veraces Dei cultores, ſive ante „ incarnationem ſive poſt incarnationem Chriſti, nec vixerint, nec vivant niſi ex fide „ incarnationis Chriſti, in quo eſt gratiæ plenitudo, profectò quod ſcriptum eſt, *Non eſſe „ aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat ſalvos fieri „ nos*, (Act. 4. 12.) ex illo tempore valet ad ſalvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum eſt". Quam doctrinam breviter inſinuavit Leo Papa: L. Myſteria, inquiens, pro temporum ratione variata ſunt, cùm fides quâ vivimus nullâ fuerit ætate diverſa". (L. Leo Ser. 3. de Nativit. Chriſti cap. 3.) Et fuſiùs infrà Serm. 1. de Paſſione Domini cap. 1. " Poſt illam, inquit, humanæ prævaricationis primam & univerſalem ruinam, ex quâ „ *per unum hominem peccatum introivit in hunc „ Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes „ homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*; (Rom. 5. v. 12) „ nemo dominationem diaboli, nemo vincula diræ captivitatis evaderet, nec cuiquam aut reconciliatio ad veniam, aut reditus pateret ad vitam, niſi coæternus & coæqualis Patri Deo Filius Dei etiam hominis „ filius eſſe dignaretur, *Veniens quærere & ſalvare quod perierat*: (Luc. 19. 10.) ut ſicut per Adam mors, „ ita per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum „ eſſet reſurrectio mortuorum. Non enim quia „ ſecundùm inſcrutabile propoſitum ſapientiæ „ Dei noviſſimis diebus *Verbum caro factum eſt*, (Ioan. 1. 14.) „ ideo ſalutiferæ Virginis partus, extremi „ tantùm temporis generationibus profuit, „ & non ſe etiam in præteritas refudit ætates. „ Omnis prorſus antiquitas colentium Deum „ verum, omnis numerus apud ſæcula priora „ Sanctorum, ſacrâ fide vixit, & placuit; & „ neque Patriarchis, neque Prophetis, neque „ cuiquam omninò Sanctorum, niſi in redemptione Domini noſtri Jeſu Chriſti ſalus „ & juſtificatio fuit: quæ ſicut expectabatur „ multis Prophetarum oraculis ſigniſque promiſſa, ita eſt etiam ipſo munere atque opere præſentata". Et rursùs inferiùs Serm. 13. cap. 1. & 2. " Redemptio Salvatoris, inquit, „ deſtruens opus diaboli, & rumpens vincula „ peccati, ita magnæ pietatis ſuæ diſpoſuit ſacramentum; ut uſque ad conſummationem „ quidem Mundi præfinita generationum plenitudo decurreret, ſed renovatio originis „ per juſtificationem indiſcretæ fidei ad omnia retrò ſæcula pertineret. Incarnatio quippe Verbi, & occiſio ac reſurrectio Chriſti, „ univerſorum fidelium ſalus facta eſt: & ſanguis unius juſti, quem nobis Pater donavit „ qui eum pro reconciliatione Mundi credimus fuſum, hoc contulit Patribus qui ſimiliter credidêre fundendum. Nihil ergo ab „ antiquis ſignificationibus in Chriſtianâ religione diverſum eſt, nec unquam præcedentibus juſtis niſi in Domino Jeſu Chriſto ſalvatio ſperata eſt; diſpenſationibus pro divinæ „ voluntatis ratione variatis, ſed in idipſum „ coruſcantibus legis teſtimoniis, & propheticæ oraculis, & oblationibus hoſtiarum".

CLXVIII. His Patrum teſtimoniis in Scripturâ ipſâ fundatis fit planum, Eccleſiam Chriſti, hoc eſt, fidelium in Chriſtum Mediatorem credentium cœtum, non demùm poſt Chriſti incarnationem cœpiſſe, ſed mox à lapſu ac revocatione primorum parentum in lucem prodiiſſe: M. Deus enim, ut idem qui ſuprà Leo „ ait, omnipotens & clemens, cujus natura „ bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus „ miſericordia eſt; STATIM ut nos diabolica malignitas veneno ſuæ mortificavit invidiæ, prædeſtinata renovandis mortalibus „ ſuæ pietatis remedia, inter ipſa Mundi primordia præſignavit: (M. Leo Ser. 2. de Nativit. cap. 1.) denuncians ſerpenti „ *Futurum ſemen mulieris, quod noxii capitis elationem ſuâ virtute contereret*, (Gen. 3. 15.) Chriſtum ſcilicet „ in carne venturum, hominemque ſignans; „ qui natus ex virgine, violatorem humanæ „ propaginis incorruptâ nativitate damnaret". Non diu ergo ab inflicto nobis vulnere diſtulit Deus notificare remedium, quod ante ſæcula prædeſtinaverat providendum: ſed *ſtatim*

ut nos diabolica malignitas veneno ſuæ mortificavit invidiæ, prædeſtinata renovandis mortalibus ſua pietatis remedia inter ipſa Mundi primordia præſignavit. Nec refert quòd hæc præſignatio videatur directa ad ſerpentem qui mortificaverat, non ad homines quibus ille mortiferum vulnus inflixerat. Quamvis enim dirigeretur ad ſerpentem, ſub ratione comminationis; ad protoplaſtos tamen ibidem præſentes dirigebatur, ſub ratione conſolationis. Exinde igitur cœperunt homines credere & ſperare in ſemen mulieris, *quod noxii capitis elationem ſuâ virtute contereret*: exinde cœpit eſſe ad ſalutem neceſſaria fides Chriſti Mediatoris ac
Heb. 2. 14. Reparatoris, qui *morte ſuâ deſtructurus eſſet eum, qui mortis habebat imperium.* Neque enim ad ſalutem ſufficiebat fides Chriſti ſecundùm divinitatem, ſed opus erat credere ejus incarnationem, paſſionem, ac reſurrectionem,
N. Auguſt. lib. de peccato orig. cap. 24. dicente Auguſtino: N In cauſa duorum ho-
,, minum, quorum per unum venundati ſu-
,, mus ſub peccato, per alterum redimimur à
,, peccatis; per unum præcipitati ſumus in
,, mortem, per alterum liberamur ad vitam;
,, quorum ille nos in ſe perdidit faciendo vo-
,, luntatem ſuam, non ejus à quo factus eſt;
,, iſte nos in ſe ſalvos fecit non faciendo vo-
,, luntatem ſuam, ſed ejus à quo miſſus eſt:
,, in horum ergo duorum hominum cauſâ pro-
1. Tim. 2. 5. ,, priè fides Chriſtiana conſiſtit. *Vnus eſt enim*
,, *Deus, & unus Mediator Dei & hominum homo*
Act. 4. 12. ,, *Chriſtus Ieſus: quoniam non eſt aliud nomen ſub*
,, *cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos*
Act. 17. 31. ,, *fieri: & in illo definivit Deus fidem omnibus, ſuſ-*
,, *citans illum à mortuis.* Itaque ſine iſtâ fide, hoc
,, eſt, ſine fide *unius Mediatoris Dei & hominum,*
,, *hominis Chriſti Ieſu:* ſine fide, inquam, re-
,, ſurrectionis ejus, *quam Deus omnibus deſinivit,*
,, quæ utique ſine incarnatione ejus ac morte
,, non poteſt veraciter credi: ſine fide ergo
,, incarnationis, & mortis, & reſurrectionis
,, Chriſti, nec antiquos juſtos, ut juſti eſſent,
,, à peccatis potuiſſe mundari, & Dei gratiâ
,, juſtificari, veritas Chriſtiana non dubitat;
,, ſive in eis juſtis quos Sancta Scriptura com-
,, memorat, ſive in eis juſtis quos quidem illa
,, non commemorat, ſed tamen fuiſſe creden-
,, di ſunt, vel ante diluvium, vel inde uſque
,, ad datam legem, vel ipſius legis tempore,
,, non ſolum in filiis Iſraël, ſicut fuerunt Pro-
,, phetæ, ſed etiam extra eundem populum,
,, ſicut fuit *Iob.* Et ipſorum enim corda eâ-
,, dem mundabantur Mediatoris fide, & dif-
,, fundebatur in eis charitas per Spiritum San-
,, ctum, qui ubi vult ſpirat, non merita ſe-
,, quens, ſed ipſa etiam merita faciens: non
,, enim Dei gratia, gratia erit ullo modo, niſi
gratuita fuerit omni modo". Qui rursùs in-
Pelagiani. feriùs cap. 26. refellens Pelagianos, qui *à gratiâ Mediatoris iuſtos excludere conabantur antiquos, tanquam Dei & illorum hominum non fuerit Mediator homo Chriſtus Ieſus, quia nondum ex utero virginis carne ſuſceptâ, homo nondum fuit quando illi iuſti fuerunt:* "Quòd ſi ita eſſet, inquit ipſe, nequaquam Auguſtinus.
,, Apoſtolus diceret, *per hominem mors, & per ho-* 1. Cor. 15. 21. & 22.
,, *minem reſurrectio mortuorum: ſicut enim in Adam*
,, *omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivifica-*
,, *buntur:* quandoquidem illi antiqui juſti, ſe-
,, cundùm illorum vaniloquia, ſibi ſufficiente
,, naturâ nec Mediatore homine Chriſto indi-
,, guerunt, per quem reconciliarentur Deo; nec
,, in eo vivificabuntur, ad cujus corpus &
,, membra, ſecundùm id quod propter homi-
,, nes homo factus eſt, non pertinere monſtran-
,, tur. Si autem, quemadmodùm per Apoſtolos
,, ſuos Veritas loquitur, *Sicut in Adam omnes mo-*
,, *riuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificabuntur,* quia
,, *per* illum *hominem mors, & per* iſtum *hominem*
,, *reſurrectio mortuorum;* quis audeat dubitare
,, Chriſtianus, etiam illos juſtos qui recentio-
,, ribus generis humani temporibus Deo pla-
,, cuerunt, ideo in reſurrectionem vitæ æternæ,
,, non mortis æternæ, eſſe venturos, quia *in*
,, *Chriſto vivificabuntur:* ideò autem vivificari in
,, Chriſto, quoniam ad corpus pertinent
,, Chriſti: & ideò pertinere ad corpus Chriſti,
,, quia & ipſis caput eſt Chriſtus: ideò & ipſis
,, caput eſſe Chriſtum, quia *unus Mediator eſt Dei*
,, *& hominum, homo Chriſtus Ieſus:* quod eis non
,, fuiſſet, niſi in ejus reſurrectionem per ejus
,, gratiam credidiſſent. Et hoc quomodo fie-
,, ret, ſi eum in carne venturum eſſe neſciſſent,
,, neque ex hac fide juſtè pièque vixiſſent?
,, Nam ſi propterea illis non profuit incarna-
,, tio Chriſti, quia nondum facta erat; nec
,, nobis prodeſt Judicium Chriſti de vivis &
,, mortuis, quia nondum factum eſt. Si au-
,, tem nos per hujus nondum facti ſed futuri
,, Judicii fidem ſtabimus ad dexteram Chriſti,
,, profectò illi per incarnationis ejus tunc non-
,, dum factæ ſed futuræ fidem membra ſunt
,, Chriſti. Neque enim putandum eſt, quòd
,, antiquis juſtis ſola, quæ ſemper erat, divi-
,, nitas Chriſti; non etiam, quæ nondum erat,
ejus humanitas revelata profuerit". Hoc poſtremum reſumit idem ipſe Auguſtinus inferiùs ibidem cap. 28. "In Adam, inquiens,
,, invenientibus mortem, per hoc prodeſt
,, Chriſtus, quòd eſt Mediator ad vitam. Non
,, autem per hoc mediator eſt, quòd æqualis
,, eſt Patri: per hoc enim quantum Pater, tan-
,, tum & ipſe diſtat à nobis; & quomodò erit
,, medietas, ubi eadem ipſa diſtantia eſt? Ideò
,, Apoſtolus non ait, unus mediator Dei &
,, hominum Chriſtus Jeſus; ſed *Homo Chriſtus*
,, *Ieſus.* Per hoc ergo *Mediator,* per quod *Homo:*
,, inferior Patre, per quod nobis propinquior;
,, ſuperior nobis, per quod Patri propinquior.
,, Quod apertiùs ita dicitur: inferior Patre,
,, quia in formâ ſervi; ſuperior nobis, qui ſine
labe peccati".

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XLVIII.

Eccleſia ex vi nominis importat vocationem, & hæc præſupponit vocandorum averſionem; quam ſimiliter ſupponit Auguſtiniana definitio prædeſtinationis, quæ fons eſt & origo vocationis, dicente Apoſtolo: Quos Deus prædeſtinavit, hos & vocavit. *Liberari propriè eſt liberum fieri, perinde ac ſalvari, ſalvum fieri; & ſanari, ſanum fieri. Non niſi per gratiam Liberatoris quiſquam ſolvitur vinculo ſervitutis, à quâ eſt hominum nullus immunis. Si homo non periſſet, Filius hominis non veniſſet:* Ars tua Tiphy jacet, ſi non ſit in æquore fluctus: Si valeant homines, ars tua Phœbe jacet. *Cauſa reparationis noſtræ non eſt niſi miſericordia Dei, cujus abyſſum abyſſus noſtræ miſeriæ invocavit; quâ nunquam, ſecluſo demerito, premeremur. Cùm in Angelis & in primis parentibus innocuis nulla præceſſerit averſio, in ijs locum non habuit Eccleſiaſtica vocatio: adeòque non ad eos exporrigenda eſt Eccleſiæ nomenclatio. Eccleſia ſicut adolevit, maturuit, & ſenuit ex fide & in fide* Mediatoris: *ita & cœpit. Theologorum Lovanienſium ternio in hanc ſententiam conſpirans ſiſtitur, Lenſæus, Latomus, Wiggerius. Ad hoc deſtinatus eſt Mediator, ut jacentes erigeret, averſos converteret, alienatos reconciliaret. Perpetuam Eccleſiæ indefectibilitatem non ſatis providè propugnant, qui eiuſdem Eccleſiæ incunabula ad ſtatum uſque innocentiæ originalis anticipant. Sicut aſtruenda eſt Eccleſiæ in fide firmitas, ita & in ſanctitate ſtabilitas: cui enim ait Dominus,* Sponſabo te mihi in fide, *eidem quoque ait*, Sponſabo te mihi in juſtitiâ: *& quia ibidem additur*, Et in miſericordiâ, *haud dubium quin hanc ſponſationem anteceſſerit miſeria: quâ utpotè ſecluſâ otiatur miſericordia.*

CLXIX. Vide ſuprà §. 114.

Eccleſiam ex ſuâ notione importare *convocationem* ſive *concionem*, oſtendimus ſuperiùs §. 114. occaſione Hebraicæ litteræ *Coph*, cujus una interpretatio eſt *vocatio*. Benè autem notat Auguſtinus, vocationem hanc præſupponere averſionem. Ex quo conſequens ulterius eſt, eam non præceſſiſſe, ſed ſubſecutam fuiſſe lapſum humani generis in primis parentibus, quo non ſolùm ipſi, ſed & tota eorum poſteritas à Deo averſa eſt: [o] Nemo „ ergo dicat, ait ille, Ideò me vocavit Deus, „ quia colui Deum. Quomodò coluiſſes, ſi „ vocatus non fuiſſes? Si propterea te vocavit Deus, quia coluiſti Deum: Ergo prior „ dediſti, & retribuit tibi. Nonne iſtam tibi „ vocem Apoſtolus tollit, cùm dicit: *Quis „ prior dedit illi, & retribuetur ei?* Sed ecce, „ quando vocatus es, jam eras: quomodò „ prædeſtinareris, niſi quando non eras? „ Quid Deo dediſti, quando qui aliquid dares „ non eras? Quid ergo fecit Deus, quando „ prædeſtinavit qui non eras? Quod ait Apo- „ ſtolus, *Qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea „ quæ ſunt.* Si jam eſſes, non prædeſtinareris: „ Niſi AVERSVS ESSES, NON VOCARERIS". Quinimò juxta eundem Auguſtinum ipſa etiam prædeſtinatio præſupponit averſionem, licèt non jam reipſa incurſam, ſaltem prævíſam. Eſt enim prædeſtinatio, juxta ipſum lib. de Bono perſeverantiæ cap. 14. " Præſcientia & præparatio beneficiorum „ Dei, quibus certiſſimè LIBERANTVR quicunque liberantur". Quid autem aliud eſt *liberari*, quàm de captivitatis jugo erui, ſive de captivo liberum fieri? Hinc idem ipſe Auguſtinus alibi ait: [p] *Liberari* propriè dicitur, „ liberum fieri: quomodò ſalvari, ſalvum „ fieri; ſanari, ſanum fieri: ſic liberari, liberum fieri". Et lib. 2. de Nuptiis & Concupiſcentiâ cap. 3. reſpondens Pelagianis: " Non liberum, inquit, negamus arbitrium;

o. Auguſt. Serm. 16. de verb. Apoſt. cap. 3.

Rom. 11. 35.

Rom. 4. 17.

p. Auguſt. Serm 48. de verb. Domini c. 2. Vide Tract. 41. in Joan. & l. 2. cont. Iul. c. 8.

ſed

Ioan. 8. 36. „ ſed, *Si vos Filius liberaverit*, ait Veritas, *tunc*
„ *verè liberi eritis*. Hunc vos invidetis Libera-
„ torem, quibus captivis vanam tribuitis li-
2. Pet. 2. 19. „ bertatem: *A quo enim quis devictus eſt*, ſicut
„ dicit Scriptura, *Huic ſervus addictus eſt*: nec
„ quiſquam niſi per gratiam Liberatoris iſto
„ ſolvitur vinculo ſervitutis, à quo eſt ho-
minum nullus immunis". Cùm igitur libe-
ratio præſupponat illigationem, profectò be-
neficiorum liberativorum præparatio præſup-
ponit in Deo illigationis prævisionem: atque
adeò prædictam vocandorum averſionem, non
quidem ut actu jam incurſam, ſed utique præ-
Q. D. Thomas 1 p. q. 1. a. 3 ad 4. ſcitam: Q. Prædeſtinatio, ait Divus Thomas,
„ præſupponit præſcientiam futurorum: &
„ ideò ſicut Deus prædeſtinat ſalutem alicujus
„ hominis per orationes aliorum implendam,
„ ita etiam prædeſtinavit opus Incarnationis
in remedium humani peccati". Hoc ipſum
indicant iſta Leonis Papæ verba proximo §.
Leo ſuprà §. 148. relata, quibus de Deo ait: *Prædeſtinata reno-*
vandis mortalibus ſua pietatis remedia, inter ipſa
Mundi primordia præſignavit. Priùs enim quàm
prævidiſſet Deus deformationem, & morta-
litatem, & languorem hominum, non prædeſti-
navit *renovandis mortalibus remedia*. Cùm igitur
homines nonniſi per *averſionem* deformes, mor-
tales, & languidi evaſerint; proculdubiò
nonniſi poſt prævisam *averſionem* prædeſtina-
R. Auguſt. Serm. 9. de verb. Apoſt. cap. 1. vit Deus remedia renovationis: R. Tolle
„ morbos, ait Auguſtinus, tolle vulnera; &
nulla cauſa eſt medicinæ". Cui ſententiæ ſa-
S. Ovid. l. 4. Triſtium Elegiâ 3. tis congruit iſtud Ovidianum: S. *Hectora quis*
noſſet, ſi felix Troia fuiſſet? Publica virtutis per mala
facta via eſt. Ars tua Tiphy iacet, ſi non ſit in æquore
fluctus: Si valeant homines, ars tua Phœbe iacet.
Auguſtinus Unde & Auguſtinus verbis proximè ex ipſo
relatis continuò ſubdit:" Si venit de cælo
„ magnus Medicus, magnus per totum orbem
„ terræ jacebat ægrotus: ipſe ægrotus, genus
humanum eſt". Et mox iterum poſt paucula:
Luc. 19. 10. " *Venit* ergo, ſicut ipſe alio loco dicit, *Filius*
„ *hominis quærere, & ſalvare quod perierat*. To-
„ tum enim perierat, ex quo peccavit unus:
„ ubi erat totum, periit totum. Sed venit
„ unus ſine peccato, qui ſalvos faceret à pec-
cato". Et ne quis putaret aliam quampiam
cauſam veniendi admixtam hìc fuiſſe, præ-
miſerat ibidem ſuperiùs idem:" Nulla cauſa
„ fuit veniendi Chriſto Domino, niſi pecca-
tores ſalvos facere". Præmiſerat item Serm.
præcedenti cap. 2." Attende Euangelium, in-
„ quit, *Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvare*
„ *quod perierat*. Si homo non periiſſet, Filius
„ hominis non veniſſet. Ergo perierat homo,
„ venit Deus homo, & inventus eſt homo:
„ Perierat homo per liberam voluntatem, ve-
„ nit Deus homo per gratiam liberatricem".
T. Leo Ser. 1. de Iejun. 10. Menſis. Huc item ſpectat illud Leonis Papæ: T. Cau-
„ ſa reparationis noſtræ non eſt niſi miſeri-
cordia Dei". Ubi enim audimus *miſericor-* Vide Aug. l. 1. Operis imperf. c. 3[illegible]
diam, noverimus præſupponi noſtram miſe-
riam: cui nimirum ſublevandæ vel tollendæ
impenditur miſericordia. Quapropter cùm ſe-
cluſo peccato nulla nos premeret miſeria, nul-
lâ quoque tunc nobis opus fuiſſet ejuſmodi
miſericordiâ: atque ita fieret id quod idem
Leo Serm. 3. de Pentecoſte cap. 2. ſcribit, di-
cens:" Si homo ad imaginem & ſimilitudi-
„ nem Dei factus, in ſuæ honore naturæ man-
„ ſiſſet, nec diaboli fraude deceptus à lege
„ ſibi poſitâ per concupiſcentiam deviaſſet,
Creator Mundi creatura non fieret". Huc
etiam ſpectat quod idem Leo Serm. 10. de
Nativitate Domini cap. 1. ipſam Verbi in-
carnationem vocet *Sacramentum in ſalutem hu-*
mani generis ante ſæcula æterna diſpoſitum. Ubi de
prędeſtinatoriâ Incarnationis diſpoſitione ſer-
mo eſt: ut vel hinc clareat eam non ſolùm in
executione, ſed in ipſâ etiam æternâ præpa-
ratione ordinari ad humani generis ſalutem.
Et quidem quantum ad executionem, id uni-
verſa Eccleſia in Symbolo Conſtantinopoli-
tano profitetur, dicens de Chriſto: *Propter nos* Symbolum
homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Conſtant.
cælis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria
Virgine. Ex quo etiam ſatis colligitur quid de
æternâ ejuſdem prædeſtinatione cenſendum
ſit: nam Deus ita in tempore exequitur, ſicut
ante tempora exequendum præſtituerat. Con-
ſonat his item Ambroſius: V. Quæ erat, in- V. Ambr. l. de Incarnationis Sacram. c. 6.
„ quiens, cauſa Incarnationis, niſi ut caro,
„ QVÆ PECCAVERAT, per ſe redime-
retur"? Quaſi dicat, nulla. Nullam ſimiliter
aliam cauſam agnoſcit Nazianzenus, cùm ait:
„ W. Quæ humanitatis à Deo ſuſceptæ propter W. Gregor. Naz. Orat. 36.
„ nos cauſa extitit? Profectò ut nobis ſalus
„ pararetur: quid enim aliud cauſæ afferri
poſſet"? Conſonat item Chryſoſtomus, dicens
de Filio Dei: X. Propter hoc carnem aſſumpſit X. Chryſoſ. Homil. 5 in Epiſtol. ad Hebr.
„ noſtram, propter miſericordiam SOLAM,
„ ut miſereretur noſtri. Non eſt enim alia quæ-
„ piam cauſa diſpenſationis, quàm hæc ſola".
Conſonat pariter Magnus Athanaſius, dicens
de eodem Dei Filio: Y. Ut fieret homo, nun- Y. Athan. Orat. 3. cont. Arian.
„ quam deſtinatum fuiſſet, niſi hominum ne-
ceſſitas cauſam eius rei præbuiſſet". Quorum
Patrum veſtigijs inſiſtens Scholaſticorum Prin-
ceps, Angelicus Doctor, Scholæ noſtræ cum Z. D. Thomas 3. p. q. 1. art. 3. in corp.
Auguſtino compatronus: Z. Cùm in Sacrâ
„ Scripturâ, inquit, ubique Incarnationis
„ ratio ex peccato primi hominis aſſignetur,
„ convenientius dicitur, Incarnationis opus
„ ordinatum eſſe à Deo in remedium contra
„ peccatum: ita ut peccato non exiſtente
Incarnatio non fuiſſet".

CLXX. Hæc idcircò præmittenda ac fu-
ſius ſtabilienda duxi, ut ex iis appareat unde-
nam Eccleſiæ infantia, ſive primus ætatis gra- DVBIVM.
dus, inchoari debeat; an ſcilicet ab initio
humanæ

humanæ conditionis, aut ſaltem ab Evæ in paradiſo ad virum adductione: an verò à ſubſequente lapſum eorundem ad Mediatoris fidem vocatione. Non enim deſunt qui Eccleſiæ exordium ab innocentiæ ſtatu ducendum arbitrentur: non quidem à primâ Adami creatione, nec etiam ab ejuſdem in paradiſum introductione; ſed ab Evæ formatione, atque ad virum adductione. Ratio eſt, quia cùm *Eccleſia* ſit nomen collectivum, connotans plurium vocatorum ſeu concitorum cœtum ſive concionem, non poteſt de unicâ ſingulari perſonâ verificari, uti nec *Reſpublica* aut *populus* de uno cive, vel *exercitus* de uno milite, vel *grex* de una ove, aut *armentum* de uno bove. Quamdiu igitur Adam protoplaſtus abſque conſorte ſolus extitit, Eccleſiam conſtituere nequivit. Poſtquam verò conſortem non ſolùm thori, ſed & fidei nactus eſt, Eccleſiam cum eâ conflaſſe & conſtituiſſe videtur. Cùm enim eſſent jam numero plures, & utrique pariter ineſſet una ac vera Numinis fides: quid aliud fuerunt quàm cœtus fidelium, adeoque Eccleſia per fidem ambulans, & ad ſupernam

DECISIO. Angelorum ſocietatem aſpirans? Sed cùm ex jam proximo §. junctis iis quæ §. 114. præmiſſa fuerant, conſtet, *Eccleſiam* ex vi vocabuli ſonare *vocationem*: hæc autem, juxta Auguſtinum, præſupponat *averſionem*, quæ nulla fuerat in primis parentibus uſque ad mandati cæleſtis violationem & innocentialis ſtatûs amiſſionem: conſequenter dicendum videtur, Eccleſiæ exordium non eſſe ad ſtatum uſque innocentiæ anticipandum, ſed primorum hominum lapſui atque averſioni poſtponendum. Quâ enim ratione à propriâ Eccleſiæ nuncupatione ſecluduntur Angeli cæleſtes, eâdem pariter ſecluduntur & protoplaſti innocentes:

A Joannes Lenſæus l. 1. de Eccleſiâ c. 5. „ A. Cùm enim Eccleſiam, inquit noſter Lenſæus, ſuprà dixerimus à *vocatione* cenſeri, ea „ propriè ſocietas *Eccleſia* eſt, quæ ſit *vocatorum*: „ quod in Angelos ſanctos non competit, qui „ in acceptâ creationis ſuæ integritate perſeverantes, nullâ vocatione indiguêre. Ideò „ nec Chriſtum, qua ratione Chriſtus eſt, caput habent, nec ad ejus pertinent corporis „ membra, quod propriè Chriſti corpus cenſeatur. Eccleſia autem *corpus eſt Chriſti, Chriſtus verò corporis ſui Salvator.* (Eph. 5. 23.) Quo fit, ut ei „ corpori homines inſeri neceſſe ſit, ut à capite percipi vitalis motus & influxus poſſit. „ Quòd ſi quiſquam eſſet hominum, qui ſine „ Chriſti gratiâ poſſet juſtus eſſe, non neceſſe „ eſſet inſeri eum Eccleſiæ, ſeu corpori Chriſti, „ qui capitis auxilio & influxu ad ſui vivificationem non egeret. (Vide Aug. l. de Nat. & gratiâ c. 1. & 2.) Quamobrem Angeli „ ſancti, qui gratiâ Chriſti non indigent, inter „ hujus corporis membra non erunt numerandi: neque enim neceſſariam habent vitæ „ juſtitiæque dependentiam à Chriſto, in„ quantùm Chriſtus; cùm membra talem à „ ſuo capite dependentiam habere neceſſe ſit. „ A Deo porrò planè dependent, ideoque eos „ ad civitatem Dei pertinere neceſſe eſt, ubi „ Deus Princeps & caput eſt. Sed illa vitis „ Euangelica, quæ nobis Eccleſiam univerſalem adumbrat, de quâ dicit Chriſtus, *Ego ſum vitis, & Pater meus agricola eſt*, (Ioan. 15. 1.) in ſolis „ hominibus eſt intelligenda; hominesque in „ eâ, non Angeli, palmites eſſe dicendi ſunt; „ qui niſi in vite manſerint, fructum ferre non poſſint". Omnia iſta militant prorſus pro primis parentibus ante ſuum lapſum: quippe quibus, perinde ac Angelis, defuit *vocatio*, cùm defuiſſet *averſio*, quam præſupponit *vocatio*. Præterea non eguerunt Chriſto ſub eâ ratione quâ Chriſtus eſt: ſiquidem, ut proximo §. diximus & oſtendimus, *Si homo non periſſet, filius hominis non veniſſet.* Ex quo conſequens eſt, quòd ſi homo non periiſſet, ſilio hominis non eguiſſet: neque enim in illo felicitatis ſtatu quidquam deeſſe homini poterat, quo egeret; alioquin ante omne ſuum demeritum, ſubjacuiſſet miſeriæ; contra illam Auguſtini regulam: B. *Sub Deo juſto nemo poteſt eſſe miſer, niſi mereatur.* (B. Aug. l. 1. operis imperf. c. 39.) Unde & idem Auguſtinus lib. de corrept. & gratiâ cap. XI. diſertè & apertè de primo homine pro ſtatu innocentiæ diſſerens: " *Ille*, inquit, *in illis bonis Chriſti morte non eguit.* Ex quo ulteriùs planum eſt, eum non indiguiſſe fieri membrum illius corporis, quod Chriſtus ſuâ morte redemit, liberavit, ſalvavit: nec eguiſſe mediatore, quamdiu in primâ ſuâ ſtatione perſtitit: C. Inter quid & quid, ait alibi (C. Auguſt. Serm. 11 de verb. Apoſt. cap. 5.) „ Auguſtinus, ſit Mediator, invenimus, ipſo „ Apoſtolo dicente: *Vnus Deus, & unus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Si non „ jaceres, Mediatorem neceſſarium non haberes: quia verò jaces, & ſurgere non potes, Mediatorem quodammodò Deus tibi porrexit *Brachium ſuum*". (Ioan. 12. 32.) Et ſuperiùs Serm. XI. cap. 6. " Quid eſt Mediator? Per quem conjungeremur, per quem reconciliaremur: „ quia peccatis propriis ſeparati jacebamus, in morte eramus, prorsùs perieramus". Rectè igitur in primos homines pro ſtatu innocentiæ quadrat ea ratio, quâ Lenſæus oſtendit Angelos non comprehendi nomine *Eccleſiæ* propriè ſumpto. Unde & Apoſtolus ſubinde diſtinguit Eccleſiam contra Angelos, ſive cùm ait; *Vt innoteſcat Principibus & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam:* (Eph. 3. 10.) ſive cùm alibi ait, *Acceſſiſtis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Hieruſalem cæleſtem; & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum.* (Heb. 12. 22. & 23.) Ubi Angelorum cœtum non vocat Eccleſiam, ſed *frequentiam*, primitivorum autem cœtum, ut hominibus de averſione vocatis conſtantem, nominat *Eccleſiam.* Porrò Lenſæus videtur in prædictis ſecutus fuiſſe veſtigia Jacobi Latomi,

 vetuſtio-

Digitized by Google

vetuſtioris ſe in Cathedrâ Lovanienſi Profeſſoris, qui ait: D. In ſacris litteris nomen *Eccleſiæ* ſæpe contrahitur ad electos ex hominibus: ut cùm dicitur Chriſtus pro Eccleſiâ mortuus, & laviſſe Eccleſiam à peccatis ſuis in ſanguine ſuo: Chriſtus enim non eſt mortuus pro Angelis; mali enim obſtinati ſunt, boni ſalvatore non indigent. Unde & ad Hebræos dicitur, *Nequaquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*. Sed quia totum genus humanum in Adam perierat, ex maſsâ perditionis divina gratia per mortem Chriſti *evocavit* & *convocavit* quos voluit. Facta eſt autem hæc convocatio omnibus horis diei præſentis: ab initio enim non defuerunt qui *vocarent*, & *vocarentur*". Atque ut appareat hujus ſententiæ in Scholâ Lovanienſi continuatio, duobus iſtis vetuſtioribus, Latomo & Lenſæo, adjungimus nuperrimum ejuſdem Scholæ Profeſſorem Regium, Joannem Wiggerium, qui de Eccleſiâ tractans, ita ſcribit: E. De militante hîc Eccleſiâ, ex hominibus lapſis congregatâ, agimus: ad quam nec Angeli beati, nec primi parentes ante ſuum lapſum pertinent, quos & ipſum *Eccleſiæ* nomen, dictum ab *evocatione*, ſcilicet ab infidelitate & lapſu, excludit, ſive non admittit".

D. Iac. Latom. Tract. de Eccleſiâ cap. 1.

Heb. 2. 16.

E. Wiggers in 2. 2. Tract. de Eccleſia, Dubio 1. n. 7.

CLXXI. Quamvis ergo Angeli cæleſtes, & protoplaſti pro ſtatu primævæ ſuæ innocentiæ, cives extiterint civitatis Dei, quæ quatenus hominibus de lapſu revocatis conſtat, *Eccleſia* nominatur: ipſi tamen defectu vocationis Eccleſiam propriè non conſtituunt, nec ejus membra ſunt. Quapropter ſiquando apud veteres nomen *Eccleſiæ* eis attributum cernimus, ut apud Auguſtinum Enchiridii cap. 56. & 61. eos ampliatione quadam uſos fuiſſe noverimus: quâ ampliatione nequaquam nos hoc tempore uti expedit, propter importunitatem modernorum Sectariorum, qui undequaque argumenta conquirunt, quibus Eccleſiam Dei in terris defeciſſe perſuadeant. Si enim dicamus cœpiſſe Eccleſiam in paradiſo ante protoplaſtorum lapſum, concludent illi eam in terris penitùs defeciſſe, quando paulò pòſt duo illi primi homines, quibus ſolis ea tunc in terris conſtabat, à fide exciderunt, & infideles evaſerunt. Pergent porrò iidem Sectarii promovere ulteriùs ſuam prætenſionem, dicentes: Si potuit Eccleſia ſemel in terris deficere, car non denuò, cur non tertiò, quartò, & quoties ipſis libuerit? Quibus ſi reſpondeas, prærogativam indefectibilitatis nequaquam competiiſſe Eccleſiæ veteri, ſive pro ſtatu innocentiæ, ſive pro ſtatu Legis naturæ, aut Moyſaicæ; ſed duntaxàt pro ſtatu Legis Euangelicæ, hoc reſponſo evertes omnia Patrum teſtimonia quibus ſuperiùs ſtabilivimus inconcuſſum robur *Mulieris fortis*, quæ toties ab initio incurſata, nunquam potuerit decuti. Quinimò evertes indefectibilitatem Eccleſiæ etiam pro tempore novi Teſtamenti: ſiquidem ipſa eſt, quæ in ſuâ jam ſenectute ultimæ ætatis loquitur, dicens: *Sæpè expugnaverunt me à iuventute meâ, etenim non potuerunt mihi*. Quomodò enim hoc dicendo ac profitendo non erat & vanâ jactantiâ exultat, ſi antiquis temporibus hoſtes ei prævaluerunt, eamque à fide deficere compulerunt? Neque enim dici poteſt, quòd clauſula illa, *à iuventute meâ*, excluſivè intelligenda ſit; quaſi ſenſus foret, etiamſi potuerint hoſtes expugnare ac dejicere me juvenem, non tamen poſt exactam juventutem. Huic quippe interpretationi, vel potiùs depravationi ac cavillationi repugnant Patres omnes in contrarium ſuprà allegati, è quibus Proſper §. 4. adductus: *Eccleſia*, inquit, *ſive* IN IUVENTUTE SUA, *ſive in ætate maiore, ſive in ſenectute ultimi iam ſæculi; nullis oppreſſionibus, nullis eſt victa ſupplicijs*. Non ſolùm ergo non eſt victa poſt exactam juventutem, ſed nec *in iuventute*. Aut ergo ipſa falsò jam jactat non prævaluiſſe ſibi adverſarios *à iuventute ſuâ*, utique incluſivè; aut certè neceſſe eſt propugnare indefectibilitatem ejus pro tempore etiam juventutis ſuæ. Si primum admittatur, concludent Sectarii ſuum intentum de Eccleſiâ etiam novi Teſtamenti. Secundum verò quomodò præſtare queant ii, qui initium Eccleſiæ ad ſtatum innocentiæ incluſivè anticipant, non video. Scio quidem P. Franciſcum Suarez, magni elogii Theologum, tentaſſe præſtare iſtud ſecundum; ſed, ſalvâ tanti Viri reverentiâ, non ſatis feliciter, imò nec conſtanter. Ejus aſſertio eſt, F. Eccleſia produci incepit in Adamo, & formatâ Evâ dici propriè potuit Eccleſiam eſſe". Et mox quaſi præoccupans objectionem, ex ſubſequente protoplaſtorum lapſu formandam adverſùs Eccleſiæ indefectibilitatem ſeu perpetuitatem, ſubdit poſt pauca ibidem: "Neque eſt veriſimile aut probabile Adamum perdidiſſe fidem". Rurſùs cùm adverteret requiri ut minimùm duas perſonas in fide conſentientes ad conſtituendam Eccleſiam, ut quæ plurium collectionem connotet; addit continuò: "Quod etiam de Evâ probabiliùs dicendum eſt". Tanquam diceret, Nullum Eccleſiæ, etiam ante protoplaſtorum lapſum inchoatæ, imminet defectibilitatis periculum ex ſubſecuto eorundem lapſu: quia etſi illi labendo exciderint à priſtinâ ſuâ innocentiâ & ſanctitate, non tamen à fide ſeu credulitate: quod ſufficiebat eis ut Eccleſiæ membra permanerent, & in eis Eccleſia indeficienter conſiſteret ac ſubſiſteret. Unde & ipſe ibidem proximè præmiſerat de iiſdem protoplaſtis: "Neque etiam obſtat, illos potuiſſe peccare, & peccaſſe: quia etiam ſine gratiâ perſeverat quiſpiam

Vide ſuprà c. 2. & aliquot ſeqq.

Pſ. 128. 1.

F. Suarez Tract. de Fide Diſp. 9. Sect. 2. n. 3.

Digitized by Google

quiſpiam membrum Eccleſiæ". Quæ ratio, ut ab hoc poſtremo incipiam, valdè manca eſt: quia licèt ſtatus gratiæ non ſit neceſſarius ſingulis Eccleſiæ membris, poteſt tamen eſſe neceſſarius ipſi Eccleſiæ in confuſo quoad aliqua ſua membra. Unde in Symbolo fidei licèt non profiteamur credere nos Eccleſiam quoad omnia ſua membra ſanctam, profitemur tamen nos *credere Eccleſiam ſanctam*: quia perſuaſum habemus non deeſſe unquam toti Eccleſiæ ſanctitatem, tametſi ſciamus quibuſdam ejus membris ſubinde deeſſe ſanctitatem. Quia igitur hìc loquimur de eo tempore quo duo ſolummodò homines exiſtebant in Mundo, profectò ſi in iis fuerit Eccleſia, iis à ſanctitate excidentibus, tota Eccleſia à ſanctitate exciderit: atque adeò falſa tunc fuerit illa profeſſio, *credo Eccleſiam ſanctam*. Hoc libenter audient moderni Sectarii, atque inde ſubinferent, potuiſſe Eccleſiam etiam aliàs crebrò à ſanctitate excidere: nam quæ ſemel excidit, excidentiæ prærogativâ non pollet. Miror autem quam ob cauſam P. Suarez ibidem inferiùs Sect. 3. n. 3. allegans pro perpetuitate Eccleſiæ illud Domini ad ipſam apud Oſeam, *Sponſabo te mihi in ſempiternum*, item, *Sponſabo te mihi in fide*, ſuppreſſerit intermedium contextum iſtum, *Sponſabo te mihi in juſtitiâ, & judicio, & in miſericordiâ, & in miſerationibus*. Sed nimirùm animadvertit hæc non quadrare in eam Eccleſiam quam aſtruit ante lapſum: ut quæ à *juſtitiâ* mox exciderit, & *miſericordiâ* aut *miſeratione* nondum eguerit, cùm nullam adhuc miſeriam ſenſerit.

Oſe. 2. 19. & 20.

Ibid. v. 19.

CAPUT XLIX.

Neoterici cujuſdam poſitio ſiſtitur & eliditur, contendentis Eccleſiam ab innocentiæ primordialis ſtatu cœpiſſe, nec per ſubſecutum protoplaſtorum lapſum deſiiſſe, eò quòd lapſus ille non fuerit à fide, ſed duntaxat à ſanctitate ac reliquis dotibus eidem ſubnixis. Maſſilienſes cenſuiſſe Adamum à fide non excidiſſe, oſtenditur ex Hilario & Proſpero, majoribus omni exceptione teſtibus. Piam credendi voluntatem, ſine quâ fides vera non ſubſiſtit, ſi primus homo non perdidiſſet, omnis homo eam deinceps naturaliter poſſideret. Arauſicanus canon huc ſpectans exhibetur. Fidei reliquariæ everſio ex Auguſtino. Protoplaſtum antiquo ſerpenti credidiſſe, & priſtinam Dei fidem amiſiſſe, oſtenditur perſpicuis Proſperi, Fulgentii, ipſiuſque Auguſtini teſtimoniis. Quo ſenſu dicat Proſper Adamum perdidiſſe fidem primitùs? *Delicti Adamici in ſua velut membra partitio.* Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo. *Proferuntur aliorum Tractatorum ſuffragia, qui, partim ante, partim poſt Auguſtinum & Proſperum & Fulgentium, perhibuerunt, Adamum prævaricando amiſiſſe fidem, incurriſſe perfidiam. Concluditur demùm, Eccleſiæ infantiam non eſſe ad ſtatum uſque innocentiæ anticipandam, ſed poſt protoplaſtorum lapſum inchoandam: & præfati neoterici inconſtantia in quibuſdam huc ſpectantibus detegitur.*

CLXXII Diſcutiamus nunc illam præfati Theologi poſitionem, proximo §. relatam: *Neque eſt veriſimile aut probabile Adamum perdidiſſe fidem: quod etiam de Evâ probabiliùs dicendum eſt*. Quam quidem poſitionem, quoad priorem ſaltem partem quæ Adamum concernit, à Semipelagianis olim aſſertam fuiſſe, Proſper & Hilarius, teſtes omni exceptione hìc majores, perhibent: è quibus Hilarius, de iiſdem Semipelagianis ſcribens ad Auguſtinum: [G.] Cæterùm, inquit, præſcientiam & „ prædeſtinationem vel propoſitum ad id valere contendunt, ut eos præſcierit, vel „ prędeſtinaverit vel propoſuerit eligere Deus, „ qui fuerant credituri. Nec de hac fide poſſe „ dici, *Quid habes, quod non accepiſti*? cùm in „ eâdem naturâ REMANSERIT, licèt vitiatâ, quæ priùs ſana ac perfecta donata eſt". Nec minùs apertè Proſper in Reſponſo ad Genuenſium Excerpta: [H.] Si conſideremus, „ inquit, Pelagianæ argumenta perfidiæ, quid magis

Suarez ſuprà.

G. Hilarius Epiſtol. ad Auguſt.

1. Cor. 4. 7.

H. Proſper Reſpon ad tria prima Dubia Genuenſium.

„ magis nititur obtinere, quàm ut videatur „ gratia Dei ſecundùm merita noſtra dari; ut „ in eo ipſo in quo gratiam neceſſariam confitetur, meritis eam humanæ voluntatis „ enervet? Quam perverſitatem omninò incurrit, qui fidem ad Dei munera non putat „ pertinere; aut ideò eam ſe jactitat ad Deum „ referre, quia ab ipſo ſit creata natura, cui „ rationabilem inſeruit libertatem, per quam „ unuſquiſque & credere & non credere in „ ſuâ habeat poteſtate: & de hoc naturali bono qui nullis præcedentibus meritis cùm „ crearetur accepit, cætera dona mereatur. „ Hoc autem qui aſſerit, fatetur, credo, nobiſcum quòd in primo Adam omnium hominum natura vitiata ſit; nec negat eam in „ illo lapſu ſuas amiſiſſe virtutes, quas niſi „ per gratiam recipiat, habere non poſſit. „ Quid eſt autem, quòd eidem naturæ FIDEM NON VULT ESSE PRÆREPTAM, quam niſi primam amiſiſſet, „ cæteris bonis omnibus non careret? Credendo enim Adam diabolo, non credidit „ Deo: & quùm ſpiritu ſuperbiæ inebriatus „ eſſet, diſceſſit à Domino cor ejus; & factus „ eſt ſervus apoſtatæ, dum liber vult eſſe juſtitiæ". Ex horum duorum teſtium omni exceptione majorum fidâ relatione pernoſcimus, Semipelagianos cenſuiſſe, fidem nequaquam in Adamo amiſſam fuiſſe, ſed in naturâ poſt primam prævaricationem remanſiſſe, & cum eâdem naturâ in poſteros transfundi. Sicut enim Adamus ſi integram juſtitiam originalem uſque ad generationem filiorum conſervaſſet, eandem proculdubiò integram in eoſdem filios transfudiſſet: ita ſi fidem ſervaſſe credatur, eandem quoque in poſteros transfundere credendus fuerit: neque enim poſteris amiſit, quod non ſibi ipſi amiſit. Cur enim non dicamus de fide, quod Beatus Fulgentius ait de bonâ voluntate, quæ initium eſt fidei? Verba ejus ſunt: I. Neque ipſa natura humana per ſemetipſam poteſt aliquando bonam reſumere voluntatem quâ placeat Deo, „ ex quo eam in primo homine perdidit, quùm „ diabolo depravatâ, quam rectam divinitùs „ acceperat, voluntate conſenſit. Quam tunc „ ſic perdidit, ut eam nullus hominum deinceps ex ſe habere poſſit, niſi eam ab illo „ gratis acceperit, à quo eam primus homo „ cùm conderetur accepit: QUAM SI PRIMUS HOMO NON PERDERET, „ OMNIS HOMO DEINCEPS EAM NATURALITER POSSIDERET". Ideò nimirum *naturaliter*, quia cum ipſâ naturâ propagaretur, atque in poſteros transfunderetur: prout contendebant præfati hæretici, contra quos conditus eſt canon iſte fidei in Synodo 2. Arauſicana: K. Si quis, ſicut augmentum, ita „ etiam initium fidei, ipſumque credulitatis „ affectum, quo in eum credimus qui juſtificat „ impium, & ad regenerationem baptiſmatis „ pervenimus; non per gratiæ donum, id eſt, „ per inſpirationem Spiritûs Sancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad „ fidem, ab impietate ad pietatem; ſed NATURALITER nobis ineſſe dicit: Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur, „ Beato Paulo dicente: *Confidimus, quia qui „ cœpit in vobis bonum opus, perficiet uſque in diem „ Domini noſtri Ieſu Chriſti:* & illud, *Vobis datum „ eſt pro Chriſto non ſolùm ut in eum credatis, ſed „ etiam ut pro illo patiamini:* &, *Gratiâ ſalvi facti „ eſtis per fidem, non ex vobis: Dei enim donum eſt.* „ Qui enim fidem, quâ in Deum credimus, „ dicunt eſſe NATURALEM, omnes eos „ qui ab Eccleſiâ Chriſti alieni ſunt, quodammodò fideles eſſe definiunt". Ne igitur in hoc abſurdum incidatur, cavendum eſt omne antecedens, ex quo id ſit conſectaneum: quale eſt illud quod ex P. Suario retulimus, ſignanter ſi vera eſt ea regula quam finalibus verbis Fulgentius mox allegatus præſcripſit. Sed interim videamus quid Auguſtinus Hilario ſuprà hìc relato reſcripſerit: inde enim res tota evadet planior ac liquidior: „ L Illud verò, reſcribit ille, quod putant „ (*Semipelagiani*) de hac fide ideò non poſſe „ dici, *Quid enim habes quod non accepiſti? quia „ in eâdem naturâ remanſit, licèt vitiatâ, quæ priùs „ ſana ac perfecta donata eſt:* nihil ad id quod „ volunt valere intelligitur, ſi cur hoc Apoſtolus dixerit cogitetur: agebat enim, ne quiſquam glorietur in homine". Quod poſtremum poſtquam Auguſtinus ibidem ſubſequenter ex Apoſtoli contextu probaſſet, ac tandem ad ea verba, *Quis te diſcernit? quid enim habes quod non accepiſti?* perveniſſet, adjecit: "In hac Apoſtoli evidentiſſimâ intentione, „ quâ contra humanam ſuperbiam loquitur, „ *ne quiſquam in homine, ſed in Domino glorietur;* „ dona Dei naturalia ſuſpicari, ſive ipſam totam perfectamque naturam, qualis in primâ „ conditione donata eſt, ſive vitiatæ naturæ „ qualeſcunque RELIQUIAS: nimis, quantum exiſtimo, abſurdum eſt. Nunquid „ enim per hæc dona quæ omnibus communia ſunt hominibus, diſcernuntur homines ab „ hominibus? Ille autem priùs dixit, *Quis „ enim te diſcernit?* ac deinde addidit, *Quid autem habes quod non accepiſti?* Poſſet quippe „ dicere homo *inflatus adversùs alterum:* Diſcernit me fides mea, juſtitia mea, vel ſi „ quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor: *Quid autem habes*, inquit, *quod non accepiſti?* A quo, niſi ab illo „ qui te diſcernit ab alio, cui non donavit, „ quod donavit tibi? *Si autem accepiſti*, ait, „ *quid gloriaris quaſi non acceperis?* Nunquid „ quæſo agit aliud, niſi *ut qui gloriatur, in Domino*

I. Fulg. l. 1. de Verit. Prædeſt. cap. 19.

Vide Proſp. lib. contra Collat. c. 40.

K. Synod. Arauſicana Can. 5.

Phil. 1. 6.

Ibid. v. 29.

Epheſ. 2. 8.

Vide Proſp. lib. contra collat. c. 29.

L. Auguſt. l. de prædeſt. Sanct. c. 5.

1. Cor. 4. 7.

1. Cor. 1. 29. & 31.

1. Cor. 4. 6.

Ibid. v. 7.

Ibid.

Digitized by Google

„ *mino glorietur?* Nihil autem huic ſenſui tam
„ contrarium eſt, quàm de ſuis meritis ſic
„ quenquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fe-
„ cerit, non gratia Dei: ſed gratia, quæ bo-
„ nos diſcernit à malis, non quæ communis
eſt bonis & malis". Hic videmus explodi po-
ſitionem ſupradictam Maſſilienſium, hoc velut
diſcurſu: Si quæ remanſiſſent reliquiæ primæ
integritatis in hominibus ex Adamo deſcen-
dentibus, quæ poſſint dici gratiæ; eæ eſſent
communes omnibus, quibus communis eſt
ipſa natura cum quâ transfundi prætenduntur:
Sed non poteſt intelligi fieri diſcretio hominis
ab homine, per id quod commune ſit omni
homini: Ergo illa diſcretio non debet ad-
ſcribi ullis ejuſmodi reliquiis primæ integrita-
tis; ſed gratiæ peculiari quæ quibuſdam pro
Dei gratuito beneplacito detur, aliis negetur
pro juſto ejuſdem judicio. Ubi planè ſupponi-
tur cum Fulgentio ſuprà, quòd ſi fides reli-
quaria eſſet, ea omnibus cum naturâ commu-
nis foret. Unde quia communis non eſt, di-
1. Theſ. 3. 2. cente Apoſtolo, *Non omnium eſt fides:* conſe-
quens omninò eſt, eam nequaquam eſſe reli-
quariam. Eſſet autem reliquaria, ſi primus pa-
rens eam retinuiſſet. Non ergo retinuit: & ſi
non retinuit, perdidit; cùm non ambigatur
quin aliquando habuerit.

CLXXIII. Sed quid opus ire per diſcur-
ſuum ambages ut probemus Adamum perdi-
diſſe fidem, cùm habeamus Patres id planis
verbis aſſeverantes? Ex his eſt Proſper proxi-
M. Proſper Reſponſ. ad nia prima Dubia Genuenſium. mo §. relatus, qui & eodem loco poſt paucu-
la ſubdit: M. Quomodo fides IN ADAM
„ PERDITA, in quoquam filiorum ejus
1. Cor. 12. 11. „ inveniretur, niſi eam *idem Spiritus, qui opera-*
„ *tur omnia in omnibus*, infunderet? Unde ſi
„ quod Adam perdidit poſteritas non amiſit,
„ ipſum ſolum læſit peccatum ejus, & non
„ genus humanum. Sed *omnes in uno peccave-*
„ *runt*, & prævaricationis merito tota ejus
„ propago damnata eſt: omnes igitur quod
„ Adam perdidit perdiderunt. PERDIDIT
„ AUTEM PRIMITUS FIDEM:
„ quam omnes, quia primam potuimus amit-
„ tere, primam habemus accipere". Qui rurſùs
lib. contra Collatorem cap. 18. "Apertiſſi-
„ mè patet, inquit, in quàm profundum ma-
„ lum totius humani generis natura demerſa
„ ſit, illius prævaricatione, *in quo omnes pecca-*
„ *verunt*, & quicquid ille perdidit perdiderunt.
„ PERDIDIT AUTEM PRIMITUS FIDEM,
„ perdidit continentiam, perdidit charitatem,
„ ſpoliatus eſt ſapientiâ & intellectu, caruit
„ conſilio & fortitudine: & impiè altiora ſe-
„ ctando à veritatis ſcientiâ & obedientiæ
„ pietate dejectus eſt: nec ipſo ſaltem timore
„ ſibi reliquo, ut ab interdictis vel metu ca-
„ veret pœnæ, qui abſtinebat amore juſtitiæ".
Et inferiùs ibidem c. 21. loquens de Adamo:
" Scientiam boni, inquit, tunc Adam habe-
„ bat, quando bonum ſanctumque mandatum
„ Dei fideli corde ſervabat, & erat juſtus ma-
„ nens in imagine Creatoris ſui, legiſque ejus
„ non obliviſcens. Poſtquam autem ſe, hoc
„ eſt, imaginem & templum Dei, decep-
„ tori ſuo ſubdidit, perdidit boni ſcien-
„ tiam, quia perdidit bonam conſcien-
„ tiam: juſtitiam enim iniquitas depulit,
„ humilitatem ſuperbia deſtruxit, conti-
„ nentiam concupiſcentia eliſit, INFI-
„ DELITAS RAPUIT FIDEM, cap-
„ tivitas abſtulit libertatem: nec potuit
„ illic ulla portio reſidere virtutum, quò tan-
ta irruperat turma vitiorum". Et rursùs in
Reſponſione ad objectionem 5. Vincentia-
nam". Peccatum, inquit, contra naturam
„ eſt, de quo mors & omnia quæ ſunt mortis
„ oriuntur: quibus malis tunc ſe homo induit,
„ quando illum FIDE OBEDIENTIA-
„ QUE PRIVATUM, in ſuas promiſſio-
nes Diabolus à Dei lege traduxit". Et iterùm
lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 7." Omnes homi-
„ nes, inquit, in primo homine ſine vitio
„ conditi ſumus, & omnes naturæ noſtræ in-
„ columitatem ejuſdem hominis prævarica-
„ tione perdidimus: inde tracta mortalitas,
„ inde multiplex corporis animique corruptio,
„ inde ignorantia & difficultas, curæ inutiles,
„ illicitæ cupiditates, ſacrilegi errores, timor
„ vanus, amor noxius, injuſta gaudia, pœni-
„ tenda conſilia, & non minor miſeriarum
„ multitudo quàm criminum. His ergo atque
„ aliis malis in naturam humanam irruenti-
„ bus, FIDE PERDITA, ſpe relictâ,
„ intelligentiâ obcœcatâ, voluntate captivâ,
nemo in ſe unde repararetur invenit". In his
Proſperi teſtimoniis nulla prorsùs, quantùm
ad præſentem quæſtionem, latet obſcuritas
aut ambiguitas; ſed tanta ex adverſo eſt eo-
rum claritas, ut non egeant elucidatore, ſed
lectore. Nonnihil tamen obſcuritatis latet in SCRUPULUS.
eo quod repetitò illic dicitur, *Adam primitus*
perdidiſſe fidem: quo videtur indicari quòd pri-
mum Adæ peccatum fuerit infidelitas contra-
ria fidei, ejuſdemque deſtructiva. Hoc autem
alienum videtur à communi Patrum ſenſu, qui
conſentienter perhibent primum peccatum
tam in hominibus quàm in dæmonibus fuiſſe
ſuperbiam, juxta illud Eccleſiaſtici: *Initium* Eccli. 10. 15.
omnis peccati eſt ſuperbia. Cui ſententiæ Proſper
etiam ipſe apertè ſubſcribit alibi, dicens: N. Idem Epiſtol. ad Demetriadem c. 9.
„ N. Sive in lapſu diaboli, ſive in prævarica-
„ tione hominis, initium peccati ſuperbia
eſt". Quando igitur idem Proſper aſſerit *Ada-* EXCUTITUR.
mum primitus perdidiſſe fidem, non negat primum
Adæ peccatum fuiſſe ſuperbiam, quâ depulſa
ſit humilitas; ſed indicat illud ipſum primum
peccatum non ita fuiſſe ſuperbiam, ut non ſi-
mul eſſet infidelitas, quâ deſtructa ſit fides.

Digitized by Google

Illud quippe primum Adæ peccatum multorum vitiorum ſcatuit deformitatibus: ut proinde ipſum ſubinde pluraliter exprimatur, dicente Pſalmographo: *In peccatis concepit me mater mea.* Ubi ratione peccati originalis, quod eſt quaſi veſtigium primi peccati Adæ, ait pluraliter *in peccatis*: O· In illo uno peccato, inquit Auguſtinus, quod *per unum hominem intravit in Mundum, & in omnes homines pertranſiit*, propter quod etiam parvuli baptizantur, poſſunt intelligi plura peccata, ſi unum ipſum in ſua quaſi membra dividatur ſingula: Nam & ſuperbia illic fuit, quia in ſuâ potiùs eſſe quàm in Dei poteſtate homo dilexit; & SACRILEGIUM, quia DEO NON CREDIDIT; & homicidium, quia ſeipſum præcipitavit in mortem; & fornicatio ſpiritalis, quia integritas mentis humanæ ſerpentinâ ſuaſione corrupta eſt; & furtum, quia cibus prohibitus uſurpatus eſt; & avaritia, quia plus quàm illi ſufficere debuit appetivit: & ſiquid aliud in hoc uno admiſſo diligenti conſideratione inveniri poteſt". Quem Auguſtini locum verbatim tranſcripſit ac ſuum fecit Leo Papa Epiſt. 86. ad Nicetam. Quoniam igitur tota poſteritas in primo parente peccante peccavit, & ipſius peccatum virtute multiplex in ſingulos naſcentes transfunditur, idcircò Pſalmographus hujus transfuſionis conſcius dicebat pluraliter: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quarum iniquitatum una fuit infidelitas, quâ diſcreditum eſt Deo, & perdita fides: quam idcircò Proſper perditam dixit fuiſſe *primitùs*, quia ipſo primo Adami peccato, quatenùs habuit infidelitatis deformitatem, extincta fuit. Propter quam infidelitatis deformitatem Eccleſiaſticus non dubitavit ipſum primum Adæ peccatum *apoſtatandi* vocabulo exprimere: *Initium*, inquiens, *ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo.* Uſque adeò igitur, juxta Proſperum, fides in Adamo periit, ut ipſa prima ejus prævaricatio infidelitatem ſive apoſtaſiam involverit fidei peremptivam. Quanti porrò in hac materiâ adversùs Semipelagianos, nominatimque adversùs Caſſianum & Vincentium, facienda ſit hujus Proſperi authoritas, dicat nobis ipſe P. Suarez, cujus renitentiâ coacti ſumus tot Proſperi locos è diverſis ejus Opuſculis deſcriptos coacervare: P· Inter omnes Patres, ait ipſe, qui poſt exortos Semipelagianos pro gratiâ Dei ſcripſerunt, Proſper maximam authoritatem poſt Auguſtinum obtinuit: & ſanè meritò, tum quia eodem tempore, & à principio illius erroris, contra illius authores adhuc viventes, Caſſianum & Vincentium, ſcripſit; & acerrimè, magnoque ingenio & verborum pondere diſputavit: tum etiam, quia Auguſtino valdè affectus, & in ejus doctrinâ plurimùm verſatus, non ſolùm à veſtigiis ejus non recedit, verùm etiam ipſius affectum & ingenium quodammodò videtur induiſſe: tum denique quia per plures annos huic ſtudio & defenſioni totus incubuit, idque, ut ipſe teſtatur in Præfatione ad objectiones Vincentianas, *ex Apoſtolicæ Sedis authoritate*; quod munus magnâ fidelitate & diligentiâ exercuit".

Iſ. 50. 7.
O. Aug. Enchirid. c. 45. Rom. 5. 12.
Leo.
Eccli. 10 14.
P. Suarez Prolegomeno 6. de Gratiâ c. 6. n. 22.

CLXXIV. Quamvis Proſper in aſſerendâ Adæ infidelitate ſolus exiſteret ſuffragator aut patronus, mirum tamen foret ejus aſſertionem, tanquam *omni veriſimilitudine ac probabilitate deſtitutam* explodi ab eo, qui ejuſdem Proſperi authoritatem tantopere deprædicat. Sed non eſt ille ſolus, habet ſecum magnam nobilium ſuffragatorum turmam: ut inprimis Fulgentium, cum quatuordecim Coepiſcopis, quorum communi nomine editus eſt liber de Incarnatione & Gratiâ, qui inter ejuſdem Fulgentii Opera proſtat, & ab ipſo P. Suarez plurimùm laudatur ibidem n. 25. ubi de Fulgentio loquens: "Propriè, inquit, & ex inſtituto diſputavit de Gratiâ contra Semipelagianos in libro *de Incarnatione & Gratiâ ad Petrum*, à capite 12. Quod Opus unum eſt ex præcipuis contra Semipelagianos, & poſt Auguſtini & Proſperi Opera maximi ponderis & authoritatis mihi eſſe videtur, & ita illius ſententiis frequenter utemur. Quamvis enim liber ille Fulgentio adſcribatur, quia, ut creditur, ab illo fuit conſcriptus, quod & ſtylus & eruditio ejus oſtendit; nihilominùs ſub nomine quindecim Epiſcoporum, qui in ejus initio nominantur, miſſus eſt. Unde ab omnibus fuit probatus, ut dici poſſit quandam Concilii Provincialis vim & authoritatem habere". In hoc ergo libro, ſeu potiùs Synodali Reſcripto, quid de præſenti quæſtione tradatur audiamus: Q·Peccans itaque ille (*Adam*) qui ſine peccandi neceſſitate creatus eſt, in eo quod animæ ſanitatem delinquendo perdidit, etiam ILLAM COGITANDI QUÆ AD DEUM PERTINENT AMISIT PROTINUS FACULTATEM". Nunquid hinc planum eſt Adamum perdidiſſe fidem, quæ præcipuum conſtituit gradum *facultatis cogitandi quæ ad Deum pertinent?* Vis apertiora? Audi cætera: ſequitur quippe ibidem continuò de eodem protoplaſto: "Oblitus enim manducare panem ſuum, & EXPOLIATUS VESTIMENTO FIDEI, carnaliumque concupiſcentiarum vulneribus ſauciatus, ſic jacet oppreſſus ditione peccati, ut nullatenùs aliquod bonæ voluntatis initium habere potuiſſet, niſi hoc Deo gratis donante ſumpſiſſet". Quid aliud eſt *expoliari veſtimento fidei*, quàm exui fide quâ fuerat amictus, imò & protectus? Sed audi adhuc non minus luculenter ibidem cap. 22.

Vide ſuprà § 171. & 172.
Suarez.
Q. Fulgent. lib. de Incarnat. & Grat. c. 11.

Digitized by Google

cap. 22. " Humanæ naturæ ad beatitudinem ,, fides eſt via, cui eſt infidelitas magna mi- ,, ſeria: & ideò dignè punitur cùm in Dei ,, Filium non credit, quia vitium ejus eſt in- ,, fidelitas, ſicut virtus eſt fides; non qualis ,, in dæmonibus invenitur, ſed qualem Deus ,, Sanctis ſuis donat quos ex impietate juſtifi-

Gal. 5. 6.
,, cat. Ipſa eſt *fides quæ per charitatem operatur:*

Jac. 2. 19.
,, nam & *dæmones credunt, & contremiſcunt*; ſed ,, non diligunt eum, à quo per ſuperbiam re- ,, ceſſerunt. In quam ſuperbiam quia primus ,, homo diabolicâ eſt perſuaſione dejectus, in ,, quo perdidit humilitatem, PERDIDIT ,, FIDEM: perdens autem fidem, perdidit ,, divinam protectionem. Scriptum eſt enim,

Eccli. 2. 15.
Qui non credit Deo, à Deo non protegitur". Et rursùs capite proximè ſequenti: " Quamvis igi- ,, tur homini primo diabolus ABSTULE- ,, RIT FIDEM, Deo tamen reddendi quod dederat non abſtulit poteſtatem". Apertiora ſunt hæc Fulgentii & coepiſcoporum ejus teſtimonia, & quidem ex eo ipſo libro quem P. Suarez tantopere laudat, univerſim deſumpta, quàm ut ullo commentario illuſtrari, vel ullis ambiguitatis nebulis obſcurari, vel ullis ſubtilitatis præſtigiis aliorsùm de-

Auguſtinus.
torqueri queant. Auguſtini prætcrea teſtimonium hiſce conſonum exhibuimus proximo §.

Leo.
ex Enchiridio deſumptum, & à Leone etiam Papâ verbatim tranſcriptum, ipſáque tranſcriptione approbatum. Cui teſtimonio & illud ejuſdem hìc adjicimus, qui tractans illum

Rom. 8. 10.
Apoſtoli locum, *Si Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus autem*

R. Auguſt. l. 1. de peccat. Meritis cap. 7.
vivit propter iuſtificationem: R. Hoc dictum eſt, ,, inquit, ne ideò putarent homines vel nul- ,, lum vel parvum ſe habere beneficium de ,, gratiâ Chriſti, quia neceſſariò morituri ſunt ,, corpore. Attendere quippe debent, corpus ,, quidem adhuc peccati meritum gerere, quod ,, conditioni mortis obſtrictum eſt; ſed jam ,, ſpiritum cœpiſſe vivere per juſtitiam fidei, ,, qui & ipſe in homine *fuerat quâdam morte infidelitatis extinctus*". Quæ poſtrema verba, ne quis in alienum à propoſito ſenſum ea detorqueat,

Lovanienſes.
Lovanienſes Theologi in ſuâ editione illuſtrarunt hoc ſcholiolo in margine adſcripto: *Morte infidelitatis Adæ ſpiritus fuit extinctus.* Idem

Auguſtinus.
rursùs Auguſtinus Serm. 34. de Diverſis c. 2. loquens de Adamo: " Aurem, inquit, præ- ,, buit ſerpenti, aurem clauſit ad Deum: at- ,, que conſtitutus inter præceptorem & ſedu- ,, ctorem, magis ſeductori quàm præceptori ,, obtemperare elegit. Unde enim audivit ,, Deum, inde audivit diabolum: quare non potiùs meliori credidit"? Et lib. 14. de Civit. cap. 17. loquens de ambobus protoplaſtis nuditatem ſuam mox à lapſu erubeſcentibus:

Gen. 3. 7.
"*Cognoverunt*, inquit, *quia nudi erant*, nudati ſcili- ,, cet eâ gratiâ, quâ fiebat, ut nuditas corporis ,, nullâ eos lege peccati menti eorum repug- ,, nante confunderet. Hoc ergo cognoverunt, ,, quod feliciùs ignorarent, ſi Deo credentes ,, & obedientes non committerent, quod eos ,, cogeret experiri, INFIDELITAS ET INOBEDIENTIA quid nocerent". Hujus teſtimonii vim enervare volens P. Suarez lib. 4. de Amiſſione ſtatûs innocentiæ cap. 4. n. 22. negat Auguſtinum tribuere utrique protoplaſto utrumque defectum, ſed cum *partitione accommodâ* loqui, tribuendo Adamo *inobedientiam*; Evæ autem *infidelitatem*. Sed hæc

Suarez. Vide infrà §. 176.

evaſio, præterquam quòd gratis & contra Auguſtini mentem excogitata ſit, authori ſuo adeò incommodat, ut ipſius poſitionem initio hujus capitis relatam funditùs ſubvertat. Dixerat quippe illic neutrum è protoplaſtis infidelitatem incurriſſe: ut hinc aſtrueret Eccleſiam antea cœptam nequaquàm intercidiſſe. Hìc ex adverſo per ſuam *partitionem accommodam* ſicut uni protoplaſtorum adſcribit inobedientiam, ita alteri infidelitatem. Agnoſcit proinde Eccleſiam tunc deſiiſſe, cùm nonniſi unica perſona reſtaret fidelis. Etenim ut ipſemet alibi palàm profitetur, S. *Eccleſia* nomen ,, eſt collectivum: & ideò ſicut *populus* vel ,, *Reſpublica* non unâ tantùm perſonâ conſtat, ,, ita neque *Eccleſia*, cùm politicum ſit corpus ,, ex plurium hominum conjunctione coaleſ- ,, cens. Ex quo conſtat, propriè in ſolo Adamo non fuiſſe Eccleſiam". Mirùm præterea eſt quomodò non adverterit ſe ſuâ *partitione accommodâ* removere ab Evâ *inobedientiam*, perinde ac ab Adamo *infidelitatem*. In partitione enim accommodâ ſicut ſingula attribuuntur reſpectivè ſingulis, ita ſingula removentur reſpectivè à ſingulis. Si ergo *infidelitas* & *inobedientia* per *partitionem accommodam* tribuuntur protoplaſtis, conſectarium eſt ut uni eorum tribuatur *inobedientia* abſque *infidelitate*, & alteri *infidelitas* abſque *inobedientiâ*. Ecce quouſque proceſſit zelus vindicandi Adamum à labe infidelitatis, ut non ſubſtiterit donec Evæ ſubtraheret labem inobedientiæ!

S. Suarez Tractat. de Fide Diſp. 9. Sect. 2. n. 2.

CLXXV. Proculdubiò igitur hæc Suarezii interpretatio verborum Auguſtini, non ſolùm incommoda eſt ſcopo interpretantis, ſed prorsùs aliena à mente interpretati: qui ſicut priora illa concreta, *credentes* & *obedientes*, ad utrumque protoplaſtum ſine partione accommodâ retulit, ita & ſequentia illa contrariorum abſtracta, *infidelitatem* & *inobedientiam*. Unde Proſper, fidiſſimus Auguſtinianæ mentis interpres, loquens non de ambobus protoplaſtis, ſed de ſolo Adamo, utrumque defectum ei junctim attribuit: T. Illum, in- ,, quiens, FIDE OBEDIENTIAQUE ,, PRIVATUM, in ſuas promiſſiones diabolus à Dei lege traduxit". Quid eſt, *fide obedientiâq; privatum*, niſi infidelitate & inobe-

T. Proſper Reſponſ. ad Objectionem 5. Vincent.

Ee 2 dientiâ

dientiâ deformatum ? Quanquam autem Suarezius ſuâ *partitione commodâ* tentet appropriare Evæ *inſidelitatem*, Adamo *inobedientiam*: Auguſtinus tamen cavit ſemovere vel *inobedientiam* ab Eva, vel *inſidelitatem* ab Adamo. Quid enim aliud agit quàm ut Adamum infidelitatis arguat, quando explanans Euangelicam hiſtoriam *cæci nati* per Chriſtum illuminati: „ V. Hæc cæcitas, inquit, contigit IN PRIMO HOMINE per peccatum, de quo omnes originem duximus non ſolùm mortis, ſed etiam iniquitatis" ? Ubi ne quis ſuſpicetur cæcitatem aliter ſumi ab Auguſtino quàm pro infidelitate, protinùs addit ipſe: " Si „ enim cæcitas eſt INFIDELITAS, & illuminatio FIDES, quem fidelem quando venit Chriſtus invenit" ? Hæc ergo cæcitas, quæ ipſa eſt infidelitas fidei oppoſita, ideo in omnes homines tranſiit, quia *in primo homine per peccatum contigit*. Huc etiam facit quòd idem Auguſtinus pro ſe adducat Olympii Epiſcopi ſuffragium, quo fides in Adamo perdita fuiſſe aſſeritur W. Olympius, inquiens, Hiſpanus „ Epiſcopus, vir magnæ in Eccleſiâ & in „ Chriſto gloriæ, in quodam Sermone Eccleſiaſtico: *Si fides*, inquit, *unquam in terris incorrupta manſiſſet, ac veſtigia defixa tenuiſſet quæ ſignata deſeruit, nunquam protoplaſti mortiſerâ tranſgreſſione vitium ſparſiſſet in germine, ut peccatum cum homine naſceretur*". Cui ſententiæ admodùm conſona eſt illa Proſperi expoſtulatio cum illo Semipelagiano homine qui fidem in Adamo remanſiſſe, virtutibus cæteris amiſſis, contendebat: X. Quid eſt quòd huic naturæ „ ſolam fidem non vult eſſe præreptam ? quam „ niſi primam amiſiſſet, cæteris bonis omnibus non careret" ? Porrò Auguſtinus ſicut Olympii ſuffragium pro ſe adduxit, ut jam vidimus; ita & ibidem paulò inferiùs ſubjunxit hocce Ambroſii teſtimonium, quo ſimiliter fides in Adamo periiſſe aſſeritur: Y. *Cave ergo ne ante nuderis, ſicut Adam nudatus eſt, mandati cæleſtis cuſtodiâ deſtitutus, & exutus fidei veſtimento; & ſic lethale vulnus accepit, in quo omne genus occidiſſet humanum, niſi Samaritanus ille deſcendens vulnera eius acerba curaſſet*. Quibus ille verbis binos defectus uni Adamo attribuit, quos Suarezius per ſuam *partitionem accommodam* inter duos protoplaſtos dividere tentavit, *inobedientiam* ſcilicet & *inſidelitatem*. Quid enim niſi *inobedientia* exprobratur Adamo, cùm dicitur *Mandati cæleſtis cuſtodiâ deſtitutus* ? Quid item niſi *inſidelitas* eidem improperatur, cùm dicitur *Exutus fidei veſtimento* ? Scripſit porrò prædictam ſententiam Ambroſius cùm explanaret parabolam Euangelicam *Hominis deſcendentis ab Hieruſalem in Iericho, & incidentis in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum; & plagis impoſitis abierunt, ſemivicto relicto*. Ex quâ parabolâ, de primo humani generis parente intellectâ, ſumpſerunt Theologi axioma, de quo Eſtius ait: Z. Ad Catholicam „ doctrinam pertinet illud à Patribus frequentatum, quòd HOMO PER PECCATUM „ VULNERATUS EST IN NATURALIBUS, SPOLIATUS AUTEM GRATUITIS". Quiſquis proinde negat Adamum fuiſſe fide ſpoliatum, conſequens eſt ut dicat fidem non eſſe gratuitam: cùm nihil gratuitorum in dicto axiomate habeatur exceptum. Et ſanè Ambroſius aliunde quoque colligit, Adamum fuiſſe tunc fide ſpoliatum: quia nimirùm, A. Hunc eouſque videre nolebat Dominus, ut quæreret, dicens: *Adam* „ *ubi es*? Qui quæritur, pro abſente habetur: „ fides eſt quæ nos repræſentat Deo, perfidia quæ facit impios exulare". Fide ergo ſpoliatus & perfidiâ indutus jam fuerat Adam, quando à Domino quærebatur ut abſens, revocabatur ut exul. Unde idem Ambroſius Epiſt. 14. aliàs 33. ad Marcellinam ſororem ait: " *Adam ubi es?* hoc eſt, quid eras antè ? „ Ubi nunc eſſe cœpiſti ? Quò ipſe progreſſus „ es ? Agnoſcis te eſſe nudum, quia BONÆ „ INDUMENTA FIDEI PERDIDISTI". Hunc Ambroſii locum ſibi objectum eludere tentat P. Suarez dicendo: „ B. Quod Ambroſius ait *Adam amiſiſſe bona indumenta fidei*, de charitate, virtutibus, & „ donis intelligi poteſt: nam hæc ſunt *bona indumenta fidei*: quòd autem ipſam etiam fidem amiſerit, non ſatis apertè affirmat Ambroſius". Sed profectò apertiora ſunt alia Ambroſii loca mox ſuprà adducta, quàm ut quempiam patiantur de ipſius mente ambigere: quin & hic ipſe locus quem modò tractamus, nihil habet ambiguitatis ſi animo non præoccupato legatur: neque enim Ambroſius ait, Agnoſcis fidem tuam eſſe nudam, quia bona indumenta ſua perdidit: ſed, *Agnoſcis te eſſe nudum, quia bona indumenta fidei perdidiſti*. Non igitur de fidei, ſed de ipſius hominis prævià veſtitione & ſubſequente nudatione eſt ſermo: ſicut & ſuprà in altero ejuſdem Ambroſii loco, ubi Adam dicitur *Exutus fidei veſtimento*; & præcedenti §. apud Fulgentium *Expoliatus veſtimento fidei*. Quod veſtimentum Ambroſius alibi vocat *exuvias*, quia nimirùm hoſti ceſſit in ſpolium: C. Si jejunaſſet „ Adam, ait ille, fidei ſervaſſet exuvias, nec ſe aſpexiſſet intectum". Dudum quoque ante hos omnes Tertullianus: D A primordio, in„ quit, homo animalis, non recipiens quæ „ ſunt ſpiritus, ſtultitiam exiſtimavit Dei le„ gem, ut quam obſervare neglexit: ideoque „ NON HABENDO FIDEM, etiam quod videbatur habere ademptum eſt illi". Et mox iterum poſt paucula: " Quis dubitabit, in„ quit, ipſum illud Adæ peccatum, HÆRESIM pronuntiare" ? Si *hæreſis* pronuntiari poteſt,

Ioan. 9. 1.

V. Auguſt. Tract. 44. in Joan.

W. Aug. l. 1. contra Julian. c. 3.

Olympius.

X. Proſper Reſponſ. ad tria prima Dubia Genuenſium.

Y. Amb. in cap. 10. Lucæ, apud Aug. lib. 1 contra Julian. c. 3.

Vide Rupert. l. 2. in Geneſ. c. 31. & l 3. c. 11. & lib 2. de victor. verbi Dei c. 7. & 8. & l. 6. de Glorif. Trinit. c. 19. & in c. 2. Jonæ v. 1.

Luc. 10. 30.

Z. Eſtius in 2. Diſt. 24. §. 18.

A. Amb. in Pſalm. 36. v. 9.

Gen. 3. 9.

B. Suarez lib. 4. de Amiſſ. ſtatûs innoc. c. 4. n. 20.

C. Amb. in Pſalm. 72. v. 6.

D. Tertull. l. 2. contra Marcionem cap. 2.

Digitized by Google

poteſt, proculdubiò infidelitas fuit, & fidem ſubruit. Cujus infidelitatis luculentum habemus teſtimonium à Cyrillo Alexandrino perhibitum, qui ait: E. Primus parens Adam, „ neglecto divino præcepto, ad INCREDULITATEM INOBEDIENTIAMQUE declinavit". Nulla hìc patet rima, quâ ſubintrare queat vel umbra *partitionis accommodæ*, quâ tentatum eſt evigorari teſtimonium Auguſtini, huic utcunque parallelum. Neque enim Cyrillo hìc ſermo eſt de duobus protoplaſtis, ut fingas attribui alteri *incredulitatem*, alteri *inobedientiam*: ſed de unico Adamo ſermo eſt, cui abſque complice tribuitur & *incredulitas*, & *inobedientia*.

E Cyrillus Alexan. in Glaphyris ſuper Levit. ſub initium. Vide Titum Boſtrenſem in caput 15. Lucæ v. 22.

CLXXVI. Sed unde putabimus P. Suarezio veniſſe in mentem, ut contra tot ac tantorum Tractatorum conſona ſuffragia contenderet, *Neque veriſimile eſſe aut probabile Adamum perdidiſſe fidem: quod etiam de Eva probabilius dicendum eſt*? Reſponderi poteſt, eum, cùm hæc ſcriberet, accenſum fuiſſe zelo propugnandi perpetuam indefectibilitatem Eccleſiæ, quam tunc putaverat cœpiſſe in terris ante primorum parentum lapſum. Verùm remittente ſe paululùm iſto zelo, vel ingerente ſe pleniùs luce Veritatis, remiſit ipſe nonnihil de priſtinâ aſſeverandi fiduciâ: adeo quidem, ut ibidem Sectione proximè ſequenti nonniſi dubitanter loquatur de protoplaſtorum in fide perſeverantiâ, quam ſuperiori Sectione tam aſſeveranter aſtruxerat: F. Dico primò, ait ipſe „ illic, Eccleſia à ſui initio (ſaltem poſt pri„ morum parentum pœnitentiam, SI FORTE PER HÆRESIM ETIAM LAPSI FUERANT, de quo alibi) uſque ad „ adventum Chriſti, perpetuâ quâdam fi„ delium ſucceſſione duravit; quæ neque „ minimo tempore interrupta fuit, in quo „ non fuerit in Mundo aliqua fidelium congregatio". Ubi peculiariter notanda eſt iſta clauſula, *Si fortè per hæreſim etiam lapſi fuerant*; quâ palàm agnoſcit primorum parentum in fide perſeverantiam non eſſe tam indubitabilem, ut *neque veriſimile ſit aut probabile Adamum perdidiſſe fidem: quod etiam de Eva probabilius dicendum eſt*. Remiſit ergo author multùm de priori ſuâ aſſeverandi fiduciâ, alioquin non reliquiſſet jam ſub dubio id, cujus oppoſitum omni veriſimilitudine probabilitateve carere prædixerat. Sed quònam nos remittit per finalem illam ſuæ parentheſeos clauſulam, *De quo alibi*? Utique ad *librum 4. de Opere ſex dierum cap. 2. & 4.* Sic enim indicat Notula marginalis. Hujus porrò libri mentio habita à nobis eſt ſuperiùs hìc §. 174. ubi eum citavimus ſub proprio ſuo titulo, qui eſt, *De amiſſione ſtatûs innocentiæ*: atque ex illic præmiſſis ſatis apparet quàm parùm providè author illuc ſuum lectorem remiſerit, ſi tamen ipſe ſcripſerit prædictam Notulam marginalem. Illic quippe ſimpliciter, & abſque dubitationis indicio, *infidelitatem* attribuit uni ſaltem protoplaſtorum, nimirùm Evæ: aſſerens Auguſtini locum, quo *infidelitas & inobedientia* attribuuntur protoplaſtis, intelligendum eſſe *cum partitione accommodâ*, hoc eſt, ut nequaquam tribuatur utraque culpa utrique, ſed una uni, & altera alteri. Hoc autem quàm parùm cohæreat eis quæ ex Tractatu eius de Fide Diſp. 9. retulimus, obvium eſt cuique cernere. Quapropter cogitur ipſe vel retractare quod de *partitione accommodâ* ſcripſerat, aut Eccleſiæ exordium lapſui protoplaſtorum poſtponere, aut denique fateri Eccleſiam ante eundem lapſum cœptam interiiſſe: quandoquidem juxta ipſum eodem §. 174. relatum, *Eccleſia nomen ſit collectivum* &c. Sed quid movit eum ut eo etiam loco ubi Evam à fide excidiſſe fatetur, Adamum excidiſſe diffiteatur? Movit utique locus iſte Apoſtoli, *Adam non eſt ſeductus*. Verùm cùm ipſe probè ſciat Apoſtolum ibidem veſtigiò ſubdidiſſe, *Mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit*; cur in Tractatu de Fide, ut mox vidimus, infidelitatem removit ab Evâ, perinde ac ab Adamo? Nimirùm quia videbat ſe inaniter laborare pro Eccleſiæ ante protoplaſtorum lapſum à ſe cœptæ perpetuitate, niſi infidelitatem ab utroque protoplaſto removeret. Ex quo cernere licet, quantum in utramvis partem pro quaque occaſione valeat mentis præjudicium.

Vide ſuprà § 171. & 172.

F. Suarez Tractat. de Fide Diſput. 9. Sect. 3. n. 1.

Vide ſuprà §. 174.

1. Tim. 2. 14.

Ibid.

CLXXVII. Interim diſcutiamus motivum illud, quod oſtendit ex Apoſtolo, dicente: *Adam non eſt ſeductus*. Priùs tamen admonendus eſt Lector, ut advertat, multiplices iſtius loci interpretationes propterea à Patribus ac ſequentibus Doctoribus excogitatas fuiſſe, quòd perſuaſum haberent Adamum reverà in materiâ fidei erraſſe, adeòque Apoſtolum illis verbis nihil minùs quàm eum ab infidelitate purgare voluiſſe. Hinc omnes earum interpretationum authores & aſſertores, tam veteres quàm recentiores, P. Suarezio adverſantur, & nobis patrocinantur: quos, cùm ſint innumeri ex omni ordine atque ætate, particulatim recenſere, nimis foret tœdioſum, & parùm proficuum. Ipſas tamen interpretationes exhibebimus, prout extant apud Eſtium: qui propoſitâ in titulum quæſtione, *Quomodò dicat Apoſtolus Adamum non eſſe ſeductum*? Subdit in Textu: G. Hæc Apoſtoli verba apud Patres „ varias recipiunt interpretationes: quidam ſic „ intelligunt, Adam non eſt prior ſeductus, „ ſed mulier: hoc enim exprimebatur in ſen„ tentiâ præcedenti, *Adam primus formatus eſt*, „ *deinde Eva*. Sic Ambroſius lib. de Paradiſo „ cap. 4. Quidam hoc modo, Adam non eſt „ ſeductus à Serpente ſecum loquente, ſicut

G. Eſtius in 2. Diſt. 22. §. 5. Vide eund. in caput 2. prioris ad Timoth. v. 14. & Pererium lib 6. in Geneſim n. 94 & Bellarm l. 3. de Amiſſione gratiæ c. 6. & 7.

Ibid. v. 13.

 Eva

Digitized by Google

„ Evæ. Alii hunc reddunt ſenſum, Scriptura „ non commemorat Adam ſeductum eſſe: quo „ nimirum ſenſu Hebr. 7. Melchiſedech dici- „ tur *ſine patre*, *ſine matre* &c. Author com- „ mentarii Ambroſio inſcripti in Paulum, in- „ terpretatur Adam non fuiſſe ſeductum in „ prævaricationem, id eſt, ſic ut mulieri præ- „ varicationis author eſſet, quomodò mulier „ ſeducta viro fuit author prævaricandi. In „ eo enim commentario verba Apoſtoli ex- „ preſſiùs è Græco ſic leguntur, *Mulier autem* „ *ſeducta facta eſt in prævaricationem.* Porrò non- „ nulli ſic exponunt, Adam non peccavit ſe- „ ductus, mulier autem peccavit ſeducta, id „ eſt, Viro non fuit perſuaſum Deum non „ præcepiſſe ne comederet de ligno, ſed ſciens „ & prudens tranſgreſſus eſt præceptum Dei: „ mulieri autem hoc à ſerpente perſuaſum „ fuit, ut ad quam notitia præcepti non im- „ mediatè à Deo, ſed per virum venerat: „ unde factum ut faciliùs crederet ſerpenti „ ſuggerenti non eſſe putandum quòd Deus „ eos prohiberet ab eſu illius ligni. Cum hoc „ autem conſiſtit virum crediſſe ſerpenti in „ eo quod dixit, *Non moriemini*: &, *Eritis ſicut* „ *Dii* &c. Alii denique ſentiunt Apoſtoli ver- „ ba propriè & formaliter accepta veritatem „ habere; nec tamen inde conſequi virum non „ crediſſe vera eſſe quæ ſerpens dixerat. „ Multa enim falſa credimus non propriè ſe- „ ducti ac decepti ab aliquo, ſed alio quocun- „ que modo ad credendum inducti: nam is „ propriè decipere aliquem dicitur, qui fal- „ lendi animo falſum ei perſuadet. Hoc modo „ ſerpens decepit mulierem, non mulier vi- „ rum: ſerpens enim fallere voluit; mulier „ autem etſi falſum viro perſuaſit, hoc fecit „ decepta, non decipiens; ſeducta, non ſe- „ ducens: quia non fecit animo fallendi, pu- „ tabat enim verum eſſe quod ſuadebat. At „ neque ſerpens propriè decepit virum, quia „ ſermo ejus non fuit cum viro, ſed cum mu- „ liere: quare nec ſuaſione vel adhortatione „ aliquâ ſerpentis dicendum videtur inductum „ fuiſſe ut verbis illius ad ſe relatis crederet, „ ſed amore propriæ poteſtatis, quo peccato „ primùm peccaverat: libenter enim credit „ quiſque, quod amat. Itaque propriè mulier „ virum non ſeduxit, quia fallere noluit: ſer- „ pens quoque virum non ſeduxit, quia nul- „ lam viro ſuaſionem adhibuit. Unde con- „ cluditur, *virum non fuiſſe ſeductum.* Harum „ ſex expoſitionum nulla cogit intelligere, „ Adamum non crediſſe vera eſſe quæ ſer- „ pens promiſerat". Cùm igitur omnium ha- rum interpretationum authores & aſſertores idcircò vel eas procuderint, vel procuſis ad- hæſerint, quòd perſuaſum haberent Adamum in materiâ religionis erraſſe, & *circa fidem* *naufragaſſe*; poſſumus eos accenſere turmæ Pa- trum, quos in capitis hujus decurſu pro aſ- truendâ Adami perfidiâ adduximus. Ne igi- tur Eccleſiam ſemel cœptam cogamur fateri interruptam, concludamus ex dictis eam de- mùm poſt generalem illum humani generis in protoplaſtis lapſum cœpiſſe: nec nos pertur- bet illius neoterici ſcriptoris, quantumvis alio- qui eruditi ac laudati, contradictio: præſer- tim cùm ipſe, in hac ſignanter causâ, non ſo- lùm tantæ nubi teſtium contradicat, ſed nec ſibi ipſi ſatis conſtet. Præter eas enim antilo- gias quas hìc ſuprà ex ipſo recitavimus, ſuper- ſunt aliæ complures, quarum ſpecimen adji- cio: H. *Valde incertum mihi eſt*, inquit ipſe, *utrum Adam peccando fidem amiſerit:* cùm tamen jam toties eum audierimus aſſeverantem, *Ne- que veriſimile eſſe aut probabile Adamum perdidiſſe fidem.* Quomodò fieri poteſt ut unum oppoſi- torum *ſit mihi incertum*, ſi alterum mihi *nec ve- riſimile ſit nec probabile?* Addit præterea ibidem: *Ex patribus qui referuntur, ſolus Proſper clarè loqui videtur:* cùm tamen ſuperiùs Prolegomeno 4. de Gratiâ c. 6. n. 5. ſcripſerit, *An Adam fidem pec- cando perdiderit, nec refert, nec pertinet ad hunc lo- cum. Fulgentius autem ſuprà ſimpliciter affirmat, & Proſper contra Collatorem.* Quomodò *ſolus Proſper*, ſi etiam Fulgentius? An fortè non *clarè*? Imò adeò clarè ut idem ipſe lib. 4. de Amiſſione ſtatûs innocentiæ cap. 4. n. 20. ſcripſerit: *De Proſpero & Fulgentio id negare non poſſumus: quam- vis autem eorum ſententia probabilis ſit, eam ſequi non cogimur.* Ubi non modò Proſperum, ſed & Fulgentium ita loqui aſſerit, ut *negare non poſſimus.* Quid eſt autem *clarè loqui*, niſi ita lo- qui, ut quin ita ſenſerint negari nequeat? Præterea illud quod hìc ait, *Quamvis autem eo- rum ſententia probabilis ſit*, quâ nimirùm aſſe- runt Adamum in lapſu perdidiſſe fidem, prorſùs adverſatur ei quod alibi, ut mox vidimus, ſcribit: *Neque eſt veriſimile aut probabile Adamum perdidiſſe fidem.* Atque hæc modò ſufficiant pro ſpecimine: quibus pro coronide hujus capi- tis adjicio illud Hieronymi, I. *Non meretur fidem inconſtantia.*

1. Tim. 1. 19.

H. Suar. l. 12. de Gratiâ c. 5. n. 16.

I. Hieron. lib. 1. contra Ruffin. cap. 3.

CAPUT

CAPUT L.

Mulier fortis ſub ratione hominis myſtici eaſdem ætatum varietates ſubit, quas homo phyſicus. Populus Romanus à Servio Tullio in tres ordines pro ætatum diſparitate diſpertitus, pueros, juvenes, ſenes. *Pythagoras quadripartitam ſtatuit hominis vitam, ſecundùm quatuor anni quarteria, ut veri reſpondeat* pueritia, *æſtati* adoleſcentia, *autumno* juventa, *hiemi* ſenecta. *Varronis ſententia de quinque humanæ ætatis gradibus, diverſimodè à diverſis relata, & cuique gradui ſua trimembris ſubdiviſio aſſignata. Ab Iſidoro ſubinde tres aſſignantur ætatum differentiæ microcoſmo; ſubinde ſex, ut & macrocoſmo. Ambroſio poſt Philonem placuit ſeptimembris ætatum partitio ab Hippocrate procuſa, uti & decimembris à Solone tradita. Singulæ hæ ætatum differentiæ transferuntur cum proportione ad Eccleſiam tanquam hominem myſticum; cui à quibuſdam aſſignantur tres, ab aliis quatuor, à nonnullis quinque: à pleriſque ſex, ab aliquibus item ſeptem, imò & decem ſectiones ætatum: quidni & duodecim, ſecundùm totidem* Horas diei; *perinde ac quatuor, ſecundùm totidem* vigilias noctis? *Analogia ætatum Eccleſiæ cum primis diebus creationis Mundi. Singulæ ætates Eccleſiæ ſuos habent terminos inchoationis, ſolâ ultimâ carente termino inſuper finitionis. Sicut non æquantur inter ſe gradus ætatis humanæ, ita nec Eccleſiaſticæ.*

CLXXVIII Dilatis igitur Eccleſiæ incunabulis in illud uſque tempus quo primi homines poſt ſuam averſionem à Deo vocati, & vocantem ſecuti, fidem *Unius Mediatoris Dei & hominum hominis Chriſti Ieſu* ex auditu concipientes, cœtum credentium de infidelitate ad fidem concitorum conſtituerunt: indagemus penitiùs ac particulariùs quot & quaſnam ætatum varietates decurriſſe eam oporteat priuſquam eò tota perveniat, ubi Virum ſuum ac Judicem auditura eſt præcipientem miniſtris, *Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius.* Quanquam enim ſuperiùs cap. 47. tres ei ætatum gradus ex Proſpero & Auguſtino aſſignaverimus, quia tamen horum graduum quiſque adeò eſt amplus & profuſus, ut plures in ſe durationum varietates climacteriis quibuſdam diſtinctas complectatur; idcircò pro diſtinctiori notitiâ proderit minutiores gradus ſtatuere, & graduum terminos nimiâ diſtantiâ ſejunctos contrahere. Conſideranda quippe eſt Eccleſia tanquam perſona quædam myſtica, eaſdem ætatum varietates ſubiens ac decurrens, quas ſubeunt ac decurrunt perſonæ phyſicæ quæ ad ſenium uſque protrahunt vitam. Proinde ſicut hominis phyſici vita ac duratio diverſimodè à diverſis in ſuas dividitur ætatum periodos: ita & myſticæ hujus perſonæ duratio. Refert ex Tuberone Hiſtorico Aulus Gellius, Servium Tullium, Sextum Romanorum Regem, tres ætatum gradus in ſuis civibus determinaſſe, *pueritiam, iuventam, ſenectam*: & pueritiæ quidem aſſignaſſe periodum annorum ſeptemdecim, juventæ periodum annorum viginti novem, ab anno ſcilicet XVII. uſque ad XLVI. denique ſenectæ totum vitæ reſiduum. Pythagoras Philoſophus, ut in ejus vitâ memorat Laërtius,[K] „Humanam ætatem ita diſtinxit, ut *puer* viginti „annos impleret, *adoleſcens* viginti, *iuvenis* viginti, *ſenex* viginti: & has ætates ita temporibus anni accommodatas eſſe cenſuit, ut „veri reſponderet *pueritia*, æſtati *adoleſcentia*, autumno *iuventa*, hiemi *ſenecta*". Hunc ſupergreſſus Varro, quem Auguſtus Cæſar *litteratorum doctiſſimum* nominat, & Aulus Gellius lib. 19. cap. 14. *doctrinatum culmen* vocat, „[L] Quinque ætatum gradus æquabiliter putat eſſe diviſos, ac unumquemque, præter „extremum, in annos quindecim. Propterea „Sectio prima, annum decimum quintum „attingens, *pueros* habet ex *puritatis* ratione „ita nuncupatos. Secunda ſectio ad trigeſimum porrecta annum *adoleſcentes*, ab *incrementi*

1. Tim. 2. 5.

Prov. 31. 31.

Vide ſuprà cap. 47.

Vide Gellium lib. 10. cap. 28. & Pet. Crinitũ lib. 5. honeſtæ diſciplinæ cap. 9.

K. Diog. Laert. l 8. vitæ Philoſoph. in Pythagora.

L. Rhodiginus l. 19. Lect. antiq. cap. 21. Vide Crinitum lib. 5. cap. 9.

„ Evæ. Alii hunc reddunt ſenſum, Scriptura
„ non commemorat Adam ſeductum eſſe: quo
„ nimirum ſenſu Hebr. 7. Melchiſedech dici-
„ tur *ſine patre, ſine matre* &c. Author com-
„ mentarii Ambroſio inſcripti in Paulum, in-
„ terpretatur Adam non fuiſſe ſeductum in
„ prævaricationem, id eſt, ſic ut mulieri præ-
„ varicationis author eſſet, quomodò mulier
„ ſeducta viro fuit author prævaricandi. In
„ eo enim commentario verba Apoſtoli ex-
„ preſſiùs è Græco ſic leguntur, *Mulier autem*
„ *ſeducta facta eſt in prævaricationem.* Porrò non-
„ nulli ſic exponunt, Adam non peccavit ſe-
„ ductus, mulier autem peccavit ſeducta, id
„ eſt, Viro non fuit perſuaſum Deum non
„ præcepiſſe ne comederet de ligno, ſed ſciens
„ & prudens tranſgreſſus eſt præceptum Dei:
„ mulieri autem hoc à ſerpente perſuaſum
„ fuit, ut ad quam notitia præcepti non im-
„ mediatè à Deo, ſed per virum venerat:
„ unde factum ut faciliùs crederet ſerpenti
„ ſuggerenti non eſſe putandum quòd Deus
„ eos prohiberet ab eſu illius ligni. Cum hoc
„ autem conſiſtit virum credidiſſe ſerpenti in
„ eo quod dixit, *Non moriemini:* &, *Eritis ſicut*
„ *Dii* &c. Alii denique ſentiunt Apoſtoli ver-
„ ba propriè & formaliter accepta veritatem
„ habere; nec tamen inde conſequi virum non
„ credidiſſe vera eſſe quæ ſerpens dixerat.
„ Multa enim falſa credimus non propriè ſe-
„ ducti ac decepti ab aliquo, ſed alio quocun-
„ que modo ad credendum inducti: nam is
„ propriè decipere aliquem dicitur, qui fal-
„ lendi animo falſum ei perſuadet. Hoc modo
„ ſerpens decepit mulierem, non mulier vi-
„ rum: ſerpens enim fallere voluit; mulier
„ autem etſi falſum viro perſuaſit, hoc fecit
„ decepta, non decipiens; ſeducta, non ſe-
„ ducens: quia non fecit animo fallendi, pu-
„ tabat enim verum eſſe quod ſuadebat. At
„ neque ſerpens propriè decepit virum, quia
„ ſermo ejus non fuit cum viro, ſed cum mu-
„ liere: quare nec ſuaſione vel adhortatione
„ aliquâ ſerpentis dicendum videtur inductum
„ fuiſſe ut verbis illius ad ſe relatis crederet,
„ ſed amore propriæ poteſtatis, quo peccato
„ primùm peccaverat: libenter enim credit
„ quiſque, quod amat. Itaque propriè mulier
„ virum non ſeduxit, quia fallere noluit: ſer-
„ pens quoque virum non ſeduxit, quia nul-
„ lam viro ſuaſionem adhibuit. Unde con-
„ cluditur, *virum non fuiſſe ſeductum.* Harum
„ ſex expoſitionum nulla cogit intelligere,
„ Adamum non credidiſſe vera eſſe quæ ſer-
pens promiſerat". Cùm igitur omnium ha-
rum interpretationum authores & aſſertores
idcircò vel eas procuderint, vel procuſis ad-
hæſerint, quòd perſuaſum haberent Adamum
in materiâ religionis erraſſe, & *circa fidem* 1. Tim. 1. 19.
naufragaſſe; poſſumus eos accenſere turmæ Pa-
trum, quos in capitis hujus decurſu pro aſ-
truendâ Adami perfidiâ adduximus. Ne igi-
tur Eccleſiam ſemel cœptam cogamur fateri
interruptam, concludamus ex dictis eam de-
mùm poſt generalem illum humani generis in
protoplaſtis lapſum cœpiſſe: nec nos pertur-
bet illius neoterici ſcriptoris, quantumvis alio-
qui eruditi ac laudati, contradictio: præſer-
tim cùm ipſe, in hac ſignanter causâ, non ſo-
lùm tantæ nubi teſtium contradicat, ſed nec
ſibi ipſi ſatis conſtet. Præter eas enim antilo-
gias quas hìc ſuprà ex ipſo recitavimus, ſuper-
ſunt aliæ complures, quarum ſpecimen adji-
cio: H. *Valde incertum mihi eſt*, inquit ipſe, H. Suar. Lib. de Gratiâ c. 5. n. 26.
utrum Adam peccando fidem amiſerit: cùm tamen
jam toties eum audierimus aſſeverantem, *Ne-*
que veriſimile eſſe aut probabile Adamum perdidiſſe
fidem. Quomodò fieri poteſt ut unum oppoſi-
torum *ſit mihi incertum*, ſi alterum mihi *nec ve-*
riſimile ſit nec probabile? Addit præterea ibidem:
Ex patribus qui referuntur, ſolus Proſper clarè loqui
videtur: cùm tamen ſuperiùs Prolegomeno 4 de
Gratiâ c. 6. n. 5. ſcripſerit, *An Adam fidem pec-*
cando perdiderit, nec refert, nec pertinet ad hunc lo-
cum. Fulgentius autem ſuprà ſimpliciter affirmat, &
Proſper contra Collatorem. Quomodò *ſolus Proſper*,
ſi etiam Fulgentius? An fortè non *clarè*? Imò
adeò clarè ut idem ipſe lib. 4. de Amiſſione
ſtatûs innocentiæ cap. 4. n. 20. ſcripſerit: *De*
Proſpero & Fulgentio id negare non poſſumus: quam-
vis autem eorum ſententia probabilis ſit, eam ſequi
non cogimur. Ubi non modò Proſperum, ſed
& Fulgentium ita loqui aſſerit, ut *negare non*
poſſimus. Quid eſt autem *clarè loqui*, niſi ita lo-
qui, ut quin ita ſenſerint negari nequeat?
Præterea illud quod hìc ait, *Quamvis autem eo-*
rum ſententia probabilis ſit, quâ nimirùm aſſe-
runt Adamum in lapſu perdidiſſe fidem, pror-
sùs adverſatur ei quod alibi, ut mox vidimus,
ſcribit: *Neque eſt veriſimile aut probabile Adamum*
perdidiſſe fidem. Atque hæc modò ſufficiant pro
ſpecimine: quibus pro coronide hujus capi-
tis adjicio illud Hieronymi, I. *Non meretur* I. Hieron. lib. 1. contra Ruffin. cap. 3.
fidem inconſtantia.

CAPUT

CAPUT L.

Mulier fortis ſub ratione hominis myſtici eaſdem ætatum varietates ſubit, quas homo phyſicus. Populus Romanus à Servio Tullio in tres ordines pro ætatum diſparitate diſpertitus, pueros, juvenes, ſenes. *Pythagoras quadripartitam ſtatuit hominis vitam, ſecundùm quatuor anni quarteria, ut veri reſpondeat* pueritia, *æſtati* adoleſcentia, *autumno* juventa, *hiemi* ſenecta. *Varronis ſententia de quinque humanæ ætatis gradibus, diverſimodè à diverſis relata, & cuique gradui ſua trimembris ſubdiviſio aſſignata. Ab Iſidoro ſubinde tres aſſignantur ætatum differentiæ microcoſmo; ſubinde ſex, ut & macrocoſmo. Ambroſio poſt Philonem placuit ſeptimembris ætatum partitio ab Hippocrate procuſa, uti & decimembris à Solone tradita. Singulæ hæ ætatum differentiæ transferuntur cum proportione ad Eccleſiam tanquam hominem myſticum; cui à quibuſdam aſſignantur tres, ab aliis quatuor, à nonnullis quinque: à pleriſque ſex, ab aliquibus item ſeptem, imò & decem ſectiones ætatum: quidni & duodecim, ſecundùm totidem* Horas diei; *perinde ac quatuor, ſecundùm totidem* vigilias noctis? *Analogia ætatum Eccleſiæ cum primis diebus creationis Mundi. Singulæ ætates Eccleſiæ ſuos habent terminos inchoationis, ſolâ ultimâ carente termino inſuper finitionis. Sicut non æquantur inter ſe gradus ætatis humanæ, ita nec Eccleſiaſticæ.*

CLXXVIII Dilatis igitur Eccleſiæ incunabulis in illud uſque tempus quo primi homines poſt ſuam averſionem à Deo vocati, & vocantem ſecuti, fidem *Unius Mediatoris Dei & hominum hominis Chriſti Ieſu* ex auditu concipientes, cœtum credentium de infidelitate ad fidem concitorum conſtituerunt: indagemus penitiùs ac particulariùs quot & quaſnam ætatum varietates decurriſſe eam oporteat priuſquam eò tota perveniat, ubi Virum ſuum ac Judicem auditura eſt præcipientem miniſtris, *Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius.* Quanquam enim ſuperiùs cap. 47. tres ei ætatum gradus ex Proſpero & Auguſtino aſſignaverimus, quia tamen horum graduum quiſque adeò eſt amplus & profuſus, ut plures in ſe durationum varietates climacteriis quibuſdam diſtinctas complectatur; idcircò pro diſtinctiori notitiâ proderit minutiores gradus ſtatuere, & graduum terminos nimiâ diſtantiâ ſejunctos contrahere. Conſideranda quippe eſt Eccleſia tanquam perſona quædam myſtica, eaſdem ætatum varietates ſubiens ac decurrens, quas ſubeunt ac decurrunt perſonæ phyſicæ quæ ad ſenium uſque protrahunt vitam. Proinde ſicut hominis phyſici vita ac duratio diverſimodè à diverſis in ſuas dividitur ætatum periodos: ita & myſticæ hujus perſonæ duratio. Refert ex Tuberone Hiſtorico Aulus Gellius, Servium Tullium, Sextum Romanorum Regem, tres ætatum gradus in ſuis civibus determinaſſe, *pueritiam, iuventam, ſenectam*: & pueritiæ quidem aſſignaſſe periodum annorum ſeptemdecim, juventæ periodum annorum viginti novem, ab anno ſcilicet XVII. uſque ad XLVI. denique ſenectæ totum vitæ reſiduum. Pythagoras Philoſophus, ut in ejus vitâ memorat Laërtius,[K] „Humanam ætatem ita diſtinxit, ut *puer* viginti „annos impleret, *adoleſcens* viginti, *iuvenis* viginti, *ſenex* viginti: & has ætates ita temporibus anni accommodatas eſſe cenſuit, ut „veri reſponderet *pueritia*, æſtati *adoleſcentia*, autumno *iuventa*, hiemi *ſenecta*". Hunc ſupergreſſus Varro, quem Auguſtus Cæſar *litteratorum doctiſſimum* nominat, & Aulus Gellius lib. 19. cap. 14. *doctrinatum culmen* vocat, „[L] Quinque ætatum gradus æquabiliter putat eſſe diviſos, ac unumquemque, præter „extremum, in annos quindecim. Propterea „Sectio prima, annum decimum quintum „attingens, *pueros* habet ex *puritatis* ratione „ita nuncupatos. Secunda ſectio ad trigeſimum porrecta annum *adoleſcentes*, ab *incrementi*

1. Tim. 2. 5.

Prov. 31. 31.

Vide ſuprà cap. 47.

Vide Gellium lib. 10. cap. 28. & Pet. Crinit. lib. 5. honeſtæ diſcipllinæ cap. 9.

K. Diog. Laert. l 8. vitæ Philoſoph. in Pythagora.

L. Rhodiginus l. 19. Lect. antiq. cap. 21. Vide Crinitum lib. 5. cap. 9.

„ *menti* notione nomen indeptos. *Iuvenes* ſec-
„ tionem faciunt tertiam, ad annos quinque
„ ſupra quadraginta; quibus inde appellatio
„ facta, quòd in bellicis uſibus Reipublicæ
„ *adiumento* forent; & inde hujuſmodi *ex ca-*
„ *talogo* eſſe dicuntur, ſicut *ultra catalogum* qui
„ jam militiæ habentur inepti. Ad annorum
„ decadem ſextam *Seniores* pervenerunt. Reli-
„ quum vitæ tempus quintæ deputatur ſec-
„ tioni, in quâ qui agunt jam vocantur *ſenes*".
Paulò aliter hos quinque ætatum gradus ſive
ſectiones ex eodem Varrone commemorat
Servius in ſuo Commentario ſuper illud Ma-
Virgilius. ronis lib. 5. Æneid. v. 295. *Euryalus formâ*
inſignis, viridique iuventâ, ita ſcribens: " Ætates
Servius. „ omnes Varro ſic dividit, *Infantiam*, *Pueri-*
„ *tiam*, *Adoleſcentiam*, *Iuventam*, *Senectam*".
Ubi videmus *iuventa* præmitti tres gradus,
ſubmitti verò unicum: cùm apud Rhodigi-
num *iuventa* ſtatuatur in medio, duobus ei
præmiſſis, & totidem ſubmiſſis gradibus. Sub-
dit prætereà ibidem continuò Servius: " Hæ
„ tamen ſingulæ trifariam dividuntur, ut ſit
prima, viridis, præceps". Ita univerſim fiunt gra-
dus quindecim: nam quinarius per ternarium
multiplicatus facit quindenarium. Adverti ta-
men tres iſtos ſubdiviſionis gradus aliter ab
aliis definiri, ut nimirum ea cujuſque ætatis
ſectio quam Servius appellat *primam* dicenda
ſit *viridis*, & quam ille appellat *viridem* dicenda
ſit *adulta*; ſolâ tertiâ ſuam apud utroſque
appellationem retinente promiſcuam. Porrò
Iſidorus alicubi tres tantùm ætatum gradus
attribuit homini, Mundo autem ſex; alibi
tamen tot homini, quot Mundo. Exemplum
M. Iſidor. l. 5. Orig. cap. 38. prioris partitionis extat ubi ait: M· Ætas pro-
„ priè duobus modis dicitur: aut eſt enim
„ hominis, ſicut *infantia*, *iuventus*, *ſenectus*: aut
„ Mundi, cujus *prima* ætas eſt ab Adam uſque
„ ad Noë, *ſecunda* à Noë uſque ad Abraham,
„ *tertia* ab Abraham uſque ad David, *quarta*
„ à David uſque ad tranſmigrationem Judæ
„ in Babyloniam, *quinta* deinde ad adventum
„ Salvatoris in carne, *ſexta* quæ nunc agitur
uſquequò Mundus iſte finiatur". Exemplum
poſterioris partitionis extat inferiùs lib. 11.
ejuſdem Operis cap. 2. ubi ſub titulo, *De æta-*
tibus hominis, ſic in textu ſcribit: " Gradus
„ ætatis ſex ſunt, *Infantia*, *Pueritia*, *Adoleſcen-*
tia, *Iuventus*, *Gravitas*, atque *Senectus*". Ambro-
ſius authoritate Hippocratis munitus ſepti-
mum gradum prædictis ſex adjicit; quin imò,
quaſi his non contentus, tres alios addit ex
Solone, atque ita denarium ætatum numerum
N. Ambroſ. Enarrat. 2. in Geneſim ad Horont. Vide Baſil. in Pſal. 114. aſtruit: N· Celebretur hebdomas, ait ipſe ad
„ Horontianum, eò quòd per ſeptem ætatum
„ curſus vita hominum uſque ad ſenectutem
„ tranſcurritur, ſicut Hippocrates medicinæ
„ magiſter ſcriptis explicuit ſuis: prima ætas
„ *infantia* eſt, ſecunda *pueritia*, tertia *adoleſcentia*,
„ quarta *iuventus*, quinta *virilis ætas*, ſexta
„ ævi *maturitas*, ſeptima *ſenectus*. Eſt ergo *infans*,
„ *puer*, *adoleſcens*, *iuvenis*, *vir*, *veteranus*, *ſenex*.
„ Solon autem decem fecit ætatum ordines,
„ per annos ſeptenos; ita ut prima ætas *infan-*
„ *tia* uſque ad emiſſionem ſit dentium, qui-
„ bus conficiat cibum, ſermonemque diſtin-
„ guat, ut poſſit effabilis videri. *Pueritia* quo-
„ uſque ad annos pubertatis procedit, & ge-
„ nitalia tentamenta. *Adoleſcentia* uſque ad bar-
„ bæ lanuginem. *Iuventa* uſque ad perfectæ
„ virtutis proceſſum. Quinta ætas *virilis* eſt,
„ apta copulis conjugalibus, per totam heb-
„ domadam. Sexta quoque hebdomas *virili*
„ deputatur ætati, & ad prudentiæ proceſſum
„ habili, & ad agendum ſtrenuæ. Septima
„ quoque hebdomas & octava ævi *maturum*,
„ & ſenſu vigentem, ſermone & non inſuavis
„ alloquii gratiâ præditum produnt. Nona
„ hebdomas reliquias adhuc habet aliquas vi-
„ rium, linguâ ac ſapientiâ mollior. Decima
„ verò hebdomas menſuram implet, ad quam
„ is qui pervenire potuerit, non immaturo
„ temporum curſu pulſabit mortis fera veſti-
„ bula. Ergo Hippocrates & Solon vel ſeptem
„ ætates, vel hebdomadas ætatum norunt, in
illis ſe hebdomas præferat". Hæc eadem ante
Ambroſium tradiderat Philo, Judæorum di- Philo. Vide Damaſc. l. 1. Parallel. cap. 8.
ſertiſſimus, lib. de Mundi opificio, ubi Solo-
nis elegiam de præfatis decem ætatum gradi-
bus hebdomadatim digeſtis recitat.

CLXXIX. Quàm variè unius hominis æta-
tem in ſuas periodos diſpertiti ſunt Philoſo-
phi & Medici mundani, tam variè ætatem
ipſius Mundi, atque adeò Eccleſiæ peregri-
nantis in eo, diſpertiti ſunt Theologi ac Medi-
ci noſtri ſacri. Nam ſicut Servius Tullius tres
deſignavit ætatis humanæ portiones, *pueritiam*,
iuventam & *ſenectam*: ita Proſper & Auguſti-
nus, §. 166. relati, ætatem Eccleſiæ in tres
ſimiliter ſectiones diviſerunt, quarum pri-
mam placuit dicere *iuventutem*, vel *tempus ante*
legem; ſecundam, *maiorem ætatem*, vel *tempus*
ſub lege, tertiam denique *ſenectutem*, vel *tempus*
ſub gratiâ. Rursùs ſicut Pythagoras, quater-
narii numeri mirus ubique cultor & admira-
tor, quatuor ſtatuit Ætatis humanæ diffe-
rentias, totidem anni quarteriis reſpondentes:
ita quidam Tractatores Eccleſiaſtici ætatem
Eccleſiæ partiuntur in quatuor periodos, qua-
rum prima, tanquam quædam infantia, dura-
verit ab Eccleſiæ exortu uſque ad diluvium;
ſecunda, velut adoleſcentia, à diluvio uſque
ad legem; tertia, velut juventa, à legis con-
ditu uſque ad primum Mediatoris in carne
adventum, quarta denique, quaſi ſenecta, à
primo uſque ad ſecundum ejuſdem adven-
tum. Porrò hæ quatuor periodi rectè intelli-
guntur ſignificari totidem vigiliis noctis, *In*
quarum quartâ venit Ieſus ambulans ſuper mare. Mat. 14. 25.

Cùm

Digitized by Google

Cùm enim ſæculum hoc propter ſuam tenebroſitatem congruè dicatur *nox*, & apud Beatum

Job 7. 1.

Job legatur quòd *Militia ſit vita humana ſuper terram* : quis ambigat quin vita ſeu ætas Eccleſiæ in hoc ſæculò peregrinantis aptè dicatur *vigilia noctis*, eaque dividatur in quatuor portiones, juxta methodum proximè indicatam ? Poterit quoque ſtudioſus Lector obſervare, quatuor iſtas ætatum differentias ſuis penè nominibus diſcerni à Ioanne Apoſtolo in ſua prima Epiſtola, ubi cùm fideles priùs communi vocabulo compellaſſet *filiolos*, dicens, *Scribo vobis filioli* : mox quaſi diſcernens eos per gradus ætatum, ſubdidit, *Scribo vobis Patres* : & iterum, *Scribo vobis adoleſcentes* : & rurſus mox, *Scribo vobis infantes* : ac denique, *Scribo vobis iuvenes*. Ubi ſi per *Patres* intelligas Seniores aut Senes, habebis hìc eoſdem quatuor ætatis gradus determinatos in Eccleſia ab Apoſtolo, quos proximo §. expreſſos in vita humana videras à Pythagora Philoſopho, *ſenectam* ſcilicet, *adoleſcentiam*, *iuventam*, & pro pueritiâ *infantiam*. Rurſùs item ſicut Varro ætatem hominis diſpertitus eſt in quinque periodos, ita Papa Gregorius in totidem periodos diſtribuit ætatem Eccleſiæ, ſive populi Dei ad excolendam vineam vocati :

1. Joan 2. 12. & seqq.

S. Gregor. Homil. 19. in Euang. Vide Rabanum lib. 10. de Univerſo cap. 3.

,, "*Regnum cælorum*, ait ipſe, *homini patrifa*,, *milias ſimile* dicitur, *qui ad excolendam vineam* ,, *ſuam operarios conducit*. Quis verò patrisfamili,, as ſimilitudinem rectiùs tenet quàm Condi,, tor noſter, qui regit quos condidit, & electos ,, ſic in hoc Mundo poſſidet, quaſi ſubjectos ,, dominus in domo ? Qui habet vineam uni,, verſalem ſcilicet Eccleſiam, quæ ab *Abel* juſto, ,, uſque ad ultimum electum qui in fine mun,, di naſciturus eſt, quot Sanctos protulit, ,, quaſi tot palmites miſit. Hic itaque paterfa,, milias ad excolendam vineam ſuam, manè, ,, horâ tertiâ, ſextâ, nonâ, & undecimâ, opera,, rios conducit: quia à Mundi hujus initio uſ,, que ad finem, ad erudiendam plebem fidelium ,, prædicatores congregare non deſiſtit. *Manè* ,, etenim Mundi fuit, ab Adam uſque ad Noë: ,, *Hora tertia*, à Noë uſque ad Abraham: *Sexta* ,, quoque ab Abraham ad Moyſen : *Nona* au,, tem, à Moyſe uſque ad adventum Domini: ,, *Vndecima* verò, ab adventu Domini uſque ad ,, finem Mundi ; in qua prædicatores Sancti ,, Apoſtoli miſſi ſunt, qui mercedem plenam & ,, tardè venientes acceperunt. Ad erudiendam ,, ergo dominus plebem ſuam, quaſi ad exco,, lendam vineam ſuam, nullo tempore deſti,, tit operarios mittere : quia & priùs per Pa,, tres, & poſtmodùm per Legis Doctores & ,, Prophetas, ad extremum verò per Apoſto,, los dum plebis ſuæ mores excoluit, quaſi ,, per operarios in vineæ culturâ laboravit". Audiamus porrò quemadmodùm idem Gregorius ſingulas iſtas ætatis Eccleſiæ periodos ſingulis humanæ ætatis gradibus ex Varrone ſuperiùs memoratis reſpectivè accommodet, ſubdens ibidem poſt pauca: "Poſſumus verò ,, & eaſdem diverſitates horarum etiam ad ,, unumquemque hominem per ætatum mo,, menta diſtinguere. *Manè* quippe intellectus ,, noſtri, *pueritia* eſt : *Hora* autem *tertia* intelligi ,, poteſt *adoleſcentia*: quia quaſi jam Sol in altum ,, proficit, dum calor ætatis creſcit. *Sexta* verò ,, *iuventus* eſt : quia velut in centro Sol figitur, ,, dum in ea plenitudo roboris ſolidatur. *Nona* ,, autem *ſenectus* intelligitur ; in qua Sol velut ,, ab alto axe deſcendit, quia ea ætas à calore ,, juventutis deficit. *Vndecima* verò *hora*, ea eſt ,, ætas, quæ *decrepita* vel *veterata* dicitur". Singulæ igitur *horæ* iſtæ Gregorianæ coincidunt cum ſingulis reſpectivè ætatibus Varronianis, in quarum primâ verſantur *pueri*, in ſecunda *adoleſcentes*, in tertia *iuvenes*, in quarta *ſeniores*, in quinta denique *ſenes*. Ubi obiter notandum, comparativum non ſemper importare exceſſum ſupra ſuum poſitivum, ſed ſubinde defectum infra eum : prout cernere licet in vocibus *ſenior*, *iunior*, *adoleſcentior*: Quâ de re poſt Iſidorum lib. XI. Orig. cap. 2. ſic ſcribit Hugo Victorinus: "*Senior* eſt adhuc ,, viridior, unde Ovid. in lib. 6. *Senior inter iuve*,, *nemque ſenemque*: & Terentius; *Quo iure ſu*,, *mus adoleſcentiores*. Ubi *adoleſcentior* non dici,, tur magis adoleſcens, ſed minùs: ut *ſenior* ,, minùs eſt quam ſenex, ubi comparativus ,, gradus minùs ſignificat poſitivo. Ergo *ſenior* ,, non ſatis ſenex, ſicut *iunior* infra juvenem, ,, ſicut *pauperior* infra pauperem. *Senes* autem ,, quidam dictos putant à ſenſûs diminutione, eò quòd jam præ vetuſtate deſipiant". Notarât præterea idem author ibidem ſuperiùs, poſt Iſidorum ibidem, & Gregorium Homiliâ mox citatâ, & Auguſtinum lib. 1. de Geneſi contra Manich. c. 23. apud Græcos diverſa omninò eſſe nomina *ſeniorum*, ac *ſenum*; ita ut cùm Seniores nominentur *presbyteri*; ſenes dicantur *gerontes*, & ipſum ſenium *gerontia*.

P. Hugo Victor. lib. 3. Beſtiarii cap. 61.

CLXXX. Ut gradatim aſcendamus ad alias ætatum partitiones commemorandas, ſequitur eorum ſententia, qui ſex ætatum differentias aſſignant homini, & totidem Mundo atque Eccleſiæ, quæ præcipua Mundi portio eſt. Pro hac ſententia ſtat inprimis Iſidorus §. 178. relatus, quem ſequitur Rabanus lib. 10. de Univerſo cap. 14. & lib. 1. in Geneſim cap 10. & Hugo Victorinus prænotat. in Scripturam cap. 17. & lib. 1. Allegoriarum novi Teſtamanti cap. 2. & in Deſcriptione Arcæ myſticæ cap. 4. & Richardus Victorinus lib. 4. Exceptionum cap. 1. qui liber etiam Hugoni attribuitur. Cujuſcunque interim ipſorum ſit, ita illic ſcriptum eſt: "Tota ,, iſta ſeries & porrectio temporis dividenda ,, eſt in duos ſtatus, veterem & novum; & in

Iſidorus. Rabanus. Hugo Vict. Rich. Vict.

„ tria tempora, naturalis legis, & ſcriptæ, &
„ gratiæ; & in ſex ætates, quarum prima eſt
„ ab Adam uſque ad Noë, ſecunda à Noë
„ uſque ad Abraham, tertia ab Abraham uſque
„ ad David, quarta à David uſque ad tranſ-
„ migrationem Babylonis, quinta à tranſ-
„ migratione Babylonis uſque ad adventum
„ Chriſti, ſexta ab adventu Chriſti uſque
„ ad finem mundi. Item quinque præce-
„ dentes ætates ab Adam uſque ad Chri-
„ ſtum, per quatuor ſucceſſiones dividun-
„ tur: prima ſucceſſio Patriarcharum fuit,
„ ab Adam uſque ad Moyſen; ſecunda Ju-
„ dicum, à Moyſe uſque ad David; tertia
„ Regum, à David uſque ad tranſmigratio-
„ nem Babylonis; quarta Sacerdotum, à tranſ-
„ migratione Babylonis uſque ad Chriſtum".
Rupertus. Conſonat his Rupertus Abbas lib 3. in Ge-
neſim cap. 36. & lib. 2. & 5. in Joannem, &
lib. 4. de Divinis officiis cap. 3. 6. 7. 8. &
Beda. ſeqq. Conſonat item Beda tum alibi crebrò,
tum ſignanter in peculiari libro quem *De ſex
Ado Vien. Ætatibus* inſcripſit. Quem imitatus Ado Vien-
nenſis librum ſub eodem titulo edidit. Ante
hos quoque omnes eundem ætatum numerum
creberrimè ac liquidiſſimè deſignaverat &
Auguſtinus. aſtruxerat Auguſtinus, prout infrà apparebit.
Chryſoſt. Conſonat quoque Chryſoſtomus tomo 1. in
Homiliâ de Jephte ex libro Judicum. Nihilo-
minùs non deſunt tam veteres quàm Recen-
tiores, qui ætatum iſtarum numerum unitate
augeant, ſeptenarium numerum complentes.
Philo. Ex his eſt Philo lib. de mundi opificio, quem
Ambroſius. ſecutus eſt Ambroſius §. 178. relatus. Quibus
Naclantus. ſubſcribit Naclantus in Prælúdio Arcanorum
Genebrard. Chriſti c. 5. & Genebrardus initio ſuæ chro-
nographiæ. Volunt quippe hi macrocoſmum
conformare microcoſmo, magnum ſcilicet
Mundum homini; cui ſeptem ætatum diffe-
Hippocrates. rentias aſſignat Hippocrates Medicorum Prin-
ceps; ut eodem §. 178. vidimus. A quo æta-
tum numero non recedunt Arabes illi & qui-
dam etiam alii quos tacitis nominibus memo-
P. Crinit. lib. 21. de Honeſta Diſc. c. 13. rat Petrus Crinitus, cùm ait: "Perelegan-
„ ter multa & eruditè ſcripta ſunt in Arabum
„ Commentariis, tum ea maximè quæ ad cæli
„ ſyderumque poteſtatem ac diſciplinas perti-
„ nent. Neque videtur apud alios quidem po-
„ pulos fuiſſe ſtudium acrius aut major ſolertia
„ in aſtronomicis ſpeculandis, etſi magnâ ex
„ parte Græcorum quoque ingenia imitati
„ ſint. Illud autem mirificum exiſtimo, ac
„ memoriâ dignum, in quo Mathematici ipſi,
„ & Chaldæi, univerſam hominum ætatem ad
„ planetas referunt: ut quæcumque in vita
„ aguntur, ea in ſtatis certiſque temporibus
„ planetæ ipſi propemodùm efficiant: Luna,
„ inquiunt, ab ipſo natali uſque ad quintum
„ ætatis annum moderatur atque diſponit:
„ ſequens Mercurius, per decennium: Ve-
„ nus, per annos octo: Sol, undeviginti:
„ Mars, quindecim: Juppiter, duodecim:
„ Saturnus, reliquum vitæ tempus. Ita enim
„ digeſta atque diviſa mortalium tempora tra-
„ duntur, ut nuper cum Jano Theolopho
„ Aſtronomiæ peritiſſimo diſſeruimus. Neque
„ illud ignoramus, aliam fieri diviſionem ab
„ aliis authoribus de hominum ætate. Noſtri
„ enim lunæ infantiam, pueritiam Stilboni
„ ſeu Mercurio, adoleſcentiam Veneri, ju-
„ ventam Soli, virilitatem Marti, ſenectutem
„ Jovi, ſenium Saturno adſcripſerunt: adeò
„ ut ſingulis ſua quæque officia & affectus tri-
buant". Ubi per illud, *noſtri*, quoſnam intel-
ligat neſcio: & cavendam lectori Genethlia-
corum ſuperſtitionem moneo. Quâ cautione
ſervatâ, nihil oberit pietati ſeptipartita æta-
tum humanarum, cum reflexione ad hebdoa-
dem planetarum, diviſio. Sanctior verò at-
que ab omni ſuperſtitionis ſuſpicione remo-
tior erit hæc ſeptimembris diviſio, ſi inſtitua-
tur cum reflexione ad ſeptem annorum heb-
domadas, quæ juxta priſcam legem intercede-
bant inter duo Jubilæa: ut nimirum totidem
computentur ætates hominis myſtici, inter-
mediæ inter jubilum protoplaſtorum in para-
diſo terreſtri, & jubilum electorum poſt re-
ſumpta corpora in paradiſo cæleſti: "Homo Naclantus.
„ myſticus, inquit Naclantus loco mox indica-
„ to, cùm à Mundi exordio, uſque ad illius ulti-
„ mum diem, non ſolùm peregrinationem agat,
„ ſed & auctiones & progreſſus recipiat, opti-
„ mo quidem jure diverſas admittit ætates.
„ Quare primò egit *infantiam*, ſecundò *pueri-
„ tiam*, tertiò *adoleſcentiam*, quartò *inventutem*,
„ quintò *virilitatem*, ſextò *ætatem maturam*,
„ & ſeptimò, in qua nunc eſt, ætatem per-
fectam". Et rursùs ibidem aliquantò infe-
riùs: "Ergo, ſubdit, ſicut ſeptem anno-
„ rum abſolutis hebdomadis, ſacrum inſtabat
„ Jubilæum, in quo unuſquiſque ad ſuam re-
„ vertebatur poſſeſſionem, priſtinamque fami-
„ liam: ita & ſeptem conſummatis ætatibus,
„ redibunt electi ad ſupercæleſtem patriam,
„ regnique amiſſi poſſeſſionem, quibus ſe abdi-
„ caverant, non modò per peccatum receden-
„ do à Deo, ſed illa vendendo gratis, quia ſine
„ debito pretio: redibunt & ad familiam pri-
„ ſtinam, quoniam nedùm ad Angelorum re-
„ ſumentur conſortium, ſed & ad politiam
„ cæleſtem, connumerandi in concives Sancto-
„ rum & domeſticos Dei, à quo omnis no-
„ minatur familia". Hic interim caveant qui
ſeptenarium illum ætatum numerum myſtico
homini deputant; ne patiantur ſibi irrepere
Chiliaſtarum errorem, qui eundem quidem æta-
tum cenſum inibant, ſed earum noviſſimam
fœdè voluptuariam fore fingebant: "Fuêre, R. Beda l de Temporum ratione cap. 66.
„ inquit de his Beda, qui propter *ſeptimum
„ diem quo requievit Deus ab operibus ſuis*, ſperarent Gen. 2. 2.
poſt

Digitized by Google

„ poſt ſex annorum millia laboris Sanctorum „ in hac vitâ mortali, ſeptimo annorum mille „ curriculo eos poſt reſurrectionem in hac ipſâ „ vitâ immortales in deliciis & multâ beatitudine regnaturos eſſe cum Chriſto ". Reſciſſis itaque hujuſmodi abuſibus, nihil pietati decedet partitione durationis Eccleſiæ militantis in ſeptem ætates, quarum noviſſima inter primum & noviſſimum Chriſti adventum labitur. Quinimò nihil vetat quo minùs augeatur ætatum cenſus non modò uſque ad denarium, cum Ambroſio & Philone ſuprà; ſed etiam uſque ad duodenarium: ut quemadmodùm ſuperiùs aſtruxeramus quaternarium
Matt. 14. 25. ætatum diſcrimen, propter *quatuor vigilias noctis*; ita nunc aſtruamus duodenarium, propter
Joan. 11. 9. *duodecim horas diei*. Sicut enim tota Eccleſiæ in hoc ſæculo duratio appellatur *nox*, propter tenebroſitatem: ita & *dies*, propter fidei, per quam ambulat ipſa, luminoſitatem. *Duodecim* igitur *diei horas* intelligere poſſumus totidem Eccleſiæ per lumen fidei hìc peregrinantis ætates: eò vel maximè, quòd Joannes Apoſtolus poſtremam hanc Eccleſiæ ætatem
1. Joan. 2. 18. disertè nominet *Noviſſimam horam*, id eſt, ultimam horam earum duodecim quibus conſtat
Ibid. 1. 4. *dies ſæculi*. Paulus quoque videtur *horam* pro eâdem noviſſimâ ætate ſumpſiſſe, cùm diceret:
Rom. 13. 11. *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere*. Cæterùm cui duodenarius iſte ætatum ſeu horarum cenſus arriſerit, poterit is per *primam horam* intelligere eam Eccleſiæ ætatem quæ ab ipſo Eccleſiæ exordio ad tranſlationem uſque *Henochi* protenditur: *Secundam horam* inde ad diluvium uſque completum: *Tertiam* inde ad confuſionem uſque linguarum: *Quartam* inde ad vocationem Abrahæ, & promiſſionem ſeminis ei factam: *Quintam* inde ad deſcenſum Iſraëlitarum in Ægyptum: *Sextam* inde ad egreſſum eorundem de Ægypto, & Legis promulgationem in Horeb: *Septimam* inde uſque ad diviſionem terræ promiſſæ funiculo diſtributionis: *Octavam* inde uſque ad finitam in populo poteſtatem Judiciariam, & mutatam formam politiæ in Regiam: *Nonam* inde uſque ad diviſionem regni in Hieroſolymiticum & Samariticum: *Decimam* inde uſque ad captivitatem Babylonicam: *Undecimam* inde uſque ad primum Chriſti adventum: *Duodecimam* inde ad conſummationem uſque ſæculi.

CLXXXI. Quamvis tota iſta ſententiarum varietas ſuper numero ætatum Mulieris fortis, per ſtadium hujus vitæ mortalis ad ſupernæ vocationis bravium decurrentis, eò nos manuducat, ut noverimus, Tractatores Eccleſiaſticos, ſalvâ fidei unitate & Chriſtianæ charitatis compage, de rebus ab Eccleſiâ non deciſis aliter atque aliter ſubinde ſentire, ac unumquemque in ſuo ſenſu abundare: nihilominùs quia major ac potior horum pars in hoc conſpirat, ut integra Eccleſiæ hìc peregrinantis duratio in ſex ætatis gradus ſeu differentias, juxta numerum dierum primæ creationis, dividatur; idcircò hanc partitionem cæteris præferendam cenſemus. Ea quippe uſqueadeò placuit Auguſtino, quem plerique poſteriores ſequuntur, ut ad eam aſtruendam videatur receſſiſſe ab eâ opinione quam alibi crebrò inſinuaverat, quâ putatur Deus omnia uno momento primitùs creaſſe, quæ ſex diebus creata memorantur: [S] In Deo, ait ipſe, S. Aug. l. de Catechiz. Rudib. c. 17.
„ una eſt requies, quam *Oculus non vidit, nec auris* „ *audivit, nec in cor hominis aſcendit, quam præparavit Deus diligentibus ſe*. De quâ requie 1. Cor. 2. 9.
„ ſignificat Scriptura, & non tacet, quòd ab „ initio Mundi, ex quo *Fecit Deus cælum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, ſex diebus operatus eſt, ſeptimo die requievit*. Poterat enim Exod 20. 11.
„ Deus Omnipotens & uno momento temporis omnia facere; non autem laboraverat „ ut requieſceret, quando *Dixit & facta ſunt, mandavit & creata ſunt*; ſed ut ſignificaret, Pſ. 148. 5.
„ quia poſt SEX ÆTATES Mundi hujus, „ ſeptimâ ætate tanquam ſeptimo die requieturus eſt in Sanctis ſuis: quia ipſi in illo re- „ quieſcent poſt omnia bona opera in quibus Vide ibid. cap. 22.
„ ei ſervierunt, quæ ipſe in eis operatur, qui „ vocat, & præcipit, & delicta præterita dimittit, & juſtificat eum qui priùs erat impius. Sicut autem cùm illi ex dono ejus „ benè operantur, rectè dicitur ipſe operari: „ ſic cùm illi requieſcunt, rectè dicitur ipſe *requieſcere* ". Hìc ecce, palàm agnoſcit quòd Gen. 2. 2.
tametſi potuerit Deus unico momento omnia ſimul condere, maluerit tamen per ſena dierum intervalla ad ſabbathiſmum progredi; quò nos erudiret ut ad ſupernam æternamque requiem per totidem Mundi ætates benè operando anhelemus: [T] Ibi perficietur, ait ipſe T. Aug l. 22. de Civit. cap. 30.
„ alibi, *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus*: „ quod erit ibi verè maximum ſabbathum non „ habens veſperam, quod commendavit Dominus in primis operibus Mundi, ubi legitur: *Et requievit Deus die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis quæ fecit, & benedixit Deus diem ſeptimum, & ſanctificavit eum, quia in eo requievit ab omnibus operibus ſuis quæ inchoavit Deus facere*. Dies enim ſeptimus etiam noſipſi „ erimus, quando ejus fuerimus benedictione „ & ſanctificatione pleni atque refecti: ibi *vacantes videbimus, quoniam ipſe eſt Deus*, quod nobis ipſi eſſe voluimus quando ab illo cecidimus, audientes à ſeductore, *Eritis ſicut Dij*; & „ recedentes à vero Deo, quo faciente Dii eſſemus ejus participatione, non deſertione: „ quid autem ſine illo fecimus, niſi quòd *in irâ ejus defecimus*? à quo refecti, & gratiâ „ majore perfecti, vacabimus in æternum, „ videntes quia ipſe eſt Deus, quo pleni erimus quando *ipſe erit omnia in omnibus*. Nam
Vide l. 12. cont Fauſt. c. 8. & Tract. 9. in Joan. & lib. 83. qq. q. 51. & 58. & q. 49. in lib. Judicum.
Pſ. 45. 11. Gen. 2. 2. & 3. Pſ. 89. 9. 1. Cor. 15. 28.

Digitized by Google

„ & ipſa bona opera noſtra, quando ipſius po-
„ tiùs intelliguntur eſſe quàm noſtra, tunc
„ nobis ad hoc ſabbathum adipiſcendum im-
„ putantur; quia ſi nobis ea tribuerimus, ſer-
Ex. 20. 10. „ vilia erunt; cùm de ſabbatho dicatur, *Omne*
„ *opus ſervile in eo non facietis*: propter quod &
Ez. 20. 12. „ per Ezechielem Prophetam dicitur, *Et ſab-*
„ *batha mea dedi eis in ſignum inter me & inter eos*,
„ *ut ſcirent quia ego Dominus qui ſanctifico eos.* Hoc
„ perfectè tunc ſciemus, quando perfectè *va-*
„ *cabimus*, & perfectè *videbimus quia ipſe eſt Deus.*
„ Ipſe etiam numerus ætatum, velut dierum,
„ ſi ſecundùm eos articulos temporum com-
„ putetur qui in Scripturis Sanctis videntur
„ expreſſi, iſte ſabbathiſmus evidentiùs ap-
„ parebit, quoniam ſeptimus invenitur: ut
„ *prima ætas* tanquam *dies primus* ſit ab Adam
„ uſque ad diluvium: *ſecunda* inde uſque ad
„ Abraham, non æqualitate temporum, ſed
„ numero generationum: denas quippe ha-
„ bere reperiuntur. Hinc jam, ſicut Mat-
„ thæus Euangeliſta determinat, tres ætates
„ uſque ad Chriſti ſubſequuntur adventum,
„ quæ ſingulæ denis & quaternis generationi-
„ bus explicantur: ab Abraham uſque ad Da-
„ vid una, altera inde uſque ad tranſmigra-
„ tionem in Babyloniam, tertia inde uſque ad
„ Chriſti carnalem nativitatem: fiunt itaque
„ omnes quinque. *Sexta* nunc agitur, nullo
„ generationum numero metienda; propter
Act. 1. 7. „ id quod dictum eſt, *Non eſt veſtrum noſſe tem-*
„ *pora quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Poſt hanc,
„ tanquam in die ſeptimo requieſcet Deus,
„ cùm eundem ſeptimum diem, quod nos
„ erimus, in ſeipſo Deus faciet requieſcere".
Qui rursùs lib. 4. de Trinit. cap. 3. & 4.
" Una mors noſtri Salvatoris, inquit, duabus
„ mortibus noſtris ſaluti fuit; & una ejus re-
„ ſurrectio duas nobis reſurrectiones præſti-
„ tit: cùm corpus ejus in utraque re, id eſt,
„ & in morte & in reſurrectione, & ſacra-
„ mento interioris hominis noſtri & exemplo
„ exterioris, medicinali quâdam convenientiâ
„ miniſtratum eſt. Hæc autem ratio ſimpli ad
„ duplum oritur quidem à ternario numero:
„ unum quippe & duo, tria ſunt. Sed hoc to-
„ tum quod dixi, ad ſenarium pervenit: unum
„ enim & duo & tria, ſex fiunt: qui nume-
„ rus propterea perfectus dicitur, quia parti-
„ bus ſuis completur; habet enim illas tres,
„ ſextam, tertiam, dimidiam, nec ulla pars
„ alia, quæ poſſit dici quota ſit, invenitur in eo:
„ ſexta ergo ejus, unum eſt; tertia, duo; di-
„ midia, tria: unum autem, duo, & tria,
„ conſummant ſenarium. Cujus perfectionem
„ nobis Sancta Scriptura commendat in eo
„ maximè, quòd Deus ſex diebus perfecit
„ opera ſua, & ſexto die factus eſt homo ad
„ imaginem Dei, & ſextâ ætate generis hu-
„ mani Filius Dei venit, & factus eſt filius
„ hominis ut nos reformaret ad imaginem
„ Dei: ea quippe nunc ætas agitur, ſive mil-
„ leni anni ſingulis diſtribuantur ætatibus,
„ ſive in divinis litteris memorabiles atque
„ inſignes quaſi articulos temporum veſtige-
„ mus: ut *prima ætas* inveniatur ab Adam
„ uſque ad Noë, inde *ſecunda* uſque ad Abra-
„ ham: & deinceps, ſicut Matthæus Euan-
„ geliſta diſtinxit, ab Abraham uſque ad Da-
„ vid, à David uſque ad tranſmigrationem in
„ Babyloniam, atque inde uſque ad Virginis
„ partum: quæ tres ætates conjunctæ illis
„ duabus, faciunt quinque. Proinde *ſextam*
„ inchoavit nativitas Domini, quæ nunc agi-
„ tur uſque ad occultum temporis finem.
„ Hunc ſenarium numerum gerere quandam
„ temporis figuram, etiam in illâ ratione tri-
„ partitæ diſtributionis agnoſcimus, quâ unum
„ tempus computamus ante legem, alterum
„ ſub lege, tertium ſub gratiâ: in quo tem-
„ pore ſacramentum renovationis accepimus;
„ ut in finem temporis etiam reſurrectione
„ carnis omni ex parte renovati, ab univerſâ
„ non ſolùm animæ, verùm etiam corporis
infirmitate ſanemur".

CLXXXII. Unum iſtud ſupereſſe hìc vi-
deo, ut cùm ex jam dictis conſtet ſex peregri-
nantis Eccleſiæ ætates correſpondere totidem
primæ creationis diebus, oſtendamus ſingulas
quaſque ætates ſingulis illis diebus ſuo ordine
congruere, primam ſcilicet ætatem primo diei,
ſecundam ſecundo, & ſic conſequenter. Te-
tigit utcunque rem iſtam Auguſtinus in libro
octoginta trium Quæſtionum q. 58. ſed multò
fuſiùs & accuratiùs alibi: " Video, inquiens, V. Aug. l. de Geneſi
„ per totum textum divinarum Scriptura- contra Manich. c. 23.
„ rum ſex quaſdam ætates operoſas certis quaſi
„ limitibus ſuis diſtinctas, ut in ſeptimâ ſpe-
„ retur requies; & eaſdem ſex ætates habere
„ ſimilitudinem iſtorum ſex dierum, in qui-
„ bus ea facta ſunt quæ Deum feciſſe Scriptura
„ commemorat. Primordia enim generis hu- Vide Aug.
„ mani, in quibus iſtâ luce frui cœpit, benè lib. de vera Relig. c. 26.
„ comparantur primo diei, *Quo Deus fecit lucem.* Gen. 1. 3.
„ Hæc ætas tanquam *infantia* deputanda eſt
„ ipſius univerſi ſæculi, quod tanquam unum
„ hominem proportione magnitudinis ſuæ
„ cogitare debemus: quia unuſquiſque homo
„ cùm primò naſcitur, & exit ad lucem, pri-
„ mam ætatem agit in infantiâ: hæc tenditur
„ ab Adam uſque ad Noë, generationibus
„ decem. Quaſi veſpera hujus diei ſit dilu-
„ vium, quia & infantia noſtra tanquam obli-
„ vionis diluvio deletur. Et incipit manè ſe-
„ cunda ætas à temporibus Noë, tanquam
„ *pueritia*: & tenditur hæc ætas uſque ad Abra-
„ ham, aliis generationibus decem: & benè
„ comparatur ſecundo diei, *Quo factum eſt fir-* Ibid. v. 7.
„ *mamentum inter aquam & aquam*; quia & Arca,
„ in quâ erat Noë cum ſuis, firmamentum
erat

Digitized by Google

,, erat inter aquas inferiores in quibus nata-
,, bat, & ſuperiores quibus compluebatur.
,, Hæc ætas non diluvio deletur, quia & pueri-
,, tia noſtra non oblivione tergitur de memo-
,, riâ; meminimus enim nos fuiſſe pueros, in-
,, fantes autem non meminimus. Hujus veſ-
,, pera eſt confuſio linguarum in eis qui tur-
,, rim ædificabant, & fit manè ab Abraham:
,, ſed nec iſta ætas ſecunda generavit populum
,, Dei, quia nec pueritia apta eſt ad generan-
,, dum. Manè ergo fit ab Abraham, & ſucce-
,, dit ætas tertia, ſimilis *adoleſcentiæ*: & benè
,, comparatur diei tertio, quo ab aquis terra
,, ſeparata eſt: ab omnibus enim Gentibus,
,, quarum error inſtabilis & vanis ſimulachro-
,, rum doctrinis tanquam ventis omnibus mo-
,, bilis, *maris* nomine benè ſignificatur: ab
,, hac ergo gentium vanitate, & hujus ſæculi
,, fluctibus, ſeparatus eſt populus Dei per
Ibid. v. 9. ,, Abraham, tanquam terra cùm *apparuit ari-*
,, *da*, id eſt, ſitiens imbrem cæleſtem divino-
,, rum mandatorum: qui populus unum Deum
,, colendo, tanquam irrigata terra ut fructus
,, utiles poſſet afferre, Sanctas Scripturas &
,, Prophetias accepit. Hæc enim ætas potuit
,, jam generare populum Dei, quia & tertia
,, ætas, id eſt, *adoleſcentia*, filios habere jam po-
,, teſt: & ideò ad Abraham dictum eſt, *Patrem*
Geneſ. 17. 5. Rom. 4. 17. & ſeq. ,, *multarum gentium poſui te ante Deum cui credi-*
,, *diſti, qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non*
,, *ſunt tanquam ea quæ ſunt. Qui contra ſpem in*
,, *ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium,*
,, *ſecundùm quod dictum eſt: Sic erit ſemen tuum,*
Geneſ. 17. 6. & ſeqq. ,, *& augebo te nimis valde, & ponam te in gentes,*
,, *& Reges de te exient; & ponam teſtamentum*
,, *meum inter me & ſemen tuum poſt te in genera-*
,, *tiones eorum in teſtamentum æternum: ut ſim tibi*
,, *Deus, & ſemini tuo poſt te; & dabo tibi & ſemini*
,, *tuo poſt te terram in quâ habitas, omnem terram*
,, *Chanaan in poſſeſſionem æternam, & ero illis*
,, *Deus.* Hæc ætas porrigitur ab Abraham uſ-
,, que ad David, quatuordecim generationi-
,, bus: hujus veſpera eſt in populi peccatis,
,, quibus divina mandata præteribant, uſque
,, ad malitiam peſſimi Regis *Saul.* Inde fit ma-
,, nè regnum David: hæc ætas ſimilis *iuven-*
,, *tuti* eſt; & revera inter omnes ætates regnat
,, juventus, & ipſa eſt firmamentum & orna-
,, mentum omnium ætatum: & ideo benè
Geneſ. 1. 14. ,, comparatur quarto diei, *quo facta ſunt ſydera*
,, *in firmamento cæli.* Quid enim evidentiùs ſi-
,, gnificat ſplendorem regni, quàm Solis excel-
,, lentia? Et plebem obtemperantem regno
,, ſplendor lunæ oſtendit, tanquam Synagogam
,, ipſam, & ſtellæ principes ejus, & omnia
,, tanquam in firmamento in regni ſtabilitate
,, fundata. Hujus quaſi veſpera eſt in pecca-
,, tis Regum, quibus illa gens meruit capti-
,, vari atque ſervire. Et fit manè tranſmigra-
,, tio in Babyloniam, cùm in eâ captivitate
,, populus leniter & peregrino otio colloca-
,, tus eſt. Et porrigitur hæc ætas uſque ad ad-
,, ventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, id eſt,
,, quinta ætas, ſcilicet declinatio à juventute
,, ad ſenectutem, nondum ſenectus, ſed jam
,, non juventus; quæ *ſenioris* ætas eſt, quam
,, Græci *presbyten* vocant: nam *ſenex* apud eos
,, non *presbyter*, ſed *geron* dicitur. Et reverà ſic
,, illa ætas à regni robore inclinata & fracta
,, eſt in populo Judæorum, quemadmo-
,, dùm homo à juventute fit *ſenior*: & benè
,, ea comparatur diei quinto, *quo facta ſunt in* Geneſ. 1. 21.
,, *aquis animalia, & volatilia cæli*, poſtquam illi
,, homines inter gentes tanquam in mari eſſe
,, cœperunt, & habere incertam ſedem & inſta-
,, bilem, ſicut volantes aves. Sed planè erant
,, ibi etiam *ceti magni*, id eſt, illi magni homines
,, qui magis dominari fluctibus ſæculi, quàm
,, ſervire in illâ captivitate potuerunt: non
,, enim ad cultum idolorum aliquo terrore de-
,, pravati ſunt. Ubi ſanè animadvertendum eſt,
,, quòd benedixit Deus illa animalia, dicens:
,, *Creſcite & multiplicamini, & implete aquas ma-* Ibid. v. 22.
,, *ris, & volatilia multiplicentur ſuper terram*; quia
,, reverà gens Judæorum ex quo diſperſa eſt
,, per gentes, valdè multiplicata eſt. Hujus
,, diei, hoc eſt, hujus ætatis, quaſi veſpera
,, eſt multiplicatio peccatorum in populo Ju-
,, dæorum, quâ ſic excæcati ſunt, ut etiam
,, Dominum Jeſum Chriſtum non poſſent ag-
,, noſcere. Manè autem fit prædicatione Euan-
,, gelii per Dominum noſtrum Jeſum Chri-
,, ſtum, & finitur dies quintus. Incipit ſextus,
,, in quo *ſenectus* veteris hominis apparet: hâc
,, enim ætate illud carnale regnum vehementer
,, attritum eſt, quando & templum dejectum
,, eſt, & ſacrificia ipſa ceſſaverunt; & nunc
,, ea gens, quantùm ad regni ſui vires attinet,
,, quaſi extremam vitam trahit. In iſtâ autem
,, ætate, tanquam in ſenectute veteris homi-
,, nis, homo novus naſcitur, quia jam ſpirita-
,, liter vivit: ſextâ enim die dictum erat, *Pro-*
,, *ducat terra animam vivam.* Nam quinto die Ibid. v. 24.
,, dictum erat: *Producant aquæ*, non animam Ibid. v. 20.
,, vivam, ſed *reptilia animarum vivarum*; quo-
,, niam corpora ſunt reptilia, & adhuc corpo-
,, rali circumciſione, & ſacrificiis, tanquam
,, in mari gentium, populus ille ſerviebat Le-
,, gi: iſtam verò *animam vivam* dicit, quâ vitam
,, jam incipiunt æternam deſiderare. *Serpentes*
,, ergo & pecora, quæ terra producit, Gentes
,, ſignificant jam ſtabiliter Euangelio credi-
,, turas, de quibus dicitur in illo vaſe quod
,, Petro demonſtratum eſt in Actibus Apoſto-
,, rum, *Macta & manduca*: & cùm ille *immun-* Act. 10. 13.
,, *da* diceret, reſponſum eſt ei, *Quæ Deus mun-* Ibid. v. 15.
,, *davit, tu ne immunda dixeris.* Tunc *fit homo ad* Geneſ. 1. 26.
,, *imaginem & ſimilitudinem Dei*; ſicut in iſtâ
,, ſextâ ætate naſcitur in carne Dominus
,, noſter, de quo dictum eſt per Prophetam:

Digitized by Google

Hier. 17. 9. juxta 70. „ *Et homo eſt, & quis cognoſcet eum?* Et quem-
Gen. 1. 27. „ admodùm in illo *Sexto die maſculus & femina,*
„ ſic & in iſtâ ſextâ ætate Chriſtus & Eccleſia.
Ibid. v. 28. „ Et *Præponitur homo in illo die pecoribus, & ſerpenti-*
„ *bus, & volatilibus cæli,* ſicut in iſtâ ætate Chriſtus
„ regit animas obtemperantes ſibi, quæ ad
„ Eccleſiam partim de Gentibus, partim de
„ populo Iudæorum venerunt, ut ab eo doma-
„ rentur, atque manſueſcerent homines, qui
„ vel carnali concupiſcentiæ ſunt dediti, ſicut
„ pecora; vel tenebroſâ curioſitate obſcurati,
„ quaſi ſerpentes; vel elati ſuperbiâ, quaſi
„ aves. Et ſicut in illo die paſcitur homo, &
„ animalia quæ cum ipſo ſunt, herbis ſemina-
„ libus, & lignis fructiferis, & herbis viri-
„ dibus: ſic iſtâ ætate ſpiritalis homo qui-
„ cunque miniſter eſt Chriſti, & eum benè
„ quantùm poteſt imitatur, cum ipſo populo
„ ſpiritaliter paſcitur Sanctarum Scripturarum
„ alimentis, & lege divinâ, partim ad conci-
„ piendam fœcunditatem rationum atque ſer-
„ monum, tanquam herbis ſeminalibus; par-
„ tim ad utilitatem morum converſationis
„ humanæ, tanquam lignis fructiferis; partim
„ ad vigorem fidei, ſpei, & charitatis in vi-
„ tam æternam, tanquam herbis viridibus, id
„ eſt, vigentibus, quæ nullo æſtu tribulatio-
„ num poſſunt areſcere. Sed ſpiritalis ſic iſtis
„ alimentis paſcitur, ut multa intelligat: car-
„ nalis autem, id eſt, parvulus in Chriſto,
„ tanquam pecus Dei, ut multa credat, quæ
„ intelligere nondum poteſt; tamen eoſdem
„ cibos omnes habent. Hujus autem ætatis
„ quaſi veſpera, quæ utinam nos non inve-
„ niat, ſi tamen nondum cœpit, illa eſt, de
Luc. 18. 8. „ quâ Dominus dicit: *Putas, cùm veniet filius*
„ *hominis, inveniet fidem ſuper terram?* Poſt iſtam
Ma. 25. 31. „ veſperam fiet manè, *Cùm ipſe Dominus in cla-*
„ *ritate venturus eſt*: tunc requieſcent cum
„ Chriſto ab omnibus operibus ſuis ij, quibus
Ma. 5. 48. „ dictum eſt: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter qui*
„ *in cælis eſt*: tales enim faciunt opera bona
„ valdè. Poſt autem talia opera ſperanda eſt
„ requies in die ſeptimo, qui veſperam non
habet". Hunc Auguſtini Commentarium tanti fecerunt poſteriores Tractatores, ut plerique eorum tranſcripſerint integrum, vel
Iſidorus. certè modicè interpolatum: ſignanter Iſido-
Beda. rus Comment. in Geneſim cap. 3. & Beda in Hexameron, & rurſùs in Expoſitione Geneſeos cap. 2. & lib. de Temporum ratione cap. 8. & 64. cum duobus ſequentibus, &
Rabanus. lib. de Temporibus cap. 16. & Rabanus lib. 10. de Univerſo cap. 14. & lib. 1. in Geneſim cap. 10. & ſummariè Hugo Victorinus in ſuis Prænotat. de Scripturis & Scriptoribus Sacris cap. 17. Ubi & illud addit:
Hugo Vict. "Notandum quòd ætates iſtæ non diſtin-
„ guantur ſecundùm æqualia ſpatia tempo-
„ rum, ſed ſecundùm communes innova-
„ tiones rerum: ut fuit *diluvium*, & *electio*
„ *Abraham*, & *inſtitutio Regum*, & *tranſmi-*
„ *gratio in Babylonem*, & *adventus Chriſti*".
Ubi tametſi ibidem & alibi ſex omninò ætates agnoſcat, non plures tamen quàm quinque terminos earundem aſſignat: quia licet unaquæque ætas binis circumſcribatur terminis, uno unde incipit, altero in quem deſinit; voluit tamen ipſe eos duntaxàt terminos exprimere, qui duarum ætatum ſunt diſcretivi; ita ambabus communes, ut præcedentem claudant, ſequentem aperiant. Unde quia primam ætatem nulla alia præceſſerat, & ſextam nulla ætas mundana ſequetur, idcircò terminum primæ ætatis inchoativum, & ſimiliter terminum ſextæ ætatis finitivum prætermiſit. *Diluvium* itaque primæ & ſecundæ ætati communis eſt terminus, illam finiens, iſtam inchoans: Similiter *Abrahæ electio* ſecundæ & tertiæ ætati communis eſt terminus, finiens illam, inchoans iſtam: & ſic pariformiter de reliquis.

CLXXXIII. Præter ea quæ proximo §. ex Auguſtino adducta ſunt, quibus analogia ætatum Mundi cum diebus primæ creationis ediſſeritur, duo alia ſubſequenter ibidem præſtat idem Auguſtinus, quæ nequaquam ſunt hoc loco à nobis prætereunda: primò rationem aſſignat cur poſteriores ætates pluribus conſtent generationum ſibi ſuccedentium gradibus, quàm duæ primæ, quarum quæque denis generationibus abſolvitur. Secundò methodum aperit applicandi microcoſmo eaſdem ætatum varietates, quas macrocoſmo per analogiam ſex primorum dierum tribuerat: [w] Si
„ autem, inquit ipſe, aliquem movet, quòd w. Auguſt. ibid. c. 24. & 25.
„ in iſtis ætatibus ſæculi duas ætates primas
„ denis generationibus advertimus explicari,
„ tres autem conſequentes ſingulæ quatuorde-
„ cim generationibus contexuntur, ſexta
„ verò iſta nullo generationum numero defi-
„ nita eſt: facile eſt videre etiam in unoquo-
„ que homine duas primas ætates, *infantiam* &
„ *pueritiam*, corporeis ſenſibus inhærere: qui
„ corporis ſenſus quinque ſunt, viſus, audi-
„ tus, olfactus, guſtus, & tactus. Quinarius
„ autem numerus duplicatus, quoniam du-
„ plex eſt ſexus humanus unde generationes
„ tales exiſtunt, maſculinus & femininus;
„ quinarius ergo, ut dixi, duplicatus, dena-
„ rium numerum facit. Jam verò ab adoleſ-
„ centiâ, & deinceps, ubi ratio jam incipit
„ in homine prævalere, accedit quinque ſen-
„ ſibus cognitio & actio, quibus vita regitur
„ & adminiſtratur, ut jam ſeptenarius nume-
„ rus incipiat eſſe: qui ſimiliter duplicatus
„ propter duplicem ſexum, in quatuordecim
„ generationibus eminet & apparet, quas ha-
„ bent tres ætates conſequentes, tanquam
„ *adoleſcentis*, & *iuvenis*, & *ſenioris*. *Senectus* verò
„ ſicut in nobis nullo ſtatuto annorum tem-
pore

,, pore definitur, ſed poſt illas quinque ætates
,, quantum quiſque vixerit *ſenectuti* deputatur;
,, ſic & in iſtâ ætate ſæculi non apparent ge-
,, nerationes, ut etiam occultus ſit ultimus
Mat. 24. 36. ,, dies, quem utiliter Dominus *latere oportere*
,, demonſtravit. Habet etiam unuſquiſque
,, noſtrum in bonis operibus & rectâ vitâ
,, tanquam diſtinctos iſtos ſex dies, poſt quos
,, debet quietem ſperare: *primo die* lucem fidei,
,, quando priùs inviſibilibus credit, propter
,, quam fidem Dominus viſibiliter apparere
,, dignatus eſt: *ſecundo die* tanquam firmamen-
,, tum diſciplinæ, quo diſcernit inter carnalia
,, & ſpiritualia, ſicut inter aquas inferiores &
